ERYCI PVTEANI

HISTORIÆ INSVBRICÆ,

AB ORIGINE GENTIS AD OTHONEM MAGNVM IMP.

LIBRI VI.

Qui IRRVPTIONES BARBARORVM in ITALIAM continent,

PLENIS COMMENTARIIS ILLVSTRATI.

Fax BARBARICI *Temporis.*



LOVANII,
Typis, Manu, Sumptu, PHILIPPI DORMALII,
CIↃ. IↃC. XXX.
Cum Privilegio Regis Catholici & Christianissimi.

CONSPECTVS OPERIS.

PHILIPPO
IV.
HISPANIARVM
ET INDIARVM
REGI
OPTIMO, POTENTISSIMO,
CATHOLICO,
ORBIS CHRISTIANI
DEFENSORI.

ITALIAM, quà maximè tua est, POTENTISSIME REX, & miserrima aliquando fuit, hac HISTORIA, & his COMMENTARIIS meis Majestati tuæ repræsento. INSVBRES sunt: quos cùm describerem, tot cladibus argumentum inhorruit; ut non tam sepiâ calamus, quàm fluere sanguine visus sit. O tempora! deflenda magis quàm narranda, nisi ad exemplum rerum futurarum faceret, conversi & convulsi aliquando Orbis imaginem intueri. Etenim postquàm è fastigio suo declinare

Romani Majeſtas nominis cœpit, non niſi ſtrage & ruinâ ad exitium præceps provoluta eſt. Vt caput concideret, primis, ut ſic dicam, vulneribus membra fuêre obnoxia; & tanquam aliquid Romani INSVBRES haberent, omnium pænè Barbarorum rabie concuſſi & lacerati ſunt; miſeriores dubium, an fortiores. Irruerunt primùm Gothi, mox Hunni, paullopòſt Rugi, Heruli, Scyri: rurſus Gothi; tum ordine quodam Franci, Alemani, Longobardi; & ut hi pellerentur, iterum Franci. Hunnos ſi excipimus, reliqui & origine & robore Germani ſunt; qui vel bellis irritati, vel ſtipendiis adducti, vel deliciis pellecti, ferociam, adhuc indomitam, in Romani viſcera Imperii effuderunt. Non ſatis adhuc malorum, niſi & ſuam Hungari, imò Saraceni vim inferrent. Iam deerant Barbari, & in ſe converſa Italia, bellisque confecta inteſtinis, tanquàm cadaver in fœdiſſimam lanienam ceſſit. Non mitius deinde ſub Imperatoribus Germanicis fatum. Quot urbes, tot ferè Domini; quot populi, tot factiones & bella: donec favore tandem Numinis ab invictiſſimo Proavo tuo CAROLO V. Imperatore pacata Regio, glorioſum putavit, Hiſpaniæ viribus erigi, & ſecuritatem ſuam Tute,

Tutelæ Auſtriacæ committere, imò conſecrare. Quàm alia igitur rerum facies! Sudum fuit, ceſſavit Barbaries; & quia veteres artes virtutesque rediêre, mutatis quodammodò hominibus, terrâ, cælo, ſæculum effloruit. Sed huic profectò felicitati invidia ævi, an ambitio? gravis nuper fuit: & poſt leves, velut in malaciâ motus, exæſtuare rurſus cœpit. Quæ ſubitò damna! quæ pericula! tanquam priſtinæ calamitates redirent. Facere adhuc omnia & pati INSVBRES tui parati ſunt, ut tui ſint; quemadmodum ſe eſſe, & fuiſſe gaudent: fortes & conſtantes, quia ſalutis fiduciam in Potentiâ & Benignitate tuâ collocant. Quid verò timere poſſint, hæc à me deſcripta & explicata HISTORIA, hæ in Italiam IRRVPTIONES BARBARORVM indicant: quas cùm inſpicies, REX MAXIME, ad commiſerationem demittes animum; & ne in tempora recidamus Barbara, ſalutem Europæ in gloriam tuam vertes. Si ardere rurſus bello Alpium nives incipient, Regio vel impetu, vel conſilio obviàm publico incendio ibis. Tui ſunt fluvii, tui lacus, tuus Oceanus: & quidni omnem derepentè flammam compeſcens, ſtragem poſſis & ruinam inhibere? Quid? cùm nullus ignis erit, tuo magis jubare relu-

 cebis:

cebis: cùm verò sedabis tempestates, agnoscent omnes, à cælo in terras salutare sidus descendisse. Ideò profectò summus es, & tanquàm unius potentiâ tranquillitas nitatur omnium, Majestate mundum comples. Quis tam remotas adiit terras, tam vasta navigavit maria, ut Magnitudinis tuæ fines excederet? Vbicumque Sol oritur, ubicumque occidit, tuus est; cùm lustravit omnia, adhuc à te non discessit. Neque hoc Regnorum tuorum decus aut robur imminuit, alieni alicubi sive juris, sive potentiæ, sive fortunæ solum interjacere: ut non sine scopulis insulisque pelagus suum Neptunus habet, & tellurem tamen claudit. In tui Imperii, ut sic loquar, sinu, situm est, quicquid alienum est. Alterâ manu Orientem (quod de Alexandro dictum est) alterâ Occidentem complexus, scire adhuc non potes, ubi tanti nominis fulgorem condas. Nempe terrarum iste globus quà modo caret & termino, tui imaginem exhibet. Iidem Imperii tui, & mundi limites sunt: iidem nominis tui, & temporis; iidem virtutis tuæ, & æternitatis. Sed quid? quàm Magnus, tam quoque Clemens es; & quàm supra humani sortem fastigii positus, tam à fastu, violentiâ, avaritiâ, injustitiâ alienus.

Ergò

Ergò non juſſu magis, quàm exemplo imperas: qui Sceptrum cernit, Lenitatem veneratur; qui Majeſtatem timet, plus Humanitati tribuit. Errant autem, qui tanquàm in flore ætatem computant, vitâ quibuſdam quaſi morum gradibus ordinatâ: non te ſinit prætergreſſa annos maturitas juvenem eſſe. Eo ſanguine & vigore natus es, eo ſtudio & exemplo educatus; ut priùs etiam aptus Regno eſſes, quàm admotus; adferres virtutes, quæ uſu ac tempore acquiri ſolent. Sed in laudum tuarum mare non ingredior; & Religioſo venerari ſilentio Benignitatem malo, quàm frigido encomio Magnitudinem violare. Facundus erit, qui ceſſit laudibus, & ſtupore confeſſus eſt, eloquentiam poſſe vinci. Mihi ſanè, quod Sol in cælo, in terrâ PHILIPPVS erit: & ſic ingenii mei labores, quia Majeſtatem oculorum tuorum ſubibunt, lucem vitamque haurient; quia tanti nominis Tutelâ munientur, mori non poterunt. Legentur INSVBRES tui, quos deſcripſi: nec jam timebunt BARBAROS, viribus & favore tuo muniti. Tuliſſe verò calamitates, eò ſuavius erit, quò major à Potentiâ tuâ ſecuritas. Ampliùs ad ſalutem valebit, ab uno PHILIPPO, Orbis Chriſtiani Defenſore, protegi ac de-

ac defendi; quàm ad periculum, à multis aliis impeti atque oppugnari. Ego nunc, ut triſtia enarravi, lætiori ingenium argumento efferam, & tuo auſpicio felicitatem ſcripturus temporum, oſtendam (cum Deo) poſteris, REGEM meum & facere, quæ cum duraturo virtutis exemplo tradantur Annalibus; & habere, fovere, erigere viros, qui tradant. Vive, vale, vince, REX MAXIME, & oſtende, fata mortalium tuâ virtute ad publicam pacem & ſalutem temperari.

NOMINI MAIESTATIQVE TVÆ

Æterno cultu Devotus

ERYCIVS PVTEANVS

BAMELRODIVS.

SCRIPTIONIS
RATIO AC MODVS,
IN
HISTORIAM ET COMMENTARIOS
DIVISÆ.

ELOQVENTIÆ *partem Historiam esse, res ipsa docet: non unâ tamen* RATIONE *ac* MODO *constitui. Quot antiquitùs Scriptores, tot formæ sunt; dumq; suum unusquisque genium expressit & ingenium, exemplum reliquit. Tota quidem varietas primùm Copiâ, sed vel gravi, vel amœnâ: deinde Brevitate, sed vel naturali, vel argutâ stetit. Fuerunt etiam, qui floridam subtilemq; Brevitatem facerent, colore & acumine Atticismum quendam secuti. Livium & Curtium vide; quid gravius? quid amœnius? Sallustium & Tacitum; quid naturalius? quid argutius? Invenêre prætereà Florus ac Iustinus Modum, quo multa paucis traderent, & compendio pulcherrimam rerum velut picturam exhiberent. Vt igitur omni ævo fuerunt (pauciores Barbaro) qui res gestas memoriæ mandarent, alia aliis forma placuit. De me nunc ago: ad scribendam enim Historiam, quò naturâ ferebar, auctoritate Regis Catholici vocatus sum. Vt muneri igitur, & ingenio satisfacerem, à Specimine orsus sum, &* MEDICÆVM, *sive Bellum Larianum moderato charactere descripsi. Animum deinde ad Res & Antiquitates* INSVBRVM *adjiciens, trahente quasi argumento,* BARBARORVM IN ITALIAM IRRVPTIONES *(quæ medii ævi, & declinantis Imperii fortuna est) prosecutus sum; & in Epitomen collegi, quicquid tandem injuria temporum, ipsa, inquam, Barbaries, reliquum fecerat. Inter omnes verò unus hîc mihi* FLORVS, *elegan-*

b *tissimi*

tissimi commatis Scriptor in exemplum placuit; ut succinctus essem, & omnia dicerem; imò, ut revocatâ ad imaginem magnitudine, quasi in tabulâ quicquid gestum esset, repraesentarem. Imò verò Florus placuit; ut illius potissimùm ingenium stilo exprimerem, cujus suppari studio argumentum extendebam. Ergò & eosdem usurpare colores conatus sum, vernantem Scriptorem non imitari modò, sed augere. An ausim dicere? Florus placuit; ut & meo ille labore cresceret, mea illius fieret Historia; fieret una, quae serie continua esset: quemadmodum eandem hominis vitam dicimus, sive florida annos aetas naturae vigore attollat, sive decrepita morbo & funere dejiciat ac deponat. Cùm in vitam homo venit, cùm vivit, & cùm moritur, homo est: sed Populum Romanum idem ille Scriptor quasi hominem consideravit, eiúsque aetatem, quomodò coeperit, floruerit, steterit, percensuit. Restabat igitur, ut quomodò consenesceret quoque, exaresceret, ac denique periret, scriberetur. Hoc egi, & quodammodò Florum egi; quia, quod ab illo relictum est, absolvi. Hae IRRUPTIONES BARBARORUM *sunt; in* ITALIAM, *sed Per* INSUBRES: *quâ Ratione* INSUBRICAE HISTORIAE *titulus Romanam simul includit. Senis igitur libris, secundâ jam curâ variè interpolatis, partem ego meam emolitus sum: quemadmodum suam Florus quaternis clauserat. Tanquàm arduum esset, populum, qui domuerat omnia, debellari atque pessumdari, plus mihi negotii ruina ejus objecit. Funus cogita: difficilius homo sepelitur, quàm nascitur. Quamvis autem vastum tempore argumentum esset, in mille sexcentos quasi annos extensum; varium fortunâ, Orbis conuersionem exhibens: Scriptionis tamen Modo non poterat plenum Volumen fieri, nisi novâ Ratione moles ponderi accederet, & rudes quorumdam oculos, omnia vastitate aestimantes, impleret. Quid igitur? extendi laborem, struxi* COMMENTARIOS; *& nudae quasi Historiae pompam adjeci, vestem corpori, quae partim è laciniis Barbaricorum Scriptorum consuta, simplicitate suâ*

te suâ fidem faceret; partim è purpurâ melioris ævi contexta, splendorem narrationi adferret. Destinaveram quoque initiò Breves duntaxat aliquas Notas, lucis caussâ, dare; easq; vel Filiorum, vel Contubernalium nomine edere: sed cùm ne sic quidem satis laterem, non tam occultato, quàm publicato sub personâ ingenio; & ad justam magnitudinem Opus non cresceret; sententiam mutavi. Bonum factum: Scriptores ferè omnes veteris, mediiq; ævi inspexi, & plenâ undique manu aggessi, quicquid vel ad pleniorem Historiæ intellectum, vel luculentiorem ornatum faceret. cùm jam crescerent COMMENTARII, *ipsa simul videbatur* HISTORIA *grandiri. Accedebat inclytæ stirpis, virtutis, doctrinæ Viri, ac Senatoris apud Insubres Regii,* PAVLI RAVDENSIS *consilium; & nónne tanquàm imperium? qui cùm Editioni Annalium Vrbis Mediolanensis, decreto Decurionum praeesset, & Operis hujus mei specimen in antecessum libaret; auctor prorsus fuit, ne à cœptâ Ratione ac Modo abirem. Inveniri Historiam in unâ geminam, Contractam, & Explicatam: Volumini lumen, Operi decus accedere. Esse in* HISTORIA, *quæ Explicationis face indigeant: esse in* COMMENTARIIS, *quæ scitu licet necessaria, dignitas tamen pressioris stili decorè non recipiat. Frangi Historiæ formam ac venustatem, si mutetur magis quàm explicetur. Prudenter quoque, arctâ priùs rerum inspectione tentari oculum & allici, quàm fusâ & cumulatâ materiâ impleri. Facilè equidem morem monenti, & tam Magno gessi: gerebam simul* IO. BAPTISTÆ SACCO, *&* RAPHAELI MONTORFANO, *Amicis meis optimis: quorum ille, tanquàm pater, jubere poterat, ætate gravis, sapientiâ venerabilis, famâ clarus; hic, tanquàm frater, pellicere, ad omnem comitatem, elegantiam, humanitatem factus. Vt hæc igitur sunt, experiri eâdem operâ in argumento alieno volui, quid in Belgico possem; imò ostendere, quâ Ratione & quo Modo ad Belgicum essem accessurus. An alieno tamen? Insubricum est, & sic meum: Insubricum est, & Belgicum quodammodò*

 comple-

complectitur. Meum voco, quod muneris mei est, ad omnes omninò provincias Regias extensi. Sed Insubres quoque singulari quodam affectu meos voco, apud quos plures annos vixi, docui, scripsi; & à quibus etiam absens, quasi civis semper habitus sum; imò verò liberalissimè revocatus. Quod præcipuum est, Belgas omnes rogo; licèt à quibusdam, qui nihil Litteris tribuunt, tanquam alienus habear; ne tamen Insubricam Historiam à Belgicâ putent alienam esse. Italia, Orbis gloria, Virtutis & Fortunæ palæstra, describitur, sæpius oppugnata, læsa, vastata; & ab iis, qui cùm passim Barbari dicantur, Galli præcipuè, imò Germani sunt; aut si id non ferimus, fuêre. Sic & Belgæ, qui sede Galli, origine (quod lingua indicat) Germani sunt. Liberè dicam: Et nos aliquando Barbari fuimus, vel egimus quod Barbari: sed nihil è priscâ retinuimus indole, nisi quòd fortissimi adhuc sumus, novis virtutibus inter cultissimos hodie populorum Orbis consensu relati. In summâ, Quantam ferre ærumnarum molem Insubres potuerint, hoc Opere ostendi: suas expendant & comparent Belgæ; ferent faciliùs, quarum exempla deprehendent. Scripsi Lovanii, in Arce Regiâ, Prid. Non. Novembr. Natali meo LV. *Anno Christiano vulgatæ Epochæ* ∞. IↃC. XXIX.

ERY-

ERYCI PVTEANI
BARBARORVM
PATROCINIVM,

Ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum

FRANCISCVM BARBERINVM

S. R. ECCLESIÆ CARDINALEM,

Fratre Summi Pontificis VRBANI VIII.

Bono Eccleſiæ natum.

QVI Italiam Populi Romanumque lacerârunt Imperium, ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME CARDINALIS, varii fuêre: ſed uno omnes nomine BARBARI appellati ſunt,& in hoc mihi volumine Hiſtoriæ Inſubricæ deſcripti. Quicquid in Hunno, Vandalo, Gotho, Longobardo,cæteriſque publica tempeſtas accuſat, ſonat Barbarus, omnemque ferè Irruptionum infamiam Septentrio ille noſter Germanicus ſuſtinet, Barbarorum velut Pater. Sed ego etiam in Barbaris Auguſtiſſimam appellationem tuam ſuſpicio, & à tuâ luce ad fatalem præteritorum caliginem temporum laudem derivo. Quæ aliquando miſeria fuit, à Barbaris Orbem terrarum conturbari & concuti; ea jam felicitas eſt, à BARBERINIS regi: aſperitas nominis in majeſtatem commutata eſt; & oſtendit VRBANVS, nil niſi cultum, lene, ſanctum à noſtro ævo exſpectandum. De Barbaris ago: & hos dico homines fuiſſe, egiſſe quod homines, neceſſitate ad violentiam pertracti, ſolent. Debet ſuis terra alumnis ſedem: quam cùm variæ aliquando nationes non haberent, & fruſtrà à potentioribus peterent, invadere auſæ ſunt, quaſi à naturâ jus adferrent. Quid dicam? niſi omne bellum,& quicquid armis geritur, à conditione humanâ removeas, etiam pugnare Barbaris licuit, & aliquem alibi telluris angulum ſibi vindicare. Alios fames vel egeſtas, alios inundatio vel diſcordia domo pepulit: alii ad novas fortunas invitati, quia auxilia diſſidentibus ferrent, præmia ferro occupavêre. Iſraëlitarum populus, ut liber eſſet, & impunè Deum coleret, ex Ægypto in alienam terram ductus eſt, & viginti novem Regna armis vincens, per tribus ſuas diviſit. Sed ſacro hic nolo jam exemplo uti: ſuperſunt profana, & è Senecâ annotanda, Conſolatione ad Helviam, cap. VII. *Quid ſibi volunt in mediis Barbarorum regionibus Græcæ urbes? Quid inter Indos Perſasq; Macedonicus ſermo? Scythia, & totus ille ferarum indomitarumq; gentium tractus, civitates Achajæ Ponticis impoſitas litoribus oſtentat. Non perpetuæ hiemis ſævitia, non hominum ingenia ad ſimilitudinem cæli ſui horrentia transferentibus domus ſuas obſtiterunt. Athe-*

viensis in Asiâ turba est: Miletus septuaginta quinque urbium populum in diversa effudit: totum Italiæ latus, quod Infero mari alluitur, Major Græcia fuit. Tuscos Asia sibi vindicat: Tyrii Africam incolunt: Hispaniam Pœni: Græci se in Galliam immiserunt, in Græciam Galli: Pyrenæus Germanorum transitus non inhibuit: per invia, per incognita versavit se humana levitas, liberos, conjugésque, & graves senio parentes traxêrunt. Alii longo errore jactati, non judicio elegerunt locum, sed lassitudine proximum occupaverunt: alii armis sibi jus in alienâ terrâ fecerunt: quasdam gentes, cùm ignota peterent, mare hausit: quædam ibi consederunt, ubi illas rerum inopia deposuit. Nec omnibus eadem caussa relinquendi, quærendiq; Patriam fuit. Alios excidia urbium suarum, hostilibus armis elapsos, in aliena, spoliatos suis, expulerunt: alios domestica seditio submovit: alios nimia superfluentis populi frequentia, ad exonerandas vires, emisit: alios pestilentia, aut frequens terrarum hiatus, aut aliqua intoleranda infelicis soli vitia ejecerunt: quosdam fertilis oræ, & in majus laudatæ, fama corrupit: alios alia caussa excivit domibus suis. Illud itaque est manifestum, nihil eodem loco mansisse, quo genitum est. Assiduus humani generis discursus est. Quotidie aliquid in tam magno Orbe mutatur. Nova urbium fundamenta jaciunt: nova gentium nomina, extinctis prioribus, aut in accessionem validioris conversis, oriuntur. Omnes autem istæ populorum transportationes, quid aliud, quàm publica exilia sunt? Alexander & homo, & Rex fuit: sed si alienas invadere terras Barbarum est, Barbarus esse voluit, ut Magnus esset; omnia sibi subjicere, ut Deus haberetur. Ille Magnus, ille Deus, ut Seneca scribit lib. I. De Beneficiis. *A pueritiâ latro, gentiumq; vastator, tam hostium pernicies quàm amicorum, summum bonum duxit terrori esse cunctis mortalibus.* Sic Scythæ apud Curtium eum alloquuntur, lib. VII. *Tu qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium quas adisti latro es.* Hanc eandem ob caussam Lucano lib. X. *felix Prædo*; Item,

Terrarum fatale malum, fulmenq; quod omnes
Percuteret pariter populos, & sidus iniquum
Gentibus,

appellatur. Quicquid aut Attila Hunnorum Dux, aut Odoacer Herulorum, aut Theodericus Gothorum, aut Alboinus Longobardorum peccavit, minus est: alius caussa adactus, alius necessitate impulsus, alius injuriâ irritatus, omnes excusare vim & injuriam potuerunt. Non aliter Annibal Italiam, & priscis temporibus Treres Ioniam, ut est apud Plutarchum (qui Alexandrum excusat Oratione I. De Virtute ejus vel Fortunâ) item Scythæ Mediam populati sunt. Quid? *Romanum Imperium*, scribente Senecâ eâdem Consolatione ad Helviam, *nempe auctorem exulem respicit: quem profugum, captâ Patriâ, exiguas reliquias trahentem, necessitas & victoris metus, longinqua quærentem, in Italiam detulit.* Romani ipsi, in eo semper occupati, ne Barbari essent, nónne exitio gentium clari fuerunt? Vt Potentes essent, multis & Regibus & Populis potentiam eripuerunt. Agebant quod Barbari; sed quos non vincerent, aut à quibus oppugnabantur, Barbaros appellabant. Felicem injuriam hîc intueri licet: quantumcumque enim hoc Imperium fuit, publico latrocinio partum est: & hoc unus egit populus, ut omnium, quacumque caussâ, esset dominus; hoc etiam meruit, ut ab omnibus tandem dilaniatus periret. Non frustrà igitur Cicero lib. III. De Repub. ut est apud Lactantium: *Quòd si omnes populi, penes quos sit imperium, ipsiq; Romani, qui Orbem totum possedêre, Iustitiam sequi velint, ac suum*

cuique

cuique restituere, quod vi & armis occuparunt, ad casus & egestatem revertentur. Si rectè calculum ponimus, vel nemo est, vel omnes sumus homines Barbari; nisi, quia inter homines hodie BARBERINI eminent, aliquid hisce potiùs divini tribuam, & solos cælesti naturâ dotatos, mortalium dicam conditionem excedere. Anacharsis Scytha Attico cuidam, & fortassis Soloni, objicienti, quòd Barbarus esset: *Certè,* inquit, *apud Athenienses: sed vicissim Athenienses apud Scythas.* Æstimet gentem suam ipse ille è Septem Sapiens, eodem responso dignus erit: erit Solon Anacharsidi, quod Soloni Anacharsis. Non malè profectò Ovidius, in exilio scribens, lib. v. Tristium, Elegiâ xi.

Barbarus hîc ego sum, quia non intelligor ulli,
Et rident stolidi verba Latina Getæ.

Græci quidem, & imprimis Attici, quia vitæ & linguæ cultu præstabant, reliquos mortales omnes, contumeliæ caussâ, Barbaros appellavêre. Breviter Festus: *Barbari dicebantur antiquitus omnes gentes, exceptis Græcis.* Cultum ames, an fastum despicias? Desipere se ostendunt, qui sic sapiunt; crassioris & impeditæ esse linguæ, ac omnino βαρβαροφώνες, qui sic loquuntur. Si concedam, omnes homines exceptis Græcis Barbaros esse, solos se Græci homines appellabunt. Aristoteles quidem, ille Naturæ judex, eò inclinat, lib. III. Politicorum cap. x. *Barbarorum,* inquit, *nationes servituti aptiores esse, quàm Græcorum, & qui Asiam colunt, quàm qui Europam.* Inverecundiùs lib. I. cap. I. sed à Poëtis: *Naturâ eum Barbarum esse, qui servus est; & servum esse, qui Barbarus est.* Nam profectò qui servus est, dimidium hominis amisit. Hanc etiam ob caussam Thales Milesius (nisi ad Socratem referre malis) gratiam Fortunæ referebat, *Quòd homo non bellua, quòd vir non mulier, quòd Græcus non Barbarus esset.* Sciscitari libet, an & aliquæ belluæ Græcæ sint? deinde, an & aliquæ mulieres belluæ sint? Sanè homo & Vir qui Barbarus est, cum Græco poterit de Sapientiâ ac Virtute contendere, majorem etiam ad philosophandum modestiam adferre. Principiò quidem, ut Strabo scribit lib. XIV. per Onomatopœïam Barbari appellati sunt, qui difficultèr, asperè, duriterque verba pronunciabant; ut blæsos quoque & balbos Latinè dicimus. *Esse enim homines ad confingenda cognita rebus nomina promptos & ingeniosos.* Quod domi vitium erat, ad alias gentes, κατὰ τὸ λοίδορον, & exprobatione quadam translatum: omnibusque παχυστομία καὶ βαρβαροστομία objecta est; non iis tantùm qui perperàm Græcè, sed aliter quàm Græcè loquerentur. Hoc igitur erat βαρβαρίζειν, hoc erat βαρβαροφωνεῖν, imò hoc erat à Græcis despici, qui ingenium sermone, sed suo animum linguâ, sed suâ metiri voluerunt. Verumenimverò si vernaculo examen affectu spoliamus, suo etiam pondere pretium Lingua olim quæcumque non Græca cepit; gravis alibi, ut nihil feminæ haberet; imò aspera alibi, ut virtuti magis quàm illecebræ accederet. Hujusmodi inter alias Latina est, quæ si Barbara, pulchram vel ipsam Barbariem faciat. De proprietate quoque Clemens Alexandrinus scribit, & quanto elogio! *solum Barbarorum sermonem linguam dici.* Et Plato in Cratylo, multas à Barbaris voces Græcos fatetur mutuatos esse. Iam verò, ut quod cœpi pergam dicere, in nationum divisione Barbari omnes communiter appellati sunt, quicumque Græci non essent, his velut viliores: quasi homini Græcè, ad præstantiam naturæ ac dignitatem faceret. Sanè genus

nus ipsum humanum hac ratione solenniter, εἴς τε τοὺς Ἕλληνας καὶ βαρβάρους divisum esse, uno quasi ore Scriptores omnes tradunt; de quibus Optimus Doctissimusque Senex & Amicus noster LAELIVS BISCIOLA, Societatis IESV Philologus, in Subsecivis suis agit, etiam Platonem nobis repræsentans. Sed nónne & D. Paulus Epistola ad Romanos, cap. I. hanc partitionem agnoscit? Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί: *Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Vbi & Romani in numero Barbarorum computantur. Quid tamen est? Ipsi quoque interdum in suâ Græci linguâ Barbari erant, notante Strabone, eodem libro XIV. ac Barbarismum dicti committere, quando, quemadmodum Barbari, & linguæ adhuc tirones solent, pravè vocabula Græca ac barbarè pronunciarent. Ejusmodi Cares fuisse, satis Homerus indicat, lib. II. Iliados, & βαρβαροφώνους appellat. Hoc vitio adulatio Alexandrum Deum fecit. Nam Ammonis Sacerdos, ut est apud Plutarchum in Alexandro, cùm Regem ad Oraculum venientem per blanditias Græcè salutaret, sibilo peccans, & litterá lapsus, παῖ Διός, diviso vocabulo, pro παιδίον protulit: atque imprudens, *pro filiolo, Iovis filium* nuncupavit. Stultior Alexander, & animo cælum rapiens, ab Oraculi errore Divinitatis vanitatem admisit. Hic igitur Barbarismus est, ad Latinum quoque sermonem posteà traductus: qui quot modis accipiatur, Quinctilianus libro I. cap. V. explicat. Addendus A. Gellius lib. XIII. cap. VI. Sed is Barbarum sermonis vitium, rusticum esse vult: rusticum fieri sermonem, si adspires perperàm: *Itaque id vocabulum,* inquit, *quod dicitur Barbarismus, qui ante D. Augusti ætatem purè atque integrè locuti sunt, an dixerint, nondum equidem inveni.* Barbarismum quid accusamus? Βαρβαρόλεξις cultissimis & Græcorum & Latinorum placuit: quâ quidem figura Barbaræ apud Rhetores voces in utramque linguam adoptatæ sunt, gemmæ magis quàm nævi appellandi. Et demus nævos esse: his pulchra sermonis facies commendari debuit. In auro videre est, an Barbaries placuerit: *Barbaricum* appellatum est; quia è Barbariâ, id est Phrygiâ advectum. Virgilius lib. II. Æneidos:

Barbarico postes auro spoliisq; superbi
Procubuere.

Laudanda verò sic quoque Barbaria est, quæ auri ferax, ad non Barbaros benignâ manu ubertatem suam transmittit. Scilicet mitescimus omnes auro, boni, docti, magni auro sumus: Barbaries nonnisi pauperies est. Ad rem Poëta, qui ingeniosè Amores scripsit, lib. III. Elegiâ VIII.

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc Barbaria est grandis, habere nihil.

Satis ista, ut & Græcos fuisse Barbaros videas: addo verò, malè, imò Barbarè non Græcos Barbaros indigitari. Eratosthenes, ut est apud Strabonem lib. I. eorum reprehendit ingenium, qui universum genus humanum in Græcos & Barbaros, ut dixi, divisêre: magis etiam consilium, quo Alexandri affectum dividere conati sunt: auctores scilicet, ut Græcos Amicorum, Barbaros hostium loco haberet. Quid ais Eratosthenes? *Rectiùs virtute & vitio homines distingui.* Quid ita? πολλοὺς γὰρ καὶ τῶν Ἑλλήνων εἶναι κακούς, καὶ τῶν βαρβάρων ἀστείους: *Multos enim etiam Græcorum esse malos, & Barbarorum civiles sive* VRBANOS. Suâ tamen indole moveri Alexander potuit, & rectè de genere humano judicare: spreto namque ingenio,

nio, spreto consilio perperàm obtruso, in omni gente tanquàm unâ, virtutem æstimavit, viros verè viros amplexus est; quia nullam in virtute, in viris Barbariem invênit. Videres igitur apud Græcum Regem Indos & Asianos, in honore & pretio esse, Carthaginenses & Romanos. Hos omnes ille amicitiâ suâ, imò munificentiâ dignos, & pro non Barbaris habuit; quorum Rempublicam, non linguam; leges, non sermonem; instituta, non verba; denique agendi magis, quàm dicendi rationem expendebat. Et quid mirum igitur, Græcos virtute, Barbaros vitiis censos esse? vitia in Græcis, virtutes in Barbaris erant. Pressiùs ago, & eosipsos adduco, qui pervertere mentem Alexandri conati sunt, ab Eratosthene reprehensi. Vnus fuit, sed & ipse Magnus fuit: Magnus ingenio, malus consilio; qui propterea hîc jam nobis minor erit. Quis autem? Præceptor Alexandri Aristoteles. Vt fidem faciam, testem Plutarchum cito; Græcum quidem, sed jam Barbarè, id est Latinè & liberè loquentem: ut id quoque in gratiam Barbarorum præstemus. Locus luculentus est in Oratione 1. De Alexandri Fortunâ vel Virtute: *Alexandro suaserat Aristoteles, ut divisâ potestate, Principis & Domini personam sumeret, Græcis tanquam liberis, Barbaris tanquam servis imperaret. Illos quippe ut Amicos & domesticos affectu & curâ dignos esse, hos nonnisi brutorum aut stirpium loco habendos. O consilium! sed rejectum. Videbat qui feliciter vicerat, infeliciter se hoc modo regnaturum: videbat, bellis, exiliis, seditionibus ac simultatibus Monarchiam impletum iri. Quid igitur? publicum se ratus hominibus moderatorem arbitrúmque divinitus datum esse, quos non posset jussis, adigere ad societatem armis statuit. Nec frustrà: omnes enim ubique gentes in unum velut corpus adoptans, vitas omnium, mores, nuptias, victúsque rationem concordiâ miscuit. Mandavit quoque, ut communem omnes patriam mundum agnoscerent, omne solum eodem cælo tegi, in angustiis unumquemque nasci. Castra pro arce & præsidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis haberent. Græcum & Barbarum non chlamyde, peltâ, acinace, candy distinguerent; illum virtute, hunc vitio æstimarent.* Iam laudo Alexandrum: jure vicit mundum, ut Barbariem tolleret; vel potiùs ut ostenderet, iniquâ famâ Barbariem laborare. Quid? oppugnavit non tam homines quàm vitia, & philosophatus est. Adime verbis diadema, Ammonem, nobilitatem; Socrates nobis, aut Plato, aut Pythagoras in Alexandro loquetur: discemus, Græci hominis titulum ac notam, virtutem; Barbari, vitium esse: bonos in mediâ Barbarie Græcos, malos in mediâ Græciâ Barbaros appellari. Et tamen hæc Græcis ambitio innata erat, suum extollere vano elogio nomen, quicquid præterea uspiam esset hominum truci appellatione premere. Itaque ne Romani quidem immunes fuêre: quos inter alienigenas & Barbaros Philippi Regis ad Ætolos Legatus posuit, scribente Livio lib. XXXI. *Ætolos, Acarnanas, Macedones, ejusdem linguæ homines leves ad tempus ortæ caussæ disjungunt, conjungúntque; cum alienigenis, cum Barbaris* (de Romanis agit) *æternum omnibus Græcis bellum est, eritque.* Gravis hinc illa Catonis apud Plinium querela est, lib. XXIX *Nos quoque dictitant Barbaros, & spurciùs nos quàm alios Opicos appellatione fœdant.* Quid tamen Romani indignentur? Dabo populum, qui & Græcos Barbaros habeat, imò despiciat: dabo Ægyptios, qui, ut Herodotus scribit, lib. II. à se ad Græcos vitæ cultum ac doctrinæ traductum volunt, seque sapientissimos hominum & primos esse, Phrygas si excipias: ab iis enim originem suam

derivari. Ad Hebræos eamus: & his Ægyptii Barbari sunt, quia linguę Sanctæ usu destituti: quod idem ille aureæ eruditionis Vir BISCIOLA adnotavit. Ad hanc appellationem quoque sphæra Barbarica facit, quæ Ægyptiorum fuit, & à Græcanicâ distincta. Vtramque verò Nigidius olim scripsit, id est φαινόμενα, ad cæli Ægyptiaci & Græcanici inclinationem. Quid verbis opus est? A Phrygibus descendunt Ægyptii, à Barbaris Barbari; imò si res dicenda est, à primis præcipuisque Barbarorum. Tales omnium consensu Phryges, qui vestium acû pingendarum artem, teste Plinio lib. VIII. cap. XLVIII. invenerunt. Hinc & id genus artifices, tracto ad eos ingenio Phrygum, Phrygiones, imò Barbaricarii ubique appellati sunt; quia agebant quod Barbari, vel Barbarici. Sic & vestes ipsæ Barbaricæ, à Barbaricis confectæ. Barbaricarii quidem à Donato explicati sunt; & nominantur lege I. Cod. De Excusationibus Artificum. Item lege Scriniis in fine, C. De Palatinis Sacrarum largitionum. Vestium Lucretius meminit, lib. II.

Iam tibi Barbaricæ vestes, Melibæaq; fulgens
Purpura.

Et Virgilius lib. XI.

Fortè sacer Cybele Coreus, olimq; Sacerdos
Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis.

Mox: *Pictus acu tunicas, & Barbara tegmina crurum.*

Sic Barbaricum aurum, de quo egi, eidem Poëtæ Phrygium est: & Buxus Barbaricus, tibia Phrygia. Ne plura dicam, Barbariam pro Phrygiâ Horatius usurpavit, lib. I. Epist. II. Ad Lollium:

Fabula quâ Paridis propter narratur amorem
Græcia Barbariæ lento collisa duello,
Stultorum Regum & populorum continet æstus.

Trojani ecce Barbari sunt, Phryges Barbarorum primi sunt: & quod igitur dedecus cum nobilissimâ gente numerari? Quia de Romanis agimus; & hi velut Ægyptii sunt, Barbari sunt; imò vel maximè Barbari, quia Phrygibus, id est Barbarorum primis oriundi. Nisi Æneas fuisset, nisi in Italiam duxisset Phryges, Roma non erat. Recepit Italia Barbaros, & nomen Barbariæ etiam ad gloriam meruit: recepit Phryges, & Romanos dedit; qui ut rerum fierent domini, Barbariem esse virtutem ostenderunt. Sic igitur & lingua Romana ipsis quoque Romanis, ne Cato stomachetur, Barbara appellata est; Lex Romana, Barbara; ipsa Italia, Barbara erat. Linguam vis? Prologum Plautinæ Trinummi cito:

Philemo scripsit, Marcus vertit Barbarè.

Sic quidem Barbarè loqui, est Plautinè loqui: sermo autem Plautinus meræ Latinitatis deliciæ sunt, vel Iove, ut volunt, dignæ; dignæ Musis, si ore voluissent Latino loqui. Ad legem venio, à Plauto autem non recedo. Captivis Act. III. Sc. I.

Nunc Barbaricâ lege certum est jus meum omne persequi.

Lata hæc lex à Q. Vario, in eos, qui in Rempublicam conspirassent, consilio inito, quo populum Romanum vitâ & victu prohiberent. Italiam denique idem ille Comicus Barbariam nominat, Pœnulo, Act. III. Sc. II. ubi de auro Comico, sive Lupino:

Macerato hoc pingues fiunt in Barbariâ boves.

Quid mirum igitur, à Græcis hoc Romanis nomen impingi? id mirum, propte-

propterea Romanum, imò Catonem commoveri. Sed ita se res habet: Dici jam Romani nolebant Barbari, quia alios appellabant. Iam quoque Græcè loquebantur, & suam apud reliquas volebant gentes linguam adorari. Probro igitur dari cœpit, non Græcum, Romanum non esse: & pro Barbaro habitus, qui Romanum sermonem non usurparet. Vtinam hîc stetisset appellationis dedecus! linguæ affectus (non enim defectus) ad animi vitium translatus est; multumque infra hominis conditionem jacebat, cui sors dederat, inter Barbaros, vel sic dictos, nasci. Quinimò siquis ubique, etiam inter non Barbaros, rusticus, durus, agrestis, rudis, crassus, indoctus, sævus, immanis, ne omnia dicam, inveniretur, Barbarus erat. Quot vocabula sunt, tot in bonis passim Scriptoribus vilitatis exempla occurrunt. Ita me Deus, si Barbarum esse, malum est, etiam hominem esse, malum erit: nihil enim in voce mali est, nisi malam ipse facias. Hominem dicas, ut malum dicas: *Homo* enim, ut Comicus ait, *homini lupus est:* & *plurimi homini*, loquente Plinio, *ex homine mala*. Anacharsis, de quo egi, interrogatus. Quid hominibus maximè infestum esset? *Ipsi*, inquit, *sibiipsis.* Qui bonos oppugnant & cruciant, Barbari sunt; qui ornamenta & solatia bonorum litteras fastidiunt & proscribunt, Barbari sunt; qui malitiâ & impudentiâ armati sunt, & tantùm, ut noceant, vivunt, Barbari sunt. An etiam dico? Aristoteles lib. II. Politicorum, cap. VI. Græcos fatetur aliquando Barbaros fuisse, Barbaricisq; institutis usos, quia *ἐσιδηροφοροῦντο*, id est, *cum ferro procedebant*. Rectè. Quid enim in urbe inter cives & leges armis opus? Nos dicamus Barbaros adhuc eos omnes esse, qui ferreos animos gerunt; qui linguam, tanquam ferrum stringunt; vel etiam ferro loqui solent, & sanguine scribere. Bella jure, non jura bello definienda sunt, si Barbariem excludimus. Alienum invadere solum, aliena occupare bona, alienam decerpere quietem; à jure alienum, injustum, atque adeò Barbarum est. Vnde & Gothos, & Hunnos, & Longobardos, reliquosque unâ dicas ducasque serie Barbaros licet; non quia Gothi, Hunni, Longobardi; sed si injusti sunt. Vitii, non populi hoc nomen est; & mores suos indolemque appellationi opponunt, qui non aliam ob causam Barbari sunt, quàm quia non sunt Romani. Et quomodò Barbari? simpliciter efferam: quia naturam sequuntur, artes, technas, tricas ignorant: ideò enim in permutatione commercia eorum omnia consistere, quod naturæ est, Aristoteles lib. I. Politicorum, cap. VI. docuit. Rursus, quomodò Barbari? quia divitias negligunt, & à luxu alieni sunt. Vivunt duriter, sed ut vivant: vestem non ad lasciviam, sed necessitatem; cibum non ad voluptatem, sed famem; suppellectilem non ad pompam, sed usum habent. Postremò, quomodò Barbari? quia pii sunt, & in Dei cultu Sapientiæ usum collocant. Id sanè peculiari us elogio Ælianus adscribit, lib. II. Variæ Historiæ, cap. XXXI. *καὶ τίς οὐκ ἂν ἐπαινέσοι τὴν τῶν βαρβάρων σοφίαν; εἴγε μηδεὶς αὐτῶν εἰς ἀθεότητα ἐξέπεσε*: *Et quis non sapientiam Barbarorum collaudet? Siquidem nemo ex iis ad contemptum Deorum prolapsus est*. Meliores igitur multis etiam Philosophis sunt; qui, ut impunè omnia homines agerent, Deum mundo ejecerunt. Etenim Barbari, ut pietatem colerent, philosophati sunt: Philosophi nonnisi Barbari fuerunt. Rem dilui, solum nomen relictum est: nomen non malum, si bene usurpetur: sed quod etiam fastidire Romani cœperunt, ut in hostes suos transferrent. Itaque Barbari videri

noluerunt, alios ignominiæ causâ dicturi: & ingenium secuti Græcorum, quos vicerant, à communi se gentium appellatione exemerunt. Itaque in Romanos & Barbaros dividere Orbem terrarum placuit: erantque Imperatorum constitutionibus Barbari, qui Romanis non parebant: maximè autem qui lacessere Imperium, & irrumpere in Italiam ausi sunt, hac nobis Historiâ & Commentariis repræsentati. De his Seneca lib. III. De Irâ, cap. III. *Cùm Barbarorum animos species injuriæ perculit, aguntur statim, & quà dolor traxit ruinæ modo regionibus incidunt, incompositi, interriti, incauti, pericula appetentes sua gaudent feriri, & instare ferro, & tela corpore urgere, & per suum vulnus exire.* Iracundos describit, ut Barbaros videamus: sed hoc impetu hostem si peterent Romani, virtus fortunam; si vincerent, fortuna virtutem nobilitaret. Barbarorum alacritas non Barbaris ita erat; fortitudo, rabies; victoria, ignominia. Quid ita? hostes erant: & hoc satis, ut à gloriâ arcerentur. Sanè ut fatum Orbis eo tempore erat, nulli genti liberam esse licuit, quæ non Barbara Romanis haberetur: victa, quia ad servitutem veniebat, ingenium videbatur ad humanitatis cultum traducere. Cùm igitur unus potissimùm populus omnes armis concuteret, Romanus Barbaros; soli ferè Germani Barbari esse maluerunt, quàm liberi non esse; digni quoque, ut ad se Imperium tandem cum bonis omnibus artibus litterisque traherent, suum nomen cum Romano exæquarent. Postquàm desierunt Barbari appellari, quàm non fuerint olim Barbari, serò apparuit. Igitur nec Gothi, nec Vandali, nec Heruli, nec Longobardi, Barbari sunt: Germani enim omnes, quod ad mansuetudinis laudem sufficit. Hunnos denique nemo accusabit, Scythæ sunt. *Scythis autem*, scribente Curtio lib. VII. *non ut cæteris Barbaris rudis & incanditus sensus est: quidam eorum Sapientiam quoque capere dicuntur, quantamcumque gens capit semper armata.* Hinc Iustinus lib. II. reliquis mortalibus Scytharum moderationem, & abstinentiam alieni vovet. Prorsùs admirabile videri ait, *Hoc illis naturam dare, quòd Græci longâ Sapientium doctrinâ, præceptisq́ Philosophorum consequi nequeunt, cultosq́ mores incultæ Barbariæ collatione superari. Tantò plùs in illis proficit vitiorum ignoratio, quàm in his cognitio virtutis.* Certè olim tales: quales posteà fuerint, cùm Barbari dicti sunt, Rex eorum Attila ostendit, inter Reges omnes Barbarorum fortitudine, prudentiâ, modestiâ, quemadmodum à Prisco Rhetore descriptus est, insignis. Sub bono Rege malum non fuisse populum, auctoritas ejus evincit: qui jubere poterat, exemplo usus est. Hungaros vide, hi Hunni sunt, inter præstantissimas hodiè gentes, & Germanis quodammodò annumerati. Tollo Barbaros, & esse tamen in Orbe terrarum Barbaros fateor, quibus BARBERINI opponantur. Christiani nominis hostes Barbari sunt: qui summâ Christianum nomen auctoritate regunt ac defendunt BARBERINI sunt: VRBANVS est, major Homine, quia Dei in terris vices gerit: omnibus pater, nisi quibus filiorum nomen aut grave, aut ignotum est, graves aut ignoti ritus, leges, Sacra Christiana. Tales in nostro Orbe Mauri, Turcæ, Tartari sunt, aut his similes: in novo & nuper reperto, Anthropophagi, Idololatræ, & quotquot Barbaro viventes more, plus ferociæ, quàm humanitatis spirant. Homines tamen sunt, & trahi ad cultum queunt. Barbari sunt, & nos fortassis barbaros putant, quorum vitia magis quàm virtutes experti, vitam nostram, quia aut bellis, aut litibus semper districtam, nonnisi sævitiam

videant,

vident, vota inter vulnera & cædes consumi. Christiani sumus, & obliviscimur nos homines esse: pulsâ mansuetudine, concordiâ, pietate, asperi, turbidi, Barbari sumus. Quid omnia prosequor? quales simus, mores ostendunt; pro libidine omnia agimus: habitus ostendit; cum ferro incedimus, tanquam sine jure & lege penates sint, & quisque ostendat se nocere posse. Mitto arma: in foro & togâ inveniuntur Barbari, quemadmodum Cicero lib. I. de Oratore, *turbam & Barbariam forensem* olim nominavit. In Scholâ & Academiâ inveniuntur Barbari, qui sermonis cultum, & litterarum elegantiam impudenter contemnunt. Ita aliquando Hesychio *βάρβαροι οἱ ἀπαίδευτοι* erant: *Barbari, qui indocti.* Thraces quoque hac ignominia Æliano notati, lib. VIII. Variæ Historiæ, cap. VI. quia turpissimum putârunt, *χρῆσθαι γράμμασι*: *Litteris uti.* Denique in Ecclesiâ inveniuntur Barbari, qui VRBANVM non agnoscunt. Hunc veneror: huic subjicio quicquid de Barbaris toto hoc volumine IRRVPTIONVM, sive HISSTORIAE INSVBRICAE mihi scriptum, & explicatum est: teque, ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME CARDINALIS, in sublimi Virtutum fastigio Litterarum ornamentis circumfusum, ad legendas has IRRVPTIONES, sive hanc HISTORIAM invitare audeo: quantum à Barbaris BARBERINI distent, videbis.

AMPLISSIMI VIRI

GERARDI CORSELII,

REGI CATHOLICO A SANCTIORIBVS IN BELGIO, A BELGICIS IN HISPANIA CONSILIIS,

Ad ERYCIVM PVTEANVM Epiſtola.

LEGI INSVBRICAM HISTORIAM *tuam, & adjunctos* COMMENTARIOS *diligenter, Præſtantiſſime* PVTEANE. HISTORIA *quidem mirificè me delectavit, tum rerum breviſſimè enarratarum ipsâ magnitudine ac varietate, tum ſtili ſummâ & incredibili felicitate. Æquaſti Flori Iuſtinique laudem; eò felicior, quod illi ſine dolore legi non poſſunt, jacturæ præclariſſimorum Livii Trogiq; operum, quæ iiſdem jure an injuriâ imputatur: tuum autem hoc Breviarium omnis lectura ſit poſteritas, ſine querelâ melioris ullius Scriptoris per te amiſſi. Compendiariam ſcriptionem, quâ Florus originem incrementaq; complexus eſt Romani Imperii, ejuſdem non minùs admiranda ruina adhuc deſiderabat: quam tu nunc feliciſſimè præſtitiſti. Itaq; Florum nemo leget deinceps, quin & tuam hanc Epitomam lectam velit; ne non omnem tanti Imperii, quà crevit, quàque decrevit, Hiſtoriam compendio percipiat.* COMMENTARII *verò auxerunt mihi voluptatem, & quòd rerum compendio commemoratarum fidem aſtruunt veterum Scriptorum auctoritate, & quod Epitomes ſi quod eſt incommodum emendant rerum ſelectiſſimarum, ſcitúque digniſſimarum additamento; ita ut ne deſideraturus quiſquam ſit Hiſtoriæ majorem molem. Noſtra nunc te tempora ad ſe vocant; ut cum eventibus rerum quæ acciderunt, ſint admiranda, eorum memoria aliquando magni Scriptoris defectu non intereat.*

IO.

IO. IAC. CHIFFLETIVS,
REGI CATHOLICO
PHILIPPO QVARTO,
ET SERENISS. PRINCIPI
ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ
HISPANIARVM INFANTI
MEDICVS
A CVBICVLIS ORDINARIVS,

Ad ERYCIVM PVTEANVM
Ejusdem Regis Consiliarium & Historiographum.

OPVS tuum INSVBRICVM, AMPLISSIME DOMINE, quantum per interioris Aulæ occupationes licuit, semel & avidè percurri, majore cum otio iterum totum, sed attentè perlecturus. Intereà tibi dico, ejus inspectioni comitem perpetuam mihi fuisse admirationem, pro tot eventuum narratione doctâ, brevi, elegante, & in Cimmeriis tenebris clarâ. Tu etenim Principum Barbarorum gesta tam accuratè prosecutus es, ut illis noctibus vixisse videaris, & Phœbæâ lampade præviâ, singula observasse. Adeò sparsa hinc indè, & ferreorum temporum rubigine obsita apud auctores Barbaros, ita concinnè collecta sunt, ut in pulcherrimum velut florum fasciculum conserta videantur. Accessit eruditissimus Commentarius, quo ex ipsis fontibus, etsi sæculorum luto turbidis, Historiæ tuæ fidem adstruis, doctrinæ tuæ singularis suave condimentum. Quid attinet dicere? munus hoc obire solus potuisti, ut de Mediolanensibus bene mereneris, ac Potentissimo Regi nostro PHILIPPO, Magno Insubrum Domino, miserandos Italiæ casus, tanquàm in tabulâ repræsentares. Quia verò visa est prisca illa bellorum fortuna tristi rursus sidere universæ regioni minari, tentatis nuper

Alpi-

Alpibus, nativis Insubrum claustris; seriò & maturè providendum est, ne iniquo ferro lædantur viscera, à quibus Orbis Christiani salus dependet. Hoc præstabit haud dubiè invictus noster AMBROSIVS SPINOLA, qui apud Insubres, totamque Italiam Regias nunc vices agit, vel blandè res magnas componendo, vel felici Marte (uti solet) Regis hostes profligando. Verùm ut Operi quoque tuo eximio symbolum meum addam, mitto è Flavissis meis Ectypa nummorum quinque æreæ laminæ insculpta, ut per te, si placet, æternitati mandentur.



Primus æreus vultum Theodahati Gothorum Regis exhibet, in cujus aversâ parte,

Ipsa dominatas pandit victoria pennas,
Victrici palmâ gaudens, viridiq; coronâ.

Quatuor alii ex argento, Iustiniani Augusti sunt, cùm adversis coronis è lauro, quibus inclusa Regum quatuor Barbarorum nomina, Athalarici, Theodahati, Vitigis, & Totilæ. Totilæ, inquam: quem enim alium indicarent illæ voces, THILΩ REX, tuum esto judicare. Ad Burgundica jam & Belgica stilum tuum si convertes, latissimum campum habes in auctoribus editis; &, si Codices M. SS. in hoc genere tibi desunt, habeo pleròsque ad manum quibus juvem; omnes libentissimè subministraturus. Vive diu, rarum sæculi nostri decus, & salve à tuo CHIFFLETIO. Bruxellæ, Pridie Idus Septemb. CIↃ. IↃC. XXIX.

DE

AMPLISSIMI CLARISSIMIQ. V.

ERYCI PVTEANI,

CONSILIARII & HISTORIOGRAPHI REGII,

HISTORIA INSVBRICA.

QVicquid in extremâ miles peccavit arenâ
BARBARVS, *Ausoniæ profugus dulcedine terræ;*
Concussam Latii fortunam, INSVBRICA *fata*,
Vrbis & HERCVLEÆ *toties surgentis honores*,
Eloquii vis sancta tui, visq; ignea mentis
Æterna potuit, PVTEANE, *recondere cedro.*
Quam neque fulmineis iratus Iuppiter alis
Destruere, non imber edax, non sera vetustas
Nequicquàm tentasse velint: manet altus honorum
Intemeratus apex, tenui quem Gloria circùm
Remigio, & rapidâ vehitur Fama alta quadrigâ.
Sume animos Vrbs Magna tuos, quando ultima rerum
BELGICA, *& intonso tellus habitata Sicambro*
Ipsa tuis didicit festum applausisse tropæis,
Et laudes iterare tuas, quà frigida cælo
Sidera nimboso radiant vicina Trioni.
Nec minus ipsa sibi decus, aut minus audet honorum
A civi sperare suo. Quæ prœlia cerno,
Quos animos, quæ bella tibi pugnata diserto,
ERYCI, *celebranda stilo? stupet ipsa Deorum*
Regia, & ipsa suos miratur BELGICA *lauros.*
Quid dubitas? PVTEANE: *jacent intacta tuorum*
Regna tibi, & nullos bella interitura per annos.
Te solum labor iste vocat: sic laurea Pindi
Regia, sic patrio Cleio annuit æqua labori.

IVSTVS RYCQVIVS Gandensis.

DE

AMPLISSIMI VIRI

ERYCI PVTEANI

BAMELRODI,

HISTORIOGRAPHI & CONSILIARII

REGII,

BARBARORVM

IN ITALIAM

IRRVPTIONIBVS.

QVANTVM Thucydidi Pelopis Peninſula debet,
Actææ quantum Perſia debet * Api,
Sireni quantum Patavinæ Roma, vel illi,
Primus qui Latiâ fertur in Hiſtoriâ;
Victa tuo tantum PVTEANO INSVBRIA debes:
Amplius at tibi quod debeat, ORBIS habet.
Per te namque Virum eſt nactus, qui poſſe Latino
Ornari doceat BARBARA geſta ſtilo.

* Nam teſte Suidâ Xenophon Ἀττικὴ μέλιττα vocabatur.

PETRVS CASTELANVS, *Græcarum Litterarum, & Medicinæ in Academiâ Lovanienſi Profeſſor Regius.*

IM

IN AMPLISSIMI VIRI
ERYCI PVTEANI
BAMELRODI
IRRVPTIONVM BARBARORVM HISTORIAM,
Commentariis ampliatam & illustratam.

Maximam ut artificem se aperit Natura minutis
In rebus, miris ingeniosa modis;
Dum rupem gemma, & superat luscinia corvum,
Et fons torrentes ubere jugis aquæ:
Æmula naturæ sic ars, PVTEANE, *libellos*
Perficit argutâ dexteritate tuos.
Torrentem referunt, qui aliena inventa retractant:
At tua de ingenii gurgite scripta fluunt.
Non videt hoc, quisquis manibus, non mente volumen
Mensus, plùs oculis quàm videt ingenio.
Hic judex Florum, & Iustinum damnet iniquus,
Et quam Sulpitius condidit Historiam:
Gemmea Plutarchi, & Senecæ monumenta releget,
Quicquid Aristoteles, composuitq́ Plato.
Singula parva quidem sunt, ut vulgata fuerunt;
Iuncta sed in vastum continuantur opus.
Non ego suaderem illius servire palato,
Qui non pondere opus, sed modò mole probat;
Ingenii, nisi vena tui, PVTEANE, *valeret*
Explere & doctos, & satiare rudes.
Explebit doctos, at non satiaverit unquam
Hic qui fata liber totius Orbis habet.
Certat cum pretio moles: Magnúmque Bonúmque
Plus est, quàm humanæ conditionis opus.

DIODORVS TVLDENVS,
Iuris Professor Regius.

PARENTI OPTIMO

ERYCIO PVTEANO,

ΤΩ ΠΑΝΥ,

FACEM BARBARICI TEMPORIS

Mundo accendenti.

ROMÆ decus ſurgentis, & florem ImperI,
Mavorte claram proſpero potentiam,
FLORVS venuſtum miſit in compendium:
Quid tu? PATER, quid æmulo FLORI ſtilo
Romæ cadaver, atque funus ImperI,
Et BARBARORVM ſæva rabie prœlia,
Cruenta ſceptra, temporum caliginem
Conſtringis? atque rurſus Explicas? Manum
Miror tuam, mentemque miror Dædalam.
Quæ namque facta maximè ſunt ardua,
Quæ nube tecta, quæque plures neſciunt,
Tui putâſti digna viribus ingenI,
Tui putâſti digna calami acumine.
Nil ergò nox, nihil poterit oblivio,
A BARBARIS infuſa: utramque diſſipas.
IRRVPTIONVM quot libri, tot ſunt faces;
Ipſique COMMENTARII, alteræ faces.
Opus coruſcum, lumen hoc volumen eſt;
Quo temporum vices licebit omnium,
Et fata, Sole clariùs diſtinguere,
Romana malis, ſive malis BARBARA:
Licebit uno, quicquid omnes continent
Rubiginoſo & inficeto à ſæculo
Libri, libro videre; quod nec continent.
FACEM dediſti: Sol eris caligini.

IVSTVS CÆCILIVS PVTEANVS
Suo, & ſeptem Fratrum nomine,
F. S. M. A. H. A. V.

VEL

VELLEIVS

PATERCVLVS.

APPARET, *quemadmodum Vrbium, Imperiorùmque; ita Gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.*

SENECA LIB. III. NATVRAL. QVÆST.

NESCIT *Fortuna quiescere, gaudet lætis tristia substituere, & utraque miscere. Itaque in secundis nemo confidat, in adversis nemo deficiat: alternæ sunt vices rerum. Quid exsultas? Ista quibus veheris in summum, nescis ubi te relictura sint: habebunt suum, non tuum finem. Quid jaces? ad imum delatus es: nunc est resurgendi locus. In melius adversa, in deterius optata flectuntur. Ita concipienda est animo varietas, non privatarum tantùm domuum, quas levis casus impellit, sed etiam publicarum. Regna ex infimo coorta, supra imperantes jacuerunt. Vetera Imperia in ipso flore cecidêre. Iniri non potest numerus, quàm multa ab aliis fracta sint: nunc cummaximè Deus alia exaltat, alia submittit; nec molliter deponit, sed è fastigio suo nullas habitura reliquias jactat. Magna ista, quia parvi sumus, credimus. Multis rebus non ex naturâ suâ, sed ex humilitate nostrâ magnitudo est. Quid præcipuum in rebus humanis est? Non classibus maria complesse, nec in rubri maris litore signa fixisse, nec deficiente terrâ ad injurias aliorum errasse in Oceano, ignota quærentem: sed animo omne vidisse, & quâ nulla est major victoria, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui urbes, qui populos habuêre in potestate: paucissimi, qui se.*

AVSO-

AVSONIVS

IN VRBIBVS.

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores; tum duplice muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, & inclusi moles cuneata theatri:
Templa, Palatinæque Arces, opulensque moneta,
Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaque in valli formam circumdata limbo.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt; nec juncta premit vicinia Romæ.

LVCANVS LIB. VII.

Hæc & apud feras gentes, populosque nepotum
(Sive suâ tantùm venient in sæcula famâ,
Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris
Nominibus prodesse potest) cùm bella legentur;
Spesque metusque simul, perituraque vota movebunt.

Typographvs Lectori.

In Operis hoc vestibulo litteræ formâ similes, promiscuè alibi collocatæ. In Patrocinio Barbarorum, pag. 8. *lin.* 29. *lege* Philosophorum. *In Epistolâ Chiffletianâ, pag.* 1. *lin.* 4. totum. *lin.* 19. Italiæ. *Pag.* 2. *lin.* 19. THIL Ω. *lin. ult.* XXIX.

ERY-

ERYCI PVTEANI

HISTORIÆ INSVBRICÆ

LIBER I.

BREVIARIVM.

PRæfatio, *Argumentum ſcriptionis, & ſimul exemplum continens. Inſubrum fines, Vrbs, & varia ab antiquo Fortuna. Vrbs à Romanis tandem victa, florere magis cœpit, Cæſarum, etiam Chriſtianorum ſedes. Imperii inclinatio. Prima Gothorum in Italiam Irruptio, quâ Roma capta ac direpta. Altera, Hunnorum, quâ Mediolanum excîsa. Hæc è ruderibus reſurgit, regitur à Ricimere, qui in Anthemium Imperatorem, ſocerum ſuum, arma movens, Romam expugnat. Tertia Irruptio, Herulorum. Ab his iterum Mediolanum, ac deinde Roma capta. Redeunt Gothi, in Herulos pugnant, mox amici. Atque interim gravi vulnere Inſubres ab Heduis affecti. Theoderici Regis fortuna, mores, interitus. Ejus ſucceſſores. Athanaricus, cum matre Amalaſuentâ. Hinc Theodahatus, Vitiges, Vdobaldus, Totilas, Tejas. A Vitige Mediolanum, quia ad Iuſtinianum defecerat; à Totilâ deinde Roma miſerabili ſtrage, diruta. Gothi agros Inſubrum à Narsete ſibi pacti, ad quietem veniunt.*

PRÆFATIO.

NATVRÆ Genio[1] felix Italia, viris virtutibúsque potens,[2] Orbi terrarum, & utrique simul fortunæ par olim fuit. Sed quibus laboribus victoriisque crevit, calamitatibus depressa est: ut scias nihil in rebus humanis[3] maximum esse, & durare posse. Freto Alpibúsque cincta, & à reliquâ naturâ velut secreta, Orientem atque Occidentem armis junxit, mundíque terminos, suos constituit; ut domi tandem ne libertatem quidem inveniret.[4] Subegit omnia, ut periret sæpius, omniúmque ultimùm fortunam, rebus conversis, subiret. Sic unius Historia gentis, & potissimùm INSVBRVM, videtur Orbis totius esse. Hi velut in limine beatissimæ provinciæ positi, & ab origine inquieti, majorem paullatim Fortunæ impetum provocârunt. Romanorum, si fas dicere, quondam victores, deinceps æmuli, aut amici,[5] Barbarorum omnium rabie concussi sunt, incertùm clade, an virtute nobiliores. Tam illustre ambigui exemplum fati scribere aggredior, onúsque,[6] munere incitatus meo subeo, cui impares hæ vires sint,[7] nisi immensam rerum magnitudinem stili compendio contraham, varietatemque velut Epitome complectar. Cælum ipsum, quo nihil post Deum majus sublimiúsque, in picto homines globo exprimunt, atque sanctissimam naturæ machinam pænè ridendis angustiis claudunt. Tot sidera & lumina vincunt oculi, sed simulacro fracta. Etiam terræ molem eadem solertia ad imaginem ducit, spithamæ subjicit, pugno concludit, talémque reddit, qualis è cælo appareret: & mireris tamen, sic quoque lineis, zonis, aquis suis distinctam esse. Prudens Scriptorum facundia non dissimili ingenio magnarum rerum[8] invenit Breviaria, & Historiæ litavit.[9] Florus quidem Populi Romani, tanquam generis humani facta, à Romulo ad Cæsarem Augustum pulcher-

pulcherrimo, & simul absolutissimo Enchiridio absolvit, cum aliquo fortasse molis damno, nullo veritatis. [10] Iustinus (ut cæteros omittam) quicquid Herculeâ audaciâ scribere Trogus Pompeius potuit, persecutus est; aut quicquid ubique gentium Reges, Populi, Vrbes gessêre. Historiam quoque Sacram erudita [11] Sulpitii Severi pietas contraxit, geminóque dicere libello potuit, quicquid tot voluminibus non suo ingenio, sed numinis instinctu familiares Deo viri tradiderunt. Hoc exemplo incitatus, Insubrum audeo bella & calamitates AB ORIGINE breviter tradere, déque Populo, apud quem vixi, & famæ fundamenta posui, bene mereri. Audeo, inquam, Sulpitii, Iustini, Flori ingenium sequi; &, cùm IRRVPTIONES BARBARORVM IN ITALIAM describo, fata Orbis terrarum repræsentare.

COMMENTARIVS.

1. FELIX ITALIA.] Italia, quam vetustiores Oenotriam dixêre, sive à tauris dicta est, quos, ut Varro ait, Ἰταλοὺς Græcia antiqua vocabat; sive, ut Festus, aliíque, ab Italo Rege. Angustioribus primùm terminis nomen claudens, ab Alpibus postea ad fretum Siculum longitudinem extendit. Plinio lib. III. cap. V. *terra omnium terrarum alumna* dicitur: *eadem & parens, numine Deûm electa, quæ cælum ipsum clarius faceret; sparsa congregaret imperia, ritúsq; molliret, & tot populorum discordes feráſque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret: brevitérque, una cunctarum gentium in toto Orbe Patria fieret:* & quæ sequuntur. Item lib. ultimo cap ultimo: *In toto Orbe, & quacumque cæli convexitas vergit, pulcherrima est omnium, rebúsque meritò principatum naturæ obtinens Italia, victrix paréntque mundi altera, viris, feminis, ducibus, militibus, servitiis, artium præstantiâ, ingeniorum claritatibus.* Videndus Strabo lib. V.

2. ORBI TERRARVM.] Ad rem Florus lib. II. cap. I. *Domitâ subactáque Italiâ, Populus Romanus propè quingentesimum annum agens, cùm bonâ fide adolevisset, si quod est robur, siqua juventa, tum ille verè robustus & juvenis, & par Orbi terrarum esse cœpit. Itaque (mirum & incredibile dictu) qui prope quingentis luctatus est (adeò difficile fuerat dare Italiæ caput) ducentis annis Africam, Europam, Asiam, totum denique Orbem terrarum bellis victoriisque peragravit.*

3. MAXIMVM ESSE, ET DVRARE POSSE.] Declamator apud Senecam Rhetorem. *Nunquam in solido stetit superba felicitas, & ingentium imperiorum magna fastigia oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt. Scias licet ad finem pervenisse, quæ ad invidiam perducta sunt.*

4. SVBEGIT OMNIA, VT PERIRET SAEPIVS.] Seneca

 Epistolâ

Epistolâ LXXXVII. tanquam vates scribit: *Nimis luxuriose ostentari gentium spolia: quod unus populus eripuerit omnibus, faciliùs uni ab omnibus eripi posse.*

5. BARBARORVM OMNIVM RABIE CONCVSSI.] Prima Irruptio Gallorum fuit, duce Belloveso: de quâ Livius, lib. V. Sanè Insubres Galli dici cœperint, an Galli Insubres, dubium. Nam Insubrum pagus apud Heduos. Et Cato: *Penetravère trans Alpes Boji, Senones, Insubres, & alia Galliæ Transalpinæ gentes.* Livius quoque, *Agrum Insubrium appellatum fuisse* scribit, *cognomine Insubribus pago Heduorum.* Anno deinde V. C. IↃC. XLII. Teutoni, Tigurini, Cimbri in Italiam irruunt, à Mario victi. Plutarchum adi, Appianum, Orosium, alios. Nos quæ Florus & breviter & eleganter, ad calcem Operis adjecimus. Anno Christi vulgato CCCC. XII. duce Alarico Gothi in Italiam irruunt, & pervastatis mediis, Romam capiunt diripiúntque. Sequitur Attila, & Mediolanum expugnat. Mox duce Odoacro Heruli cum Turcilingis, Scyris, Rugis, & Vrbem Hunnis eripit. Redeunt Gothi, Theoderico Rege. Atque interim Insubrum provinciam Theobaldus Heduorum tyrannus invadit ac vastat. Mediolanum Theoderico deditur. Narses pugnat quoque, & Herulos, Hunnos, Longobardos ducit. Hi imposito Provinciæ nomine, Barbaro jure regunt omnia, donec à Francis victi. Reliqua in ipsâ Historiâ. Posteritas deinde Caroli Magni inter se collisa, varia regioni vulnera intulit: Italici quoque, dum Regnum moliuntur. Vt quiescere Fortuna deinceps non potuit: ita è calamitatibus calamitates natæ.

6. MVNERE MEO.] Historiographico: quod Anno ∞. IↃC. III. à PHILIPPO III. acceperam; sed limitibus rerum Mediolanensium terminatum. Auctum à PHILIPPO IV. Anno ∞. IↃC. XXII. ut ad omnes omnino provincias extenderetur.

7. NISI IMMENSAM RERVM MAGNITVDINEM CONTRAHAM.] Florus: *Quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerúmque diversitas aciem intentionis abrumpit, faciam quod solent, qui terrarum situs pingunt, in brevi quasi tabellâ totam ejus imaginem amplectar.* Sextus Rufus: *Morem secutus calculatorum, qui ingentes summas æris brevioribus exprimunt; res gestas signabo, non eloquar.* Æra autem, sive summæ æreæ, supputationes sunt, vel numeri: quod Grammatici sciunt.

8. INVENIT BREVIARIA.] Plura sunt: sed præcipuè laudare Flori, Iustini, Severi industriam libuit; ut absolutum Historiæ compendium designaretur. Etenim Severus res Sacras complexus est, reliqui profanas. Sed Iustinus maximè Græcas, Florus Romanas. Adde hos libellos nostros, & simul Barbaras habebis.

9. FLORVS.] L. Annæus Florus sub Trajano vixit, filius L. Iulii Flori Secundi, qui flos Eloquentiæ Gallicæ à Quinctiliano lib. X. appellatur. Populum R. quasi hominem consideravit, & in quatuor ætatis gradus distinxit: *ut cœperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut posteà velut consenuerit.* Tot igitur libri sunt, omnino pulchri, floridi, & singulari Oratione à nobis laudati.

10. IVSTINVS.] Trogi Pompeji Historiam contraxit, & ut ipse ait, *breve veluti florum corpusculum fecit.* Quo tempore vixerit, non satis constat. Citatur à D. Hieronymo, Prooemio in Danielem: *Ad intelligendas*

gendas

gendas autem extremas partes Danielis, multiplex Græcorum Historia necessaria est, præcipuèq; nostri Livij, & Pompeij Trogi, & Iustini, qui omnes extremæ visionis narrant Historiam.

11. SVLPITII SEVERI.] De Sulpitio Gennadius: vixisse cum D. Martino Turonensi Episcopo, & Paulino Nolano. Hujus Sacra Historia exstat, duobus libris distincta: Res autem à mundi exordio Sacris Litteris editas breviter constrinxit, & cum distinctione temporum usq; ad suam memoriam carptim dixit.

HISTORIA.

INSVBRES [1] Ticino & [3] Adduâ, [4] Pado & [5] Alpibus clausi, Metropolim MEDIOLANVM habent, sed origine obscurâ. Hanc nesciri aut confundi, illustre antiquitatis signum est: nec pulchriori monumento durat rerum memoria, quàm cùm quæri eæ debent, & citra primordia investigantium industriam fatigant. Sic dum dubiâ antiquitate incunabula sua Roma inquisivit, [7] Martem invênit Conditorem, & hominis opus [8] Deo adscriptum est. [9] Mediolanum nisi ad [10] Minervam, olim hîc cultam, novâ superstitione referas, [11] Virginúmque dicas Vrbem, non unius conditoris opus putem. Crevit ipsum nomen, Catonis modò fragmentis fides, & [12] Olanum ab origine appellatum, ut Tusco auctori Medus Insuber accederet, suáque dignum gente vicum ampliaret. [13] Bellovesus igitur, qui Gallos per Alpes, & juncta cælo juga in alium velut Orbem terrarum duxit, non condidit urbem, quod plerisque visum, sed suam fecit & coluit, velut novus parens. [14] A Situ tamen, tanquam inter amnes mediam dicunt aliqui, linguarum consensu: aliqui ab [15] amœnitate vernâ. Sed hæc ipsa ingeniorum quædam amœnitas est. [16] A Sue lanigerâ, ibidem inventâ, nomen derivare, ridiculum est; nisi pro vero censeam, quicquid fabulosâ amœnitate arridet. Ad elevandam fidem satis; [17] Poëtæ creditur.

COMMENTARIUS.

1. Insubres.] Varia hujus nominis scriptura. Ἴσομβρες Polybio vocantur, & Ἴσομβροι; Stephani verò Epitomatori Ἰνσόβαρες. Verba annecto: Ἰνσόβαρες, ἔθνος κελτικὸν πρὸς τῷ Παδῷ, οὓς καὶ Ἰνσόβρας φασίν: *Insobares Celtica gens ad Padum, quos & Insobres vocant.* Dionysius Afer Insubres quoque inter Celtas numerat:

Τοῖς δ' ἔπι Πυρηναῖον ὄρος, καὶ δώματα κελτῶν,
Ἀγχόθι πηγάων καλλιρρόου Ἠριδανοῖο.

Quos versus Priscianus; vel, ut alii volunt, Rhemnius Fannius, in hunc modum transtulit:

— *Post hunc & Celtica tellus,*
Eridani fontis contingens rauca fluenta.

Insubres nonnulli dictos putant quasi *Subimbres*, & *imbribus subjacentes*: Alpium enim pluviâ, & fluminibus, lacubúsque suis, abundè rigantur. Alii per ἀντίφρασιν sic vocatos, quasi diluvio, largísque illis imbribus superfuerint. Sic & Umbros Græci Ombrios dixêre: quos Plinius lib. III. capite XIV. antiquissimam Italiæ gentem existimatam fuisse scribit. Vide simul Florum, & emenda, lib. I. cap. XVII. *Etruscorum XII. populi in id tempus incitati, Antiquissimus Italiæ populus Samnitium, reliqui in excidium Romani nominis repentè conjurant.* Legendum enim: *Etruscorum XII. populi; Umbri, in id tempus intacti, antiquissimus Italiæ populus; Samnitium reliqui.* Ad rem: in antiquo M. Valerii Messalæ nummo INSUBRIA ponti inscripta legitur: quod nomen ad Urbem, an ad provinciam referendum sit, dubites.

2. Ticino.] Ab Occasu. Hic fluvius in tabulis itinerariis Ticenus. Oritur ex monte Summano, quem Divi Gothardi appellamus; unde & Rhodanus, & Rhenus, & Italiæ fluvius Athesis, originem ducunt. Ex hoc monte per Lepontios, ad Belinzonam oppidum fertur, inde auctus aliorum accessione amnium, & torrentium, in lacum Verbanum evolvitur; cui ob latitudinem *Majoris* hodie cognomentum est. Hunc lacum supermeat, ut Plinius auctor est lib. II. cap. CIII. & tandem per planiciem Padum petit; multísque derivationibus, ac fossis in pascua deducitur. Tam est pellucidus aquis, ut quidvis etiam minimum in fundo liquidò videatur. Piscibus est nobilis, & præcipuè Thymallo. Blondus errat, cùm adserit, hoc flumen priùs Sebino lacui, qui nunc Iseus, misceri, deinde in Verbanum influere. Maximum enim inter hos lacus intervallum est; & qui è Sebino fluit fluvius, Ollius vocatur. Notat Livius lib. V. non procul hoc fluvio Etruscos à Gallis, duce Belloveso, fusos; item Pontem Romanos in eo, Hannibalis expugnandi gratiâ, struxisse; prælúmque juxta eum commissum, quo patrem Scipio filius, adhuc prætextatus, postea Africanus, vulneratum ab ipsâ morte rapuit.

3. Abdua.] Ab Oriente. Aliis scribitur Addua. Polybio & Straboni Ἀδδούας, hodie *Adda* vocatur. Celebravit eum Ambrosius Bissius Mediolanensis versibus suis, Vir præstantis ingenii, & apud Insubres mihi inter primos Amicorum. Quidam dictum volunt à voce Græcâ ἄδυα, quasi ab inaccessis montibus. Nam Mediolanensium agrum, quà ad Alpes vergit, quondam Græcæ nationis populi Orobii incoluerunt, ut nomen indicat, & Plinius refert, lib. III. cap. XVII. Hinc fortè Orona ἀπὸ τῶν ὀρῶν, quòd è collibus Orobiorum fluat, & Comum ἀπὸ τῆς κώμης, id est, villâ, vel ἀπὸ τοῦ κώμου, Deo Comessatio-

ſationum: quo nomine Phageſipoſia mea conſcripſi. Multi etiam in hoc tractu vici, oppidáq;, græcâ origine dicuntur, ut notavit Gaudentius Merula, lib. I. cap. VII. Antiquit. Gall. Ciſalp. Fluvius hic dividit Cenomanos ab Inſubribus, & è Braulio monte defluit in lacum Larium (parùm conſideratè Strabo notavit ex Adulâ Monte naſci) & inde, in Padum tendit, ſecúmq; defert Piſclavonem, Meiram, Liram, Tartenem, Lecium, Orcum Brembum, Serimortum, Serium, qui è Montibus ſupra Bergomum ortus, hibernis menſibus, cuniculis quibuſdam ſe condit, rurſúſque juxta Cremam exoritur. Æſtate ſolet augeri liqueſcentibus nivibus, & perpetuò ſupra terram fluit. Ex Abdua, Franciſcus Sfortia hujus nominis primus, foſſam Mediolanum deduxit. Vide Coſmograph. Merulæ.

4. PADO.] A Meridie. Dictus Padus, ut notat Plinius, quòd circa fontem arbor multa ſit picea, quæ pades Gallicè dicta. Græcis Latiníſque Poëtis Ἠριδανός, à Solis filio Phaëtonte, qui, ut notat Servius, antequam per temeritatem in hunc fluvium eſſet præcipitatus, Eridanus fertur appellatus. Liguribus Bodincus, teſte Plinio, vocabatur, quòd fundo careat. Polybio Βόδεγκος. Padi pater eſt mons Veſulus, in finibus Ligurum Gabienorum, vel ut alii, Vagiennorum, è quo fragore & ſtrepitu dilabitur: mox augetur duobus Duriis, & Morgo fluminibus, vehitúrque per Taurinorum agrum, in quo navigabilis eſſe incipit. Infinitos deinde fluvios recipit (triginta Plinius lib. III. cap. XVI. & Solin. cap. VII. dumtaxat putaverunt, ſed hodie ſupra quinquaginta numerantur) quibus auctus, mare petit, &, ut Seneca in Quæſt. Natu. ait: terram eviſcerans, tandem ſe in mare Hadriaticum, ſeptem oſtiis prægrandibus exonerat: & quia longiùs aquam vomit, ſeptem maria dictus eſt efficere. Qui plura cupit de hoc curſu, videat Plinium libro & loco citatis. Polyb. II. Strabon. V. Pompon. Mel. lib. III. Solin. in Polyhiſt. cap. VII. Virgil. IV. Georgic.

Et gemina auratus Taurino cornua vultu
Eridanus, qui non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.

Si novitii Scriptores placent, M. Antonium Sabellicum aſſigno, qui lib. I. Hiſt. Venet. Decad. IV. latiſſimè, & curſum, & Padi oſtia deſcribit. Padum vocat Virgil. IX. Æneid. *Regem Fluviorum*. Lucanus lib. II. *non minorem Nilo*; & alibi: *non minorem Iſtro.* Appianus lib. I. Bellor. Civil. *Maris Hadriatici intimum ſinum*. S. Ambroſius, *maritimorum commeatuum fidum invectorem*. Ariſtoteles credit populos, in memoriam Phaëtontis, hîc electri lacrymas plorare. Dioſcorides credit pariter ſuccinum è populo in Padum cadere; & durari, coiréque in lapidem pretioſi generis; idémque Paulus Ægineta. Sed Solinus à Barbaris in Galliam Ciſalpinam inferri adſeverat, quod cùm Græci inſpexiſſent, facilè crediderunt in Italiâ naſci: addítque, certiſſimum eſſe, non aquâ ſuccinum; ſed ut cryſtallum vehementi frigore in Gleſſariâ, Inſulâ Septemtrionalis Oceani, durari. Nec mirum, ſi Græci, antiquiores inquam, electri naturam ignoraverint, cùm maximè dubitaverint, ubi nam gentium eſſet Eridanus. nam Strabo ait: Eridanum nuſquam reperiri. Æſchylus in Iberiâ eſſe prodit, & Rhodanum appellari. Apollonius Padum, & Eridanum in Adriam influere. Solus quidem Euripides locum fluminis intellexit, & expreſſit, *Diligi marinam undam Adriatici littoris, ab Eridani aquâ*. Quicquid dici poteſt, à Phi-

Philippo Cluverio in Italiâ Antiquâ dictum est.

5. ALPIBUS.] Has Septentrio Insubribus objicit, à candore, ut Festus scribit, appellatas. Sabini enim *Alpum* dixêre, quod postea Latini *Album*. Omnibus montibus, qui Italiam à Galliâ, & Germaniâ dividunt. Antiquitas nomen Alpium indidit. Imò Ausonius, non timet etiam Pyrenæis montibus Alpium vocabulum tribuere, Epistolâ XXIII. ad Paulinum:

Nunc tibi trans Alpes & marmoream Pyrenen
Cæsareæ Augustæ domus est: —

Et Epistolâ XXV. ad eundem:

Tristis, egens, deserta colat tacitúsque pererret
Alpinis connexa jugis. —

A. Gellius quoq; Hispanos, Alpinos vocat è Catone. Verba sunt: *Cùm de Alpinis Hispanis scriberet, qui circa Iberum colunt*, verba hæc posuit. Sed Alpibus multa nomina indita fuêre, quæ singula hic breviter adjungam: quoniam eorum in hisce libris crebra mentio. Commemorantur imprimis, *Maritimæ*, quæ & *Liguſticæ* & *Ligurum Alpes* variis Auctoribus nominatæ Ab his principium Alpibus veteres plerique posuerunt. Nunc aliquibus placet ab Istriâ, & Arsiâ fluvio incohare. Maritimas verò sequuntur *Cottiæ*, Suetonio *Coctiæ*, Tacito *Coctianæ*, Ptolemæo Κότιαι. Cottiæ dictę, ut est apud Paulum Diaconum, in Longobardicis, à Rege Cottio. Per hæc juga Carolum Magnum in Longobardos duxisse exercitum nonnulli scribunt: certè è Galliis Romam euntibus usitatum hodie iter est. Imaginem si quæris, ex Ammiano Marcellino propono, & alienis verbis, horridus dico, an amœnus sum? lib. XV. *Ad solis ortus attollitur* (Galliarum plaga) *aggeribus cedit Alpium Cottiarum, quas Rex Cottius, perdomitis Galliis, solus in angustiis latens, inviâq; locorum asperitate confisus, lenito tandem timore, in amicitiam Octaviani receptus Principis, molibus magnis exstruxit ad vicem memorabilis muneris compendiarias, & viantibus opportunas, medias inter alias Alpes vetustas, super quibus comperta paullò postea referemus. In his Alpibus Cottiis, quarum à Segusione oppido initium est, præcelsum erigitur jugum, nulli ferè sine discrimine penetrabile. Est enim è Galliis venientibus, pronâ humilitate devexum, pendentium saxorum altrinsecus visu terribile, præsertim verno tempore, cùm liquente gelu, nivibúsque solutis, flatu calidiore ventorum, per diruptas utrimque angustias & lacunas pruinarum congerie latebrosas, descendentes cunctantibus plantis homines & jumenta procidunt, & carpenta. Idq; remedium ad arcendum exitium repertum solum, quod pleraque vehicula vastis funibus illigata, ponè cohibente virorum vel boum nisu valido, vix gressu reptante, paulò tutiùs devolvuntur. Et hæc, ut diximus, anni verno contingunt. Hieme verò humus crustata frigoribus, & tanquam lævigata, ideoq; labilis, incessum præcipitantem impellit, & patulæ valles, per spatia planâ glacie perfidæ, vorant nonnunquam transeuntes: ob quæ locorum callidi eminentes ligneos stylos per cautiora loca defigunt, ut eorum series viatorem ducat innoxium: qui si nivibus operti latuerint, montanis defluentibus rivis eversi, agrestibus præviis difficilè pervaduntur.* Post Cottias Graiæ sunt: quas Herculem transisse Plinius refert: at Livius rejicit, & inter fabulas ponit. Dicuntur Tacito IV. Hist. *Graius saltus*; Senecæ in Epistolis, *Graius Mons*. Hodie verò, suffragio eorum qui nuper scripsêre, *Mons minor S. Bernardi*. Grais vicinæ sunt Penninæ. Has autem tanquam Pœninas Hannibalis Pœnorum ducis transitu nominatas censent

ſent Plinius, Ammianus Marcellinus, & alii. Accedit Iuvenalis, Sat. x.

Diducit ſcopulos, & montem rumpit aceto.

Contrà Polybius, libro III. Magnâ rationum fiduciâ oſtendit, etiam ante Hannibalem Alpes patuiſſe. Livius autem lib. XXI. à *Pennino* (putant alii *Penno*) Deo nominatas innuit, quem in ſummo harum Alpium vertice Veragri colebant. Quidam hunc Deum, Herculem autumant: & per has Alpes Cæſarem tranſiiſſe. Malè: cùm hic, Romam petens, per Maritimas exercitum duxerit. In hoc errore etiam Petronius:

— *Exuit omnes*
Quippe moras Cæſar, vindictaq; auctus amore
Gallica projecit, civilia ſuſtulit arma:
Alpibus aëriis, ubi Graio nomine pulſa
Deſcendunt rupes, & ſe patiuntur adiri,
Eſt locus Herculeis ſacer aris, hunc nive durâ
Claudit hiems, canóque ad ſidera vertice ſurgit.
Cælum illic cecidiſſe putes.

Alii ſic appellatas, tanquam *Pinninas*, ab eminenti cacumine, quod inſtar pinnarum eſt. Sequuntur *Summæ*, quas aperire voluiſſe C. Cæſarem, auctor eſt Marlianus; ut commodiore itinere, à citeriore Galliâ, in Veragros eſſet profectio. Summis adhærent *Lepontiæ*, & his, quemadmodum ſcribo, Inſubres clauduntur: quà ab Vraniis Helvetiis in Italiam iter eſt, vulgò *S. Gothardi Mons.* Incolis Græcam originem Plinius attribuit: ſuntque fere omnes, Sfortiacorum Ducum ignaviâ, ſub Helveticorum hodie poteſtate; ut etiam Bilitionis caſtrum, quod *Belinzona* vocatur. Succedunt *Rhæticæ*, nomine à Rhætis Thuſcis accepto, qui Galliam citeriorem colebant, & poſtmodum pulſi à Belloveſo Rege, in præruptas Alpium crepidines ſe receperunt. Nunc *Griſones* appellantur; & in linguam, imò mores Helvetiorum tranſiverunt. Livius libro v. de Thuſcis loquens: *Alpinis quoque ea gentibus haud dubiè origo eſt, maximè Rhætis: quos loca ipſa efferârunt; ne quid ex antiquo, præter ſonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent.* Rhæticarum Alpium excelſiſſimi montes ſunt Adula, qui Rhætis hodie *Culmen Ocelli*, & mons Spelugæ, qui *Culmen Vrſi* appellatur. De horum altitudine ſic Claudianus:

Sed latus Heſperiæ, quà Rhætia jungitur oræ,
Præruptis fert aſtra jugis, panditque tremendam
Vix æſtate viam: multi ceu Gorgone viſâ
Obriguêre gelu; multos hauſêre profundæ
Vaſtâ mole nives; cumq; ipſis ſæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur ſæpe barathro.

Rhæticas excipiunt *Tridentinæ*, quarum unum quidem Plinium meminiſſe legi. Tridentinas *Iuliæ Alpes*, à Iulio Cæſare nomen ſortitæ, ut nonnulli volunt; & citant Sextum Rufum, qui ſcribit, Iulio & Octaviano Imperatoribus, per has Alpes iter factum. Etiam hodie apud incolas nomen manet. Ammianus lib. XXXI. ab antiquis dictas eſſe *Venetas* notat. *Carnicæ* tandem Alpibus finem faciunt: nomen à Carnis habent, qui hodie *Krainer*. Vocantur etiam *Noricæ*, ſicuti & Iuliæ ſolent: quia Noricum, Germaniæ regio, iis adjacet. Hæ faciles aditu, & minùs arduæ. Quo verò loco Alpes ſint *Atrectianæ*, adhuc quæro. Harum autem mentio in antiquâ hac inſcriptione:

T. APPAEO. T. F. VEL
ALPINIO. SECVNDO
PROC. AVGVST. XX. HERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR
PRAEF. VEHICVL

Clauſi igitur Inſubres Lepontiis Alpibus, & Pado, Ticino, Abduâque

fluminibus. Situm provinciæ & fœcunditatem, hominum multitudinem, corporum magnitudinem, nec non audaciam in bellis manifestam & insignem, non satis exprimi posse, testatur Polybius lib. 11. Inter alia, Initio Insubres vicatim habitasse, sine muris, neque supellectilis ullum novisse usum: simplicem vivendi modum fuisse, & quem natura docuerat: præter militiam, & agricúlturam, nullam aliam tractasse artem.

10. INCVNABVLA SVA ROMA.] Ita narrat Plutarchus in principio vitæ Romuli: *Ingens Romæ nomen, quod gloriâ apud omnes gentes eſt decantatum, haud convenit inter ſcriptores, à quo Vrbs, & quâ de cauſſâ invenerit; ſed Pelaſgos, cùm majorem partem percurſaſſent Orbis, plurimasq́ devicissent nationes, eam oram quidam auctores ſunt, tenuiſſe, atque è ſuo in armis robore, quod* Ῥώμη *Græci vocant, Vrbem Romam dixiſſe.* Deinde: Alios Romæ originem deduxisse à Trojanâ muliere nomine Româ, quæ Trojanas naves incenderat; alios à Leucariæ filiâ, Româ; alios à Telephi filiâ, Æneæ sponsâ. Quæ omnia referre hîc longum foret. Multa quoque Solinus cap. 1. Cumanæ Historiæ Scriptor, teste Pompeio Festo, Romam dictam scribit Valentiam, à Latinâ Iuventute, quod nomen adventu Evandri, Æneæq; in Italiam interpretatum, dici cœptum esse Romam.

7. MARTEM INVENIT CONDITOREM.] Patrem nimirum Romuli. Livius lib. 1. *Sed debetur, ut opinor, fatis tantæ origo Vrbis, maximique ſecundum deorum opes imperii principium. Vt compreſſa Veſtalis, cùm geminum partum edidiſſet, ſeu ita rata, ſeu, quia Deus auctor culpæ honeſtior erat, Martem incertæ ſtirpis patrem nuncupat.* Vide Messalam Corvinum de progenie Augusti, Florum, Iustinum, Eutropium. Aurelius Victor, è Fabio Pictore, & Vennonio scribit: *Solito inſtitutóque egreſſam virginem, in uſum ſacrorum aquam petitum ex eo fonte qui erat in luco Martis, ſubitò imbribus tonitrubúſque, quæ cum illâ erant disjectis, à Marte compreſſam, conturbatamq́: mox recreatam conſolatione Dei, nomen ſuum indicantis, affirmantisq́, ex eâ natos dignos Patre evaſuros.*

8. DEO ADSCRIPTVM.] Livius egregiè in Prooemio: *Datur hæc venia antiquitati; ut miſcendo humana divinis, primordia urbium auguſtiora faciat. Et, ſi cui populo licere oportet conſecrare origines ſuas, & ad Deos referre auctores; ea belli gloria eſt Populo Romano, ut cùm ſuum, Conditorisq́ ſui parentem Martem potiſſimùm ferat; tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiuntur.*

9. MEDIOLANVM.] Ita omnibus ferè Latinis Scriptoribus appellatur. Polybio verò, Straboni, Plutarcho, Procopio, Μεδιολάνιον. Sic crevit Vrbs; quin & cives syllabâ aucti sunt. Testes Inscriptiones, quas in ipsâ Vrbe vidi:

SACRO
SVSCEPTO
SORTIBVS. SVBLATIS
C. GALLIO
ATTICVS
MEDIOLANIENS

V. S. D. M
MAXIMVS. MAXIMINVS
PRIMITIVVS. VI. VIR
MEDIOLANIENS
SIBI .....

.... SVB. VR
SVIS. MEDIOLANIENS
RVFINAE. LIBERT....
.... VERA

Vrbi huic idem Procopius non sine elogio secundas in Occidente tri-

tribuit. A Suidâ πολυάνθρωπος πόλις, *Populosa urbs* dicitur: à Plutarcho in Marcello, μεγίςη καὶ πολυανθρωποτάτη τῶν γαλατικῶν, *Maxima & populosissima Gallicanarum:* à Strabone ἀξιόλογος πόλις, *Praeclara urbs*. Hodie etiam Magnae nomen obtinet. Pulchrum ab Ausonio elogium est:

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumerae cultaeq. domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores: tum duplice muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, & inclusi moles cuneata theatri:
Templa, Palatinaeq. Arces, opulensque Moneta,
Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctáque marmoreis ornata peristyla signis,
Moeniáque in valli formam circumdata limbo,
Omnia, quae magnis operum velut aemula formis
Excellunt; nec juncta premit vicinia Romae.

10. MINERVAM OLIM HIC CVLTAM.] Putes igitur aliquid hîc Athenarum fuisse. Quin & bello, quod Flaminius gessit, Insubrum Principes Polybius scribit, lib. II. signa militaria ex Æde Minervae deprompsisse. Templum hoc Christiana religio S. Salvatori, nec non D. Virgini Matri, postea D. Theclae sacravit, & primarium fecit. Moles hodie vastissima est, & marmoreo structurae miraculo adhuc surgit, incolarum pietatem simul extollens. Ad rem Alciatus:

Culta Minerva fuit, nunc est ubi nomine Thecla
Mutato: Matris Virginis antè domus.

11. VIRGINVMQVE DICAS VRBEM.] Vocabulum Vrbis si ad vocem Germanicae originis referamus, quae lingua etiam Gallorum fuit, erit *Megde-landt*, sive *Meidel-landt*, id est, *Virginis terra*, & fortassis *Minervae*. Non frustrà, idem Alciatus:

Quam Mediolanum sacram dixêre Puellae
Terram: nam vetus hoc Gallica lingua sonat.

12. ET OLANVM.] Cato; si tamen is Cato: *Olanum antè ab Thuscorum duce, qui cum Orobiis colonis ibi primus insedit, quorum origo incerta: uti Comi, Bergomi, Licinofori, & aliquot circa populorum. Inde ab Insubrum Principe, nomine Medo, adaucta, Mediolanum nomen servat.* Ab hoc Olano unum etiam ostiorum Padi fortassis appellatum est.

13. BELLOVESVS.] Livius lib. V. *De transitu in Italiam Gallorum haec accepimus: Prisco Tarquinio Romae regnante, Celtarum, quae pars Galliae tertia est, penes Bituriges summa imperii fuit: ii Regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunâque, cùm suâ, tum publicâ praepollens: quod in imperio ejus Gallia adeò frugum hominumq. fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse jam exonerare praegravante turbâ regnum cupiens, Bellovesum ac Sigovesum sororis filios, impigros juvenes, missurum se esse in quas Dii dedissent auguriis sedes, ostendit. quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati Hercinii saltus. Belloveso haud paullò laetiorem in Italiam viam Dii dabant. Is, quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Aruernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit. Profectus ingentibus peditum equitumq. copiis, in Tricastinos venit. Alpes inde oppositae erant, quas inexsuperabiles visas, haud equidem miror, nullâ dum viâ (quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis credere libet)*

ſuperatas. Ibi cùm velut ſeptos montium altitudo teneret Gallos, circumſpectarentque quánam per juncta cælo juga in alium Orbem terrarum tranſirent, religio etiam tenuit; quòd allatum eſt, Advenas quærentes agrum ab Salyum gente oppugnari, Maſſilienſes erant hi, navibus à Phocide profecti. Id Galli fortunæ ſuæ omen rati adjuvère, ut quem primum in terram egreſſi occupaverant locum, patentibus ſilvis communirent. Ipſi per Taurinos ſaltúſque Iuliæ Alpis tranſcenderunt: fuſisq́; acie Thuſcis, haud procul Ticino flumine, cùm, in quo conſederant, agrum Inſubrium appellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Heduorum; ibi omen ſequentes loci, condidère Vrbem, Mediolanum appellârunt. Iuſtinus quoque lib. XX. *Gallis cauſſa in Italiam veniendi, ſedesq́; novas quærendi inteſtina diſcordia, & aſſiduæ domi diſſenſiones fuère: quarum tædio, cùm in Italiam veniſſent, ſedibus Thuſcos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Thuſci quoque, duce Rhæto, avitis ſedibus amiſſis, Alpes occupavère, & ex nomine Ducis gentes Rhætorum condiderunt.* Sed nos, ut Antiquitati faveamus, & ſanctiorem faciamus originem, in hanc ſententiam inclinamus: auctam magis, quàm conditam à Belloveſo Vrbem, tanquam à novo parente. Mediolanum enim tum temporis vicus, ut Polybius ait lib. II. modò erat: *Inſubresq́; initio habitabant vicatim ſine muris; neque ſuppellectilis ullum uſum nôrant.* Strabo quoque libro V. *Inſubres etiamnum extant, quorum fuit Metropolis Mediolanum, pagus olim (nam per pagos habitabant eâ tempeſtate univerſi) nunc Vrbs præclara eſt, trans Padum, & Alpibus ferè contigua.* Præterea, condere Vrbem, antiquis Auctoribus ſæpe idem eſt quod augere, inſtaurare: & hoc modò Livius, & Iuſtinus in eadem nobiſcum erunt ſententiâ. Audi Mamertinum in Panegyrico Maximiani: *Vrbem illam* (Romam) *ſic colas conditam, quaſi ipſe condideris. Reverâ enim, Sacratiſſimè Imperator, meritò quivis te tuumq́; Fratrem Romani Imperii dixerit conditores. Eſtis enim, quòd eſt proximum, reſtitutores; & ſit licet hic illi Vrbi natalis dies, quod pertinet ad originem Populi Romani; veſtri Imperii primi dies ſunt principes ad ſalutem.* Antiqua Mediolanenſium Chronica habent, à Belloveſo amplificatam, & ornatam Vrbem, muris XXIV. pedes latis, altis LXIV: turribus CXXX.

14. A SITV TAMEN.] Quaſi *Mid-landt*, quod Germanicè medium eſt, & velut terræ umbilicus. Vel quia medio loco inter amnes, Ticinum, Abduámque. Id & Iovius alibi indicat.

15. AMOENITATE VERNA.] Sanè *Mey-landt*, nihil aliud quàm ager Maii, ſive vernans. Ita eſt: felices naturæ beneficio hæ glebæ ſunt, & continuâ ſolum amœnitate quaſi ridet.

16. A SVE LANIGERA.] Heduos ferunt porci ſigno uſos, Bituriges arietis, ſive vervecis. Qui verò huic fabulæ fidem accommodârunt, aiunt, utrumque populum voluiſſe nomen Vrbi imponere: & vides igitur à monſtro, parte *mediâ lanato*, Mediolanum fingi. Quod dico, Alciatus quoque expreſſit:

Bitturicus vervex, Heduis dat ſucula ſignum:
His populis Patriæ debita origo meæ.

17. POETAE CREDITVR.] Claudiano nimirum, in nuptiis Honorii & Mariæ:

Iam Ligurum terris ſpumantia pectora Triton
Adpulerat, laſſosq́; fretis extenderat orbes;
Continuò ſublime volans ad mœnia Gallis

Con-

Condita, Lanigera suis ostentantia pellem,
Pervenit. — —
Imò & Sidonio Apollinari, lib. VII. Epistolâ XVII.
Rura paludicola temnis populosa Ravenna,
Et qua Lanigero de sue nomen habent.
Adhuc Mediolani in secundo fornice Palatii Sus insculpta visitur ovino vellere. D. Ambrosius ab Apro nomen derivat, qui *mediâ parte lanatus in Vrbis fundamentu fertur repertus*. Isidorus, non Aprum, sed *Suem in medio laneam inventam esse*, in Originibus suis tradit.

HISTORIA.

TAM varia fortuna ab annis propemodum ∞. ∞. hanc urbem commovit, ut nulla aut [1] acriùs concussa, aut pertinaciùs instaurata videatur. Lassavit tandem infesta fata, & omnibus calamitatibus major, ex incendiis cineribúsque pulchrior aliquoties resurrexit. Mireris, post tot ruinas aut superfuisse animos viris, qui repararent damna, aut toties agitatum, & eversum solum novarum patiens ædium fuisse. Sed urbs ne consenesceret atque desineret, innovari debuit; ut æterna esset, non semel exscindi. [2] Ignem passa, à flammis reluxit, & hostili, adeóque barbaro aratro proscissa, perpetuæ augurio fœcunditatis digna fuit. Vbi aliæ occidunt, hæc cœpit; sæpiúsque nasci meruit, quæ secunda Italiæ velut Roma esset.

COMMENTARIVS.

1. ACRIVS CONCVSSA, AVT PERTINACIVS INSTAVRATA.] Septies depressam fuisse, ex Historiis constat. Nos prima ejus vulnera & fata recensemus. Nam & ab Hunnis direpta, & ab Herulis occupata, & Gothis dedita fuit. A Belisario recuperata, iterum in potestatem Gothorum venit: postea in Longobardorum. Tandem à Vidone occupatur. Sed anno ∞. CLXV. à Frederico Barbarossâ funditus fuit exstirpata: & quod mireris, sexto tamen post destructionem anno adeò feliciter surrexit, ut aperto Marte cum hoste potentissimo, ferocissimóq;, & secundis præliis elato, dimicare ausa fuerit, & devictum, castrísque spoliatum, coegerit ab Alexandro Pontifice, qui tunc exulabat, turpissimis conditionibus pacem petere.

2. IGNEM PASSA, A FLAMMIS RELVXIT.] De Româ à Gallis igne, ferro, manibus solo exæquatâ Florus: *Pastorum casas ignis ille, & flamma paupertatem Romuli abscondit. Incendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac Deorum domicilio civitas, non deleta, non obruta, sed expiata potiùs & illustrata videatur?*

HISTORIA.

POPULUS naturâ ferox, & promiscuo bellorum eventu, cum Gallis, Hetruscis, Vmbris velitatus, tandem [1] Senonibus junctus, arma [2] in Clusinos, & quia partem agrorum, quos latiùs illi possiderent, quàm colerent, non impetraret, [3] in Romanos quoque movit. Hi pro sociis ac fœderatis intervenerant, & quos jure tueri nequiverant, [4] armis juvêre. Ergò pro Clusinis hostes Romani erant; quibus, duce Brenno, [5] ad Aliam flumen superatis, via [6] ad Vrbem strage aperitur. Iam in campis victa Roma, hostili furori patuit, & igni ferróque miserandum in modum vastata est. [7] Arx, urbísque reliquiæ mille auri pondo redemptæ, & quod omni clade fœdius erat, Væ Victis audiebatur. Actum de re Romanâ erat, nisi [8] Dictator exul pactionis fidem repentinâ violentiâ rupisset. Cùm pretium solveretur, suos ad armá vocat: quasi turpe auro agi, ubi ferrum superesset, pugnam instruit, dispersos atque imparatos invadit. Fraude, non virtute Insubres superati, cessêre fatis; & à populo tandem terrarum domino [9] debellari non puduit, postquam in partem magnitudinis victi venirent. Et tamen quantum Brennus potuit, plures postea tentârunt. Quid Britomarum, Ariovistum, Virdumarum referam, eâdem indole deinceps Reges? [10] Britomaro duce, cùm ad arma consurgerent Insubres, tantam victoriæ fiduciam ceperunt, ut non priùs [11] soluturos se baltheo, quàm Capitolium ascendissent, juraverint. Neque fusi animos remisêre. Etenim mox sub [12] Ariovisto de militum Romanorum prædâ [13] Marti suo torquem voverunt. [14] Ingens eo tempore terror Romanos invaserat: quippe nunciato Galliæ Cisalpinæ tumultu atque defectione, ad imperii præsidium vires Italiæ totius contractæ sunt, & L. Æmilio Papo, C. Atilio Regulo Coss. LXXX. millia Equitum, IↃCC. millia Peditum belli fœdere, & sacramento coiverunt. In exercitu Romano [15] tantum fuisse armatorum, quis credat? Amplius dicam: [16] verterunt terga, etiam cùm vix

vix pugnassent. Prælium [17] apud Aretium commissum: [18] Consul Atilius cum tribus millibus occubuit, reliquos retrò pavor egit. Virtute, an fortunâ deinceps vicerint, hinc conjice: tam pusillâ copiarum parte cæsâ, tanta agmina fugerunt. Felicior igitur, [19] non fortior Æmilius: iteratâ pugnâ [20] Insubres superavit magis, quàm domuit: & [21] Flaminius vincendo ad novum bellum incitavit. Ergò Virdumaro Rege reliquias virium fortunæ credunt: &, quia [22] auxilia Gæsatorum accesserant, erecti, arma hostium Vulcano promittunt. [23] Marcellus id [24] bellum confecit: at qui vir! victor Insubrum, sed ut [25] urbi parceret. Nam cùm in deditionem victos accepisset, [26] de Rege potiùs quàm gente triumphavit. Et Senatus [27] amicos quàm subjectos maluit, quos timere poterat, ornamentis etiam loco adjectis.

COMMENTARIUS.

1. SENONIBUS IUNCTUS.] Senones, ut Livius scribit, lib. V. *recentissimi advenarum, ab Vsente flumine, usque ad Athesim fines habuêre.* Oriundi ab iis, ut reor, Senonibus, quos Strabo vicinos Nerviis facit: vel ab iis, quos Ptolemæus in Galliâ Lugdunensi describit. Hos depingit in hunc modum Florus, libro I. cap. XIII. *Galli Senones gens naturâ ferox, moribus incondita, ad hoc ipsâ corporum mole perinde ac armis ingentibus, adeò omni genere terribilis fuit, ut planè nata ad hominum interitum, urbium stragem videretur.*

2. IN CLUSINOS.] Clusium urbs Thusciæ, potens & ampla olim, quam Porsenna Rex labyrinthis & variis structuris nobilitavit. Hodie *Chiusi* appellatur.

3. IN ROMANOS QUOQUE MOVIT.] Romanorum Legatis Galli hoc responsum dabant, ut est apud Livium, lib. V. *Etsi novum nomen audiant Romanorum; tamen credere viros fortes esse, quorum auxilium à Clusinis in re trepidâ sit imploratum. & quoniam legatione adversus se maluerint, quàm armis tueri socios; ne se quidem pacem quam afferant aspernari, si Gallis egentibus agro, partem finium concedant: aliter pacem impetrari non posse: & responsum coram Romanis se accipere velle: &, si negetur ager, coram iisdem Romanis dimicaturos, ut nunciare domum possint, quantum Galli virtute cæteros mortales præstarent.*

4. ARMIS IUVERE.] Legati tres, M. Fabii Ambusti filii, qui ad Gallos missi fuerunt, se jungunt copiis Etruscorum, & contra jus gentium arma capiunt, imò pugnant. unus è tribus, *Q. Fabius* (Livii verbis dicam) *evectus extra aciem equo, ducem Gallorum, ferociter in ipsa signa Etruscorum incursantem per latus transfixum, hastâ occidit; spoliáque legentem Galli agnovêre.* Legatos igitur Romam misêre, questum injurias, postulatúmque, ut pro jure gentium

tium violato Fabii dederentur: quia non obtinuerunt, à Gallis Romani pro hostibus habiti, in se belli molem traxêre.

5. AD ALLIAM SVPERATIS.] Allia, prælalto defluens alveo, *Crustumenis montibus*, infaustum, imò damnatum Romanis nomen, ut inquit Livius, *haud multam infra viam Tiberino amni miscetur.* Nempe infra viam Salariam, prope Eretrum, qui locus hodie *Mons Rotundus* appellatur. Sed Alliam esse, quem *Rivum Mossum* dicunt, manifestum est. Et volunt aliqui tanquam *Rivum mortis* appellari, à cruentâ illâ Romanorum cum Gallis pugnâ, XV. Kal. Sext. qui *dies Alliensis* dictus. *Hunc diem*, inquit Florus, *Româ fastis damnavit*. Ego de hac clade & hoc bello paucos admodum notabo, cùm Historici ferè omnes meminerint. Livius libro V. Valerius Max. lib. I. Plutarchus in Camillo, & Problem. XXIV. Auctor de Viris Illustribus, in Furio Camillo. Eutropius lib. I. A. Gellius lib. V. cap. XVII. Divuus Augustinus lib. II. cap. XXII. & lib. III. cap. XVII. de Civitate Dei. Vegetius lib. IV. cap. XXVIII. de re Militari. Virgilius libro VIII. Æneidos. Ovidius lib. VI. Fastor. Martialis in Distichis.

6. AD VRBEM.] Livius ait, Gallos haud multò ante Solis occasum ad Vrbem Romam pervenisse. Plutarchus verò, in vitâ Camilli, tertio post pugnam die Brennum ad Vrbem signa tulisse.

7. ARX.] Florus lib. I. cap. XIII. *Sex mensibus Barbari (quis crederet?) circa montem unum pependerunt, nec diebus modo, sed noctibus omnia experti.*

8. DICTATOR EXVL.] M. Furium Camillum innocentem L. Apuleius propter prædam Vientanam in exilium Ardeam egit. Ille motus Patriæ pietate, Ardeates ad pugnam adhortatus, primæ noctis silentio castra Gallorum intuta neglectáque invasit. Hoc modo vir Maximus se patrem Patriæ fecit, & ab exilio, quod nunquam meruerat, decreto Senatus est revocatus. Plutarchus in Parallelis, ex Aristide Milesio narrat, Romanos ancillis stolâ indutis aliquando à Gallis salutem redemisse. Cujus verba pigeret adjungere, nisi generosiùs foret, deceptâ libidine hostem superare, quàm violatâ fide. *Atepomarus Gallorum Rex bello Romanos infestans, professus est, non antè se recessurum, quàm Romani suas uxores Gallis cognoscendas misissent. Romani consilio ancillarum obsecuti, has pro liberis miserunt: & Barbari nimio rei venereæ abusu fatigati, in somnum soluti sunt. Retana (ea Princeps consilii fuerat) caprifico conscensâ in murum evadit, remq́; Consulibus indicat. Ita Romani factâ irruptione vicerunt; atque hinc festus ancillarum dies sumpsit initium.* Nonis Iuliis, ut Macrobius expressit, qui aliter tamen hanc Historiam narrat, lib. I. Saturnal. cap. XI.

9. DEBELLARI NON PVDVIT.] Imò interdum ad mortem agi, & suppliciis affici, à fortiore mortales ferunt. Curtius meus, lib. VII. *Ex captivis Sogdianorum ad Regem* XXX. *nobilissimi, corporum robore eximio perducti erant. Qui ut per interpretem cognoverunt jussu Regis ipsos ad supplicium trahi, carmen lætantium modo canere, tripudiisque & lasciviori corporis motu gaudium quoddam animi ostentare cœperunt. Admiratus Rex tantâ magnitudine animi oppetere mortem, revocari eos jussit, causam tam effusæ lætitiæ, cùm supplicium ante oculos haberent, requirens. Illi si ab alio occiderentur tristes morituros fuisse respondent: nunc à tanto Rege Victore omnium gentium majoribus suis redditos, honestam*

stam mortem, quàm viri fortes voto quoque expeterent, carminibus sui moris, lætitiâque celebrare. Tum Rex: Quæro itaque an vivere velitis? &c. Aristides Locrensis, morsus à mustelâ, moriens affirmavit, jucundiorem sibi mortem fore, si ea Leonis vel Pardalis, non contempti illius animalis dentibus obtigisset. Ælianus libro XIV. cap. IV.

10. BRITOMARO.] Florum imitatus sum, lib. II. cap. IV. De Gallis Insubribus, & his accolis Alpium: *Hi sæpè & aliàs, sed Britomaro duce, non priùs soluturos se balthe o, quàm Capitolium ascendissent, juraverant.*

11. SOLVTVROS SE BALTHEO.] Et factum est: *Victos enim*, ut idem Florus ait: *Æmilius in Capitolio discinxit.*

12. ARIOVISTO.] Nonnulli eum Astrionicum vocant. Polybio est Ανηροέστης.

13. MARTI SVO.] Cæsar deditam esse religionibus gentem illam alibi refert, & disertè in hæc verba: *Deum maximè Mercurium colunt*. Postea addit: *Post hunc Apollinem, & Martem, & Iovem, & Minervam. De his eandem ferè quam reliquæ gentes habent opinionem. Apollinem morbos depellere: Minervam operum atq; artificiorum initia transdere: Iovem Imperium Cælestium tenere: Martem bella gerere.* Lucanus, Lactantius, & Minutius Felix referunt, Hesum, Teutatem, & Taranem Deos habuisse, qui Mars, Mercurius, & Iupiter plerisq; doctis sunt.

14. INGENS EO TEMPORE TERROR.] Quotiescunque Galli moverunt, ingentem sui terrorem gentibus incussêre. Inter alios Livius, lib. V. *Clusini novo bello exterriti, cùm multitudinem, tum formas hominum inusitatas cernerent, & genus armorum.* Iustinus lib. XXIV. *Tantusq; terror Gallici nominis erat, ut etiam Reges non lacessiti, ultrò pacem ingenti pecuniâ mercarentur.* Sed de terrore, cujus hîc mentio fit, Polybius lib. II. *At Romæ inter hæc metus ingens omnes incesserat; ut qui non ignorarent, in quanto & quàm formidabili periculo Civitas versaretur. Neque id mirum: utpotè quorum animis terror pristinus nominis Gallici adhuc insidebat.* Et quomodò in acie terruerint, audi. *Romanos stupore quodam percellebat, quà ornatus Gallici exercitus, quà tumultus ipse & clamor. Nam præter buccinatorum tubicinumq; propè infinitam multitudinem universo exercitu ululatum simul tollente, talis tantusq; exortus est clamor, ut non tubas solùm ac milites; sed etiam resonantia de proximo loco vocem per se viderentur edere. Terribilis item erat tum species, tum motus illorum, qui in acie nudi stabant.* Nec mirum: cantus, ululatus, clamores, scuti concussationes, tubæ, armorum crepitus, reliquáque, quorum Diodorus Siculus, Polybius, & Livius passim, aliíque Scriptores meminerunt, ad terrorem hostium inventa sunt.

15. TANTVM FVISSE ARMATORVM QVIS CREDAT?] Polybius lib. II. de copiis his ita loquitur: quem Latinè repræsento. *Vt autem ex ipsis rebus intelligatur, quantam Rempublicam ausus sit Hannibal aliquantò pòst aggredi, quantumq; illud Imperium erat; operæpretium fuerit, apparatum ad hoc bellum, & copiarum vim, quas jam tum habebant, commemorare. Exiêre cum Consulibus Legiones Romanorum IV. Sunt autem in unaquaq; legione Romanâ peditum V. Millia & CC. equites CCC. Sociorum auxilia utrique Consuli aderant, quæ junctim efficiebant peditum XXX. Millia, equitum II. Millia. Aderant præterea qui necessario tempore suppetias venerant, Sabinorum & Etruscorum, equitum IV. Millia, peditum ultra L. Millia. Hos in unum coactos pro finibus Etruriæ hosti objecerunt, duce illis imposito Prætore. Convenerunt, & ex*

Vmbris, ac Sarsinatibus, qui Apenninos montes incolunt ad XX. *Millia, item è Venetis ac Cenomanis millia pariter* XX. *qui in Galliæ finibus sunt collocati, ut factâ impressione in Bojorum ditionem, eos qui exierant retrocedere coactos, à cæteris divellerent. Ac pro finibus quidem variis locis dispositi exercitus hi erant: Romæ verò præstò erant propter incertos belli casus, velut subsidiaria manus quædam, è civibus peditum* XXX. *Millia, equites Mille quingenti: è sociis peditum* XXX. *Millia, equitum* II. *Millia. In tabulis ætatis militaris, quæ ad Senatum sunt allatæ, fuêre descripti è Latinis peditum* LXXX. *Millia, equitum* V. *Millia: è Samnitibus peditum* LXX. *Millia, & cùm his equitum* VII. *Millia. Ad hæc Iapyges & Messapyges conjuncti peditum* L. *Millia detulêre, equitum* XVI. *Millia. Lucani peditum* XXX. *Millia, equitum* III. *Millia. Marsi, Marrucini, Ferentani, & Vestini peditum* XX. *Millia, equitum* IV. *Millia. Duas legiones in Siciliâ & Tarenti subsidio locaverant; in quibus fuêre peditum* IV. *Millia &* CC. *equites autem* CC. *Iam verò è plebe Romanâ, atque Campanâ dedêre nomina militiæ Peditum* CCL. *Millia, equitum* XXIII. *Ita efficiebatur summa quæ Vrbi præsidebat ad peditum* CL. *Millia, equitum circiter* VI. *Millia. Vniversus verò numerus aptæ ad militiam multitudinis erant peditum septingenta; equitum verò septuaginta millia. Et ausus tamen est Hannibal &c.* Plinius, libro III. cap. XX. *Hæc est Italia Diis Sacra, hæ gentes ejus, hæc oppida populorum. Super hæc, Italia, quæ L. Æmilio Papo, & C. Atilio Regulo Coss. nunciato Gallico tumultu, sola, sine externis ullis auxiliis, atq; etiam tunc sine transpadanis* (quod contra Polybium est) *equitum* LXXX. *Millia, peditum* IↃCC. *Millia armavit, &c.* Paulus Orosius, lib. IV. cap. XIII. *Itaq; permoti Coss. totius Italiæ ad præsidium contraxêre vires. Quo facto in utriusq; Consulis exercitu* IↃ. CCC. *Millia armatorum fuisse referuntur: sicut Fabius Historicus, qui eidem bello interfuit, scripsit. Ex quibus Romanorum & Campanorum fuerunt* CCC. XLVIII. *millia, ducenti; equitum verò viginti sex Millia, sexcenti. Cætera multitudo sociorum fuit.* Eutropius, aliique eadem.

16. TERGA VERTERVNT.] Quid dicam? Galli noctu, occultâ profectione Fesulam tetenderant; & Romani cùm illuxisset, solos equites conspicati, Gallos rati aufugisse, equitatum recedentem magno studio insequuntur. Sed Galli utrimq; eos adorti fugant. Romanorum cecidisse sex Millia, auctor est Polybius, è quo priora. Paulus Orosius, lib. IV. cap. XIII. *Commisso prælio apud Aretium Atilius Cons. occisus est:* IↃ. CCC. *Millia Romanorum, nec saltem tantâ, quanta eos terrere debuit, cæsâ sui parte fugerunt: nam, tria millia eorum tunc interfecta Historiæ tradunt. quod ideò ignominiosiùs turpiùsque est, tam paucis amissis tanta agmina diffugisse, quia se in aliis victoriis non viribus animorum prævaluisse, sed bellorum proventibus prodiderunt.* Orosius, quem hîc sequor, cautè intelligendus est: Non enim omnes fugere copiæ Romanorum potuerunt, cùm L. Æmilius tum temporis Arimini esset, & ingens multitudo Romæ, quemadmodum dictum est.

17. APVD ARETIVM.] Oppidum hoc ab aris alii; alii ab araturâ; nec desunt, qui ab ariditate dictum velint. Distat Româ stadiis IↃ. CC. Ab uvis, & vasorum probâ notâ Antiquis commendatur. Adfectum fuit à L. Cornelio Syllâ ingenti clade. Nomen ferè hodie retinet.

18. CONSVL ATILIVS.] Hujus caput trunco præcisum, Gallorum Regibus allatum fuisse, scribit Polybius: imò cecidisse prælio, quo uterq;

uterque Consul vires conjunxerant, & Gallorum quadraginta millia cum altero Regum Concolitano ceciderunt.

19. NON FORTIOR.] Ad rem Polybius: *Insubres verò, & Boii cominus rem manu gerentes, atrociter dimicabant, & cùm vulnera multa acciperent fortibus nihilominus animis stationem suam quisque servabat: hoc uno inferiores, quòd genere armorum vincerentur.*

20. INSVBRES.] Ii post Gæsatos in acie stabant, erántque braccati, ac levioribus sagis induti. Idem Polybius.

21. FLAMINIVS VINCENDO.] Hic contemptis auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, adversum Gallos conflixit, & vicit. Paulus Orosius, lib. IV. cap. XIII. imò parum prudenter aciem instruxerat, ut auctor est Polybius: nam nullum à tergo spatium reliquerat, quò se reciperent cohortes: ut videatur quoque *felicior quàm fortior*.

22. AVXILIA GAESATORVM.] Plutarchus in Marcello scribit, *ad triginta fuisse millia*: ut breviter, & Latinè molem belli repræsentem; *superatis Alpibus, Insubres concitaverunt, iisque se conjunxerunt. Insubrum autem longè plures legiones fuisse*, Polybius adfirmat; *Eosdem hanc manum mercede conduxisse*. Gæsati autem Gallicâ linguâ, tanquam mercede conducti, ut eidem Polybio placet. Malè in Plutarcho Γεζᾶται, & malè à senio derives.

23. MARCELLVS.] Hic ille est, cujus vitam Plutarchus describit: ille, vaticinio à Poëta laudatus:

Aspice ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victórque viros supereminet omnes,
Hic Rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumq. rebellem;
Tertiáque arma Patri suspendet capta Quirino.

Florus, lib. II. cap. IV. *Virdumaro Rege, Romana arma Vulcano promiserant. Aliorsum vota ceciderunt. Occiso enim Rege, Marcellus tertia post Romulum Patrem Feretrio Iovi arma suspendit*. Virdumari arma erant ex auro, & argento fabrefacta, variè picta, & instar fulguris radiabant, ut auctor est Plutarchus.

24. BELLVM CONFECIT.] Iuxta Clastidium, vicum Galliæ, teste Plutarcho. Paulus Orosius ait, Claudium Consulem Gæsatorum triginta Millia delevisse. Sed quomodo? cùm triginta tantùm Millia in auxilium venerint. Memorabilem hanc fuisse cladem scio: cùm Plutarchus dicat, Peditatum & Equitatum tam numerosum anteà nunquam, nec posteà, à tam exiguâ manu fusum fuisse. Bene sit Orosio, qui liberali narratione magis quàm fidâ gratiam subinde Magni Augustini captare studuit.

25. VRBI PARCERE.] Captæ tamen, ut Polybius, & Plutarchus auctores sunt. Sanè reliqua oppida ultrò in potestatem Romanorum venêre: Gallis pax satis æqua data.

26. DE REGE POTIVS.] Plutarchi narrationem exprimo: *Omnium gratissimum & rarissimum fuit ipse dux, qui arma Barbari Deo tulit. E quercûs eximiæ excelso & recto stipite detruncato paravit in modum trophæi ferculum. Deligavit ex eo & suspendit in orbem spolia singula aptè & decorè annectens. Sequens pompam, portansq. ferculum, conscendit currum, ac imago triumphalis ipse pulcherrima speciosissimaq. illius memoriæ, in Vrbem invectus est. Exercitus secutus est fulgentibus armis ornatus.*

27. AMICOS QVAM SVBIECTOS.] Scytharum Legati Alexandro, ut est apud Curtium, lib. VII. *Imperio tuo finitimos, hostes, an amicos velis esse, considera.* Livius lib. VIII. *Neque eo loci ubi servitutem esse velis, fidem esse sperandam.* Idem alibi: *Nec crediderіs ullum populum, aut hominem denique, in eâ conditione cujus eum pœniteat, diutiùs quàm necesse sit, mansurum.*

HISTORIA.

Post leves deinde motus [1] longa pax fuit, & quantum à servitute Insubres, etiam ab inertiâ aberant. Non jam armis & bello, sed moribus legibúsque dabant operam: cultu & disciplinâ rem augebant. Itaque plures [2] familiæ in sociam urbem à Romanis traductæ, ædificia & templa excitata. Ne voluptates deessent, [3] Circus, Theatrum, Thermæ adduntur; & in unius potissimùm provinciæ luxum Romana magnificentia crevit. Iam tanquam è gemino populo civitas coaluerat, & Mediolani Roma quoque erat. Prorsus Cæsarem Dominum non priùs sensere Insubres, quàm Gens Domina Rempublicam & libertatem amisit. Quid Dominum? parentem justiùs nominem, qui armis invasit laborantis jam imperii corpus, ut clementiâ dignisque tantâ magnitudine virtutibus servaret. Sed non poterat ille civibus suis benignior, [4] quàm Insubribus esse; è quorum velut sinu ad Gallicas primùm victorias, ac deinceps ad perpetuæ Dictaturæ fastigium pervenit. Si licet dicere, Mediolanum fecit Cæsarem, Roma accepit. Augustus quoque [5] cùm irasci poterat, fidem Insubrum erga Brutum collaudavit. Reliqui aut amârunt hanc urbem, [6] aut insederunt. Trajanus quidem hic [7] Palatium, velut novum Imperatorum domicilium condidit, quod omnes caperet. Parum est habitare: hìc natus postea [8] Didius Iulianus. Parum etiam nasci: hìc [9] Philippus Pater Filiúsque Christiana sacra amplexi. [10] Maximianum Herculeum [11] monumenta [12] sive templi, sive lavacri adhuc loquuntur: is [13] ut nihil omitteret, nomen quoque suum urbi dedit, & Herculeam appellari voluit. Hæc si ambitio est, sapientiam admirare; ubi tanquam Deus erat, imperium exuere potuit. Publi-

cè

cè [14] purpurâ positâ, ex aulâ ad hortum, à curis ad quietem lætus transiit. Putares tantæ rei gloriam cum ipsâ urbe communicatam. Sed utinam suo potiùs ingenio, quàm alieno exemplo fastidiisset fortunæ fastigium. [15] Diocletianum secutus est. Sic verò animi inconstans; quia cùm ex Augusto privatus esset, è privato [16] Tyrannus esse voluit. Nam ut ad imperii majestatem eveheret Maxentium filium, acriter afflixit Rem Romanam: ut deinde evectum dejiceret, pater quoque esse recusavit. Iam nec in filio Maxentio, nec in genero Constantino purpuram ferens, dum insidias utrique struit, interficitur. Frustrà [17] reliquos commemoro, ipsum Constantinum, Constantium, Iovianum, Valentem, Valentinianum, Theodosium, imperio Romanos, domicilio Insubres. Atque hunc Divus Ambrosius Antistes loci, ob cædem Thessalonicensium, à limine templi rejecit, sacrísque arcuit: dignum sanè veniâ, imò laude, quia pietati haud gravem. ut pœnam subiret, Theodosium se esse oblitus est: nisi hoc potiùs fuerit, meminisse. [18] Tanta auctoritas monentis erat, ut in Antistite Imperator videretur loqui; & tanta audientis facilitas, ut subditi habitu numinis minas admitteret. Quò abiistis sancti mores! Sanè tam solenni exemplo Christiana pietas pondus apud Mediolanenses, atque adeò mortales omnes invênit: post Principem punitum quis [19] auderet scelus? Consenuerat verò jam majestas imperii, [20] lassa & effœta; Martiúsque ille populus post nimiam tandem felicitatem rerum penitus elanguit. Suo & alieno sanguine congesserat, quod rapi tandem posset. Laceratus Orbis, injuriæ ultrà impatiens, ad vindictam consurrexit. Ergò singulæ gentes Orbem terrarum in Italiâ vincent, & generis humani spolia [21] inter Barbaros dividentur. Vincent Italiam; sed quicquid illa patietur, Insubres excipient.

COMMENTARIVS.

1. LONGA PAX.] Quingentorum ferè annorum. O igitur Aureum hoc sæculum! ô Viris virtutibúsque florens! Non poterat deinceps concuti Mediolanum, nisi Italia quassaretur. Putes eandem jam

Romæ, & Secundæ Romæ Fortunam fuisse.

2. FAMILIAE.] Floruerunt & adhuc Mediolani florent, Romanis oriundi: Pectii, qui nunc Peggii, Horatio celebrati:

Pecti, nihil me sicut antea juvat
Scribere versiculos, amore percussum gravi.

Valerii, Suræ, Magii, Curtii. Item, Cottæ, Crispini, Macri, Novellii, Sentii, Martinioni, Valerii, Rocii, Aruleni, qui hodie Arluni, Manduilli, hodie Manduelli, Cacurii, hodie Cazuli, Mocitii, Elli, Ruscæ, Capellæ, Caprilii. Vide Gaudentium Merulam: qui nomina ista ex Inscriptionibus peritè, è libris doctè illustrat. Non minori famâ, citeriori verò origine sunt: Turriani, Vicecomites, Sfortiæ, Borromæi, Barbiani, Trivultii, Castillionæi, Taurelli, Mayni, Caymi, Cribelli, Alciati, Archinti, Stampæ, Tonsi. Quid omnes recenseo? Longus ordo est, & peculiari volumine explicandus. O Mediolanum! ô cælum! Familiæ tuæ stellæ sunt, quas faciliùs laudem quàm numerem: si nec id satis, suspicio ac veneror.

3. CIRCVS, THEATRVM, THERMAE.] Nerva Imperator struxit Capitolium, ut Scriptores Rerum Mediolanensium tradunt. De Circo, aliísque Ausonius:

Et Mediolani mira omnia.

Deinde:

— *Populiq́ voluptas*
CIRCVS, *& inclusi moles cuneata* THEATRI:
TEMPLA, PALATINAEQVE ARCES, *opulensq́* MONETA,
Et regio HERCVLEI *celebris sub honore* LAVACRI,
Cunctáque marmoreis ornata peristyla signis.

In Theatro ædificatum postea templum S. Victoris; vocaturq; *S. Victoris ad Theatrum.* In Circo, templum Divæ Virgini Sacrum, dicitúrque *S. Mariæ ad Circum.*

4. QVAM INSVBRIBVS.] Cæsar, cùm crebrò Mediolani esset, hospitem Valerium Leonem habuit. Id è Plutarcho constat, qui narrat, à Valerio in cœnâ appositis asparagis unguentum pro oleo infusum esse: Cæsarem autem, qui pluris hospitem, quàm cibum faciebat, manducasse. Suetonius unguentum hoc eleganter oleum condîtum appellat: cujus verba appono: *Quondam ab hospite conditum oleum pro viridi appositum, aspernantibus cæteris, solus etiam largiùs appetiit; ne hospitem aut negligentiæ, aut rusticitatis videretur arguere.*

5. CVM IRASCI POTERAT.] Plutarchum in Bruto refero: *Statua ejus ærea fuit Mediolani, in Galliâ Cisalpinâ posita. Hanc, ut vidit Cæsar Octavianus, præteriit: mox subsistens, & Magistratus, advocans, Deprehendi,* inquit, *Civitatem vestram fœdus pacis rupisse: hostem meum apud se habet. Quid illi? negare primùm, & quemnam significaret ambigentes, sese mutuò intueri. Tum verò Cæsar conversus ad statuam, contractâ fronte, Nónne ille,* inquit, *hic stat hostis noster? Multò illi magis perculsi obmutuêre. At Cæsar aridens, laudavit Gallos, quòd amicis essent etiam in rebus adversis stabiles: præcepítque ne statua loco moveretur.* Hujus statuæ quoq; meminit Suetonius in Illustribus Grammaticis: *C. Albutius Silo, in cognitione cædis Mediolani apud L. Pisonem Proconsulem defendens reum, cùm cohiberent lictores nimias laudantium voces, ita excanduit, ut & deplorato Italiæ statu quasi iterum in formam provinciæ redigeretur, M. Brutum, cujus statua in conspectu erat, invocaret legum ac libertatis auctorem, & vindicem.*

6. AVT INSEDERVNT.]

Caussa, cur Imperatores Mediolanum interdum venirent, hæc fuit: ut Pannonicis, Gallicis, Germanicísque tumultibus viderentur intervenire, aut certè non longè abesse.

7. PALATIVM.] Qui locus etiam hodie nomen servat, templo Sancti Georgii insignis. In Palatio Scholam Palatinam fuisse, & Magni Augustini professione nobilem, in Dissertatione de Rhetoribus Mediolanensibus dixi.

8. DIDIVS IVLIANVS.] Non tantùm is natus Mediolani, sed è familiâ Mediolanensi. Ælius Spartianus: *Didio Iuliano, qui post Pertinacem Imperium adeptus est, avus paternus fuit Insuber Mediolanensis: maternus ex Hadrumentinâ Coloniâ*. Avus? imò proavus. Stemma hoc est:

DIDIVS SEVERVS Insuber Mediolanensis.	SALVIVS IVLIANVS I.C. Afer Hadrumentinus.
|	|
DIDIVS SEVERVS.	SALVIVS IVLIANVS.
|	|
PETRONIVS DIDIVS SEVERVS.	ÆMILIA CLARA Petronii uxor.

|

DIDIVS SALVIVS IVLIANVS SEVERVS AVG.

9. PHILIPPVS.] Eusebius in Chronico, quem alii expressere: *Primus è Romanis Imperatoribus fuit Christianus*. Paulus Orosius, lib. II. cap. XX. *Hic primus Imperatorum omnium Christianus fuit, ac post tertium Imperii ejus annum millesimus à conditione Romæ annus impletus est. Ita ludis magnificis augustissimus omnium prætertorum hic natalis annus à Christiano Imperatore celebratus est. Nec dubium est, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam & honorem ad Christum & Ecclesiam reportarit, quando vel ascensum fuisse in Capitolium, immolatasq́ ex more hostias nullus auctor ostendit*. A Pontio Baptizatum esse volunt; cùm Mediolani Beatus Mireclous Episcopus esset.

10. MAXIMIANVM.] Mamertinus in Genethliaco Maximiani: *Quid? illud, Di boni! quale pietas vestra spectaculum dedit, cùm in Mediolanensi Palatio, admissis qui sacros vultus adoraturi erant, conspecti estis Ambo*. Et paullò pòst: *Ipsa etiam gentium Domina immodico propinquitatis vestra elata gaudio, vosq́ è speculis suorum montium prospicere conata, quo se vultibus vestris propiùs expleret, ad intuendum cominus quantum potuit accessit. Lumina siquidem Senatûs sui misit, beatissima illi per eos dies Mediolanensium civitati similitudinem Majestatis suæ libenter impertiens; ut ibi tunc esse sedes Imperii videretur, quò uterque venerat Imperator.*

11. MONVMENTA.] Aurelius Victor de Maximiano & Diocletiano Imperatoribus in hunc modum: *Virtutum studia augebantur, veterrimæ religiones castissimè procuratæ, ac mirum in modum novis adhuc cultisque mœnibus Romana culmina, & cateræ urbes ornatæ: maximè Carthago, Mediolanum, Nicomedia*. De Româ quoque Mamertinus: *Licet nunc simul & Herculea dicaris, & Iovia.*

12. SIVE TEMPLI.] Templum hodie est, egregio opere & fornice, D. Laurentio Sacrum.

13. VT NIHIL OMITTERET.] Qui nomen suum Vrbi dedit, quid omitteret? ornamenta adjecit. Sed illud desiisse quid mirum? Ex ipsis quoque lapidibus erasum est, ne memoria Tyranni duraret. Herculeum verò, an Herculium nomines, nolo disputare. I litteram passim libri exprimunt: E libri, & hæc Inscriptio antiqua:

DIO-

DIOCLETIANVS. IOVIVS ET MAXIMIAN. HERCVLEVS CAES. AVGG.

14. PVRPVRA POSITA.] Eusebius in Chronico: *Secundo anno persecutionis Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt.* Item Cassiodorus, & Eutropius lib. IX. *Cùm autem ingravescente ævo parùm se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculeo fuit, ut in privatam vitam concederent; & stationem tuendæ Reipublicæ viridioribus junioribusq; mandarent: cui ægrè collega obtemperavit. Tamen uterque uno die, privato habitu, Imperii insigne mutavit: Nicomediæ Diocletianus, Herculeus Mediolani, post triumphum inclytum, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant, pompâ ferculorum illustri, quâ Narsei conjuges, sororésque, & liberi ante currum ducti sunt. Concesserunt tum Solonam unus, alter in Lucaniam.* Postrema addidi: ut paria è Suidâ adferrem. Ait enim: *Diocletianum, & Maximianum, abdicato Imperio, ad vitam privatam rediisse, ac illum quidem Salonas, quæ urbs Illyrica est, & ad villam Aspalatum se contulisse; alterum in Lucanos*: quam sedem (verbis utar Eutropii) *elegerat, ut in agris amœnissimis consenesceret.*

15. DIOCLETIANVM SECVTVS EST.] Magnum hoc sanè exemplum est, quomodocunq; usurpatum. Mireris, tantâ concordiâ, & XX. quasi annos duorum Imperium velut unius fuisse: magis autem, tantum in utroque fuisse animi; ut alter quidem exuendæ purpuræ consilium ceperit, alter admiserit. Dixeris quoque, non duos, sed unum fuisse, qui & ceperit, & admiserit. *Vterque*, ut Eutropii verba repetam, *uno die, privato habitu, Imperii insigne mutavit: Nicomediæ Diocletianus, Herculeus Mediolani, post triumphum inclytum, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant, pompâ ferculorum illustri.* Sed Diocletianus, scribente Aurelio Victore, (Iubet enim hanc scenam accuratiùs repræsentare.) *Imminentium scrutator, ubi fato intestinas clades, & quasi fragorem quendam impendêre comperit statûs Romani; celebrato regni vicesimo anno, valentior curam Reipublicæ abjecit; cùm in sententiam Herculeum ægerrimè traduxisset; cui anno minùs potentia fuerat.* Hoc igitur est sequi. Vin' & judicium ejusdem Scriptoris? De Diocletiano, inquam: *Et quamquam aliis alia æstimantibus veri gratia corrupta sit; nobis tamen excellenti naturâ videtur ad communem vitam, spreto ambitu, descendisse.* Excellenti naturâ, quia nullo exemplo: nisi L. Syllam tamen respexerit, qui Dictaturam perpetuam paullò antè mortem deposuit. Sed de eodem Diocletiano, ut alios omittam, idem Eutropius: *Privatus in villâ, quæ haud procul à Salonis est, præclaro otio senuit: inusitatâ virtute usus, ut solus omnium, post conditum Romanum Imperium, ex tanto fastigio spontè ad privatæ vitæ statum, civilitatémque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, ut cùm privatus obiisset, inter Divos tamen referretur.* Quis obsecro? qui callidus, superbus, sævus fuerat; qui ut vanum Deorum cultum in Orbe retineret, Christianorum sanguine terras ubique madefecerat. Sed post crudelitatem quietus esse non potuit, nisi privatus esset: Divinos etiam honores inusitato fastu usurpaverat; & hominem se agnovit. Quid? Ne caderet, descendere voluit, eámque amplecti vitæ facilitatem, quæ periculis careret. A throno ad agrum venit, & cùm Imperium abdicasset, sui tandem esse dominus cœpit. Non jam Diocletianum, sed Dioclem rursus putes: quemadmodum cùm Imperator fieret, ex Diocle Diocletianus factus est. Sanè in horto occupatus

patus, scire potuit, viciniorem ligoni, quàm sceptro felicitatem esse; minari Fortunam, cùm favoris modum excessit. Erat hoc igitur non tam Imperium, quàm curam, miseriam, periculum exuere. Quid enim est Imperium? splendens, ut M. Aurelii dictum usurpem & exornem, molestia: imò quid est Imperium? servitus, sed honore personata: quid Imperium? si consistis, tormentum; si cadis, præcipitium. Et omnes tamen hoc agunt, ut vanâ magnitudinis umbrâ decepti, ad molestiam excitentur, ut sub larvâ serviant, ut vel metu inquieti sint, vel casu infelices. Mireris licet: Patrum memoriâ, qui virtutibus victoriisq; celeberrimus fuit, CAROLUS V. Imperator, Orientem & Occidentem simul magnitudine suâ complexus, abjectâ purpurâ, sceptrísque translatis, cùm adhuc vigerent anni, privatam cum pietate, quàm publicam cum gloriâ vivere vitam maluit. Hunc ille post tot victorias de se triumphum egit, & quia sprevit terram, cælo & Deo dignus fuit. Sed ad Diocletianum, privato habitu senescentem, redeo. Is, ut est in Epitome Aurelii Victoris, *cùm ab Herculeo atque Galerio ad recipiendum Imperium rogaretur, tanquam pestem aliquam detestatus, in hunc modum respondit: Utinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus instituta! profectò nunquam illud tentandum judicaretis.* Hæc, inquam, respondit, & jam privatus philosophari potuit. Hæc etiam, quæ à Flavio Vopisco in Aureliano referuntur: *Nihil esse difficilius, quàm bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinque, atque unà consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt, dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non novit: cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur: facit Judices, quos fieri non oportet; amovet à Republicâ, quos debebat retinere. Quid multa? bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Ut hæc sunt, reprehendendus Maximianus, qui cùm Diocletianum secutus esset, constans non fuit: ambitiosus, imò turbulentus, ut periret.

16. TYRANNUS.] Venit enim Carnutum, ut cum Diocletiano de resumendo Imperio ageret: deinde Ravennam, & ad Alpes, cuncta turbaturus. Videndi Zosimus, Aurelius, aliíque. Orosii verba hîc propria sunt, lib. VII. *Maximianus Herculeus, jam ex Augusto privatus, & adhuc publicus persecutor, occasione filii sollicitatus, qui Imperium abjecerat, arripuit tyrannidem.* Mox: *Herculeus Maximianus persecutor, & ex Augusto tyrannus.*

17. INTERFICITUR.] A Constantino genero, ut est in Epitome Victoris: *Prope Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas fracti laqueo cervicibus luit.* Historiam in hunc modum narrat Eutropius, lib. X. *Constantio mortuo, Constantinus, ex obscuriori matrimonio ejus filius, in Britanniâ creatus est Imperator, & in locum patris exoptatissimus moderator accessit. Romæ interea prætoriani, excitato tumultu, Maxentium Herculei filium* (suppositum tamen ferunt,) *qui haud procul ab urbe in viâ publicâ morabatur, Augustum nuncupaverunt: quo nuncio Maximianus Herculeus ad spem erectus resumendi fastigii quod invitus amiserat, Romam advolavit à Lucaniâ, quam sedem privatus elegerat, in agris amœnissimis consenescens. Diocletianumque etiam per litteras adhortatus est, ut depositam resumeret potestatem: quas ille irritas habuit. Sed adversum motum prætorianorum atque Maxentii Severus Cæsar, Romam missus à Galerio, cum exercitu venit; obsidénsque Urbem, militum suorum scelere desertus est.*

Auctæ Maxentio opes, confirmatumq́; Imperium. Severus fugiens, Ravennæ interfectus est. Herculeus tamen Maximianus post hæc in concione exercitûs, filium Maxentium nudare conatus, seditionem & convicia militum tulit. Inde ad Gallias profectus est, dolo composito, tanquam à filio esset expulsus, ut Constantino genero jungeretur; moliens tamen Constantinum repertâ occasione interficere. Expulsum esse à filio, & coactum in Galliam se recipere, Eusebius lib. VIII. cap. XVI. Ecclesiasticæ Historiæ tradit. Orosius, lib. VII. Convitiis ac tumultibus militum conterritum. Verba ejus sunt: *Herculeus Maximianus persecutor, & ex Augusto tyrannus, confirmatum jam in Imperio filium veste ac potestate Regiâ spoliare conatus, conviciis autem ac tumultibus militum palàm conterritus, in Galliam profectus est, ut Constantino genero aquè dolis junctus auferret Imperium: sed per filiam deprehensus & proditus, deinde in fugam versus, Massiliæ oppressus & interfectus est.* Sed reliqua Eutropii audiamus: *Detectis igitur insidiis per Faustam filiam* (Maximiano ex Eutropiâ Syrâ muliere genitam) *quæ dolum viro nunciaverat* (patri maritum præferens) *profugit Herculeus Massiliam, ibique oppressus* (*ex eâ etenim navigare ad filium præparabat*) *pœnas dedit, justissimo exitu.* Strangulatus, inquam, fuit, *Vir ad omnem asperitatem sævitiamq́; proclivus, infidus, incommodus, civilitatis penitus expers.* Zosimum miror, qui ait, in desperationem rerum omnium Maximianum adductum, apud Tarsum morbo extinctum. Sed hoc ipsum de Maximino Victor in Epitome. Ad lucem hæc tabella faciet: quæ Augustos Cæsaresq; post Diocletianum & Maximianum: item Cæsares post Constantii Chlori mortem breviter repræsentat.

Post DIOCLETIANUM & MAXIMIANUM Augusti duo novi:

CONSTANTIUS CHLORUS, *cui uxor Theodora, Herculei Maximiani privigna, priori uxore abjectâ.*	GALERIUS MAXIMIANUS ARMENTARIUS, *qui pastor armentorum fuerat.*

CAESARES duo novi sub his Augustis:

SEVERUS, *per Italiam, ab Herculeo Romæ ad tres tabernas, à suis desertus, occisus.*	GALERIUS MAXIMINUS, *è Sorore Armentarii natus, per Orientem, deinde Augustus.*

Post CONSTANTII mortem novi tres Cæsares.

CONSTANTINUS *Constantii F. in Britanniâ, deinde Augustus.*	MAXENTIUS *Herculei F. Romæ, qui à Constantino victus.*	LICINIUS, *qui à Galerio factus Augustus, à Constantino superatus.*

17. RELIQUOS COMMEMORO.] De Constantino, si quæris, *Hic*, ut in Epitome Victoris expressum est, *Sororem suam Constantiam Licinio, Mediolanum accito, conjungit.* Constantinus quoque frequens & fuit Mediolani & substitit; belli præsertim causâ, quod cum Magnentio gessit, prælio etiam apud Ticinum commisso. Iulianus, scribente Eusebio in Chronicis, *Mediolani Cæsar appellatur.* Iovianus autem adhuc privatus in hac Urbe commoratus est. Septem enim duntaxat menses Imperatorem egit, in Galatiæ finibus cùm è Perside exercitum reduceret, extinctus. Reliqui (quid enim opus singulos persequi) sedem Mediolani ex intervallo habuêre

buère, ut tumultibus sive Gallicis, sive Germanicis præstò essent. Sed Theodosius hîc etiam fatis concessit, ut videre est apud Cassiodorum, Victorem, Orosium, Paulum Diaconum.

18. TANTA AVCTORITAS.] Divus Augustinus lib. v. de Civitate Dei, cap. XVI. De pietate Theodosii: *Quid autem fuit ejus religiosâ humilitate mirabilius, quando in Thessalonicensium gravissimum scelus (cui jam Episcopis intercedentibus promiserat indulgentiam) tumultu quorundam, qui ei cohærebant, vindicare compulsus est; & Ecclesiasticâ coërcitus disciplinâ, sic egit pœnitentiam, ut Imperatoriam Celsitudinem, pro illo populus orans, magis fleret videndo prostratam, quàm peccando timeret iratam?* Paulus Diaconus lib. II. *Cùm apud Mediolanum, Missarum fruiturus sollennits, Ecclesiam vellet intrare; cumq; Beatus Ambrosius pro quodam facinore, nisi publicè pœniteret, non admissurum se diceret; & prohibitionem humiliter pertulit, & satisfactionem non erubescens, indictum ab Episcopo pœnitentiæ modum devotus excepit.* A Thessalonicensibus autem, in tumultu theatrali, Præfecti aliqui militares pulsati erant: eam injuriam adeò graviter Theodosius tulit, ut punire etiam atrociùs voluerit. Intercedebant Episcopi, & jam Imperatorem placaverant, cùm revellentes cicatricem Aulici, in quorum amicos vis effusa erat, Imperatorem ad vindictam denuo stimulant. Itaque exercitus in urbem immissus, stragem magnam civibus intulit, quâ aliquot millia perierunt. Venit Mediolanum Theodosius, templum ritu Christiano petit, & ab Ambrosio Episcopo rejectus; dum commissam noxam religiosè expiaret. Expiavit sanè, & tanquam minæ Episcopi, Dei essent, pietati purpuram submisit. Fusè ista in Compendio suo Cedrenus, & quotquot Ecclesiasticam nobis Historiam condiderunt.

19. AVDERET SCELVS.] Seneca in Thyeste:

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Velleius lib. II. *Rectè facere Princeps cives suos, faciendo docet.* Vide quæ in Elementis meis Basilicis monui.

20. LASSA ET EFFOETA.] Sic Petronii Pluto Fortunam alloquitur:

Ecquid Romano sentis te pondere victam?
Nec posse ulteriùs perituram extollere molem?
Ipsa suas vires odit Romana Iuventus,
Et quas struxit opes, male sustinet. —

21. INTER BARBAROS.] Hi sunt: Gothi, Hunni, Vandali, Turcilingi, Scyri, Rugi, Heruli, Longobardi, Hungari, Bulgari, Burgundiones, Gepidæ, Franci, Boii, Taurisci, Carni, Suevi, Marcomanni, Saraceni, Normanni. De his ita Nicephorus: *Vt terrores de cœlo sæpè hominibus à Deo incutiuntur, fulmina, incendia, & imbres procellosi sæpe à terrâ, ut telluris hiatus, & quassationes; sæpe ex aëre, ut typhones & nimbi: ita hi à Deo asservantur Septentrionales, ac Hyperborei terrores, ut pro pœnâ quadam, quando, & quibus providentiæ Divinæ visum fuerit, immittantur.* Quomodo Romanis suis Seneca minatus sit, ad Præfationem hujus Operis nostri dixi. Idem alibi caussam quoque Irruptionum istarum reddit: *Alios excidia Vrbium suarum, hostilibus armis elapsos, in aliena, spoliatos suis, expulerunt. Alios domestica seditio submovit: Alios nimia superfluentis populi frequentia ad exonerandas Vrbes emisit; Alios pestilentia, aut frequentes terrarum hiatus, aut aliqua intoleranda infelicis soli vitia ejecerunt. Quosdam fertilis oræ in omnibus laudatæ fama corrupit. Alios alia caussa domibus excivit suis.*

Et paullò antè: *Invenio qui dicant, inesse naturalem quandam animis irritationem commutandi sedes, & transferendi domicilia. Mobilis enim, & inquieta mens homini data est: nunquam se tenet, spargitur, & cogitationes suas in omnia nota, atque ignota dimittit, vaga & quietis impatiens, novitate rerum lætissima. Utique non è terreno & gravi concreta corpore, ex illo cælesti spiritu descendit; Cælestium autem natura semper in motu est.* Nunc aliquot sæculis inauditæ fuerunt hæ migrationes; licet Mosci, Tartari, Scythæ, & tota Orientis Barbaries interdum tentet. Et quid miramur? eadem sit licet cæli & soli iniquitas quæ olim fuit: omnia tamen exculta magis hodie, sive terram, sive homines etiam ipsos spectes; qui variis artibus instructi, & deliniti, domi vivendi blandimenta inveniunt. Præterea, priscis temporibus mercium deportationes, & navigationes non ita frequentatæ. Mercurius nunc viget, & quicquid ubique est, commune facit. Ad remota & incultissima quævis Orbis latera, vestis, cibus, potio, utensilia, luxus denique, & vitia possunt inferri; semperq; avaritia nostra invenit quod exportare ex alienâ sterilitate cum lucro possit. Quod decumanum est, totus ferè Septentrio ad legem revocat Venerem, nec nisi legitimos liberos æstimat. Unâ muliere vir unus contentus, vagam libidinem proscribit. Accedit, quod infinita hominum millia castitati se devoveant, & monastico jugo obnoxii, sacerdotiique vinculis religiosè constricti, lubenter obliviscantur se viros esse, non corpore & semine, sed mente & sanctitate fœcundi.

HISTORIA.

NEQUE repente res [1] Romana prolapsa est, atque interiit. in tantum creverat, ut non minùs difficile fuerit destrui, quàm evectam esse. Nimia tandem moles, virtutibus velut imperii fulcris [2] per luxum [3] ignaviámque subductis, depressit fastigium; & tanquam ingens arbor, annis, confecta, vigoréque exhausta, stetit tanti nominis dignitas, & paullatim exaruit. Suis igitur vexata morbis Respublica, externis itidem [4] vulneribus patuit. Quid dicam? irruerunt, qui peti solent. Sed nec vinci Romani, nisi [5] in Italiâ potuêre. Hæc postquam Augustorum desiit sedes esse, opportuna injuriæ facta. Primi quòque [6] Constantius & Constans, Valentinianus & Valens, mox Arcadius & Honorius diviserunt Imperium: & quid nisi [7] ruinæ faciliorem præstruxêre viam? Quod sub uno capite laborabat corpus, sub gemino defecit. Sic ab Oriente secretus Occidens scissúsque, velut fato agebatur. [8] GOTHI, ab Arcadio [9] stipendiis privati [10] duce Alarico, per Pannones [11] in Italiam irruunt, gens bellis

bellis & [12] rapinis aſſueta, & Orbi jam timenda. Ne quis Barbariem accuſet, [13] Ravennam petunt, cum Honorio, inibi deſide, conditionibus, non armis agunt: his uſuri, niſi Lares penatéſque [14] in Italiâ dentur. Sed Imperatori æquo velut periculo pax [15] bellúmque grave erat: timebat hoſtes, quibus impar eſſet; & amicos, quibus non fideret. Itaque placuit trans Alpes aſſignare ſedem, [16] à Vandalis nuper occupatam. & Gothi in fœdus faciles, è Gallia, Hiſpaniáque novum depulſuri hoſtem, morem Imperatori gerunt. Quid fit? in [17] Cocciis Alpibus [18] à Stilicone, Honorii Socero, [19] inſidiis preſſi, & irritati, convertunt in perfidum arma, & univerſum hoſtium exercitum [20] furore quodam concîdunt. Sic igitur jure jam ſævi, veſtigia relegunt, & in prædam effuſi, toto itinere victores ſe oſtendunt. Tanquam Vandalos pellerent; [21] Liguriam, [22] Æmiliam, Inſubrúmque fines pervolant, & turbinis inſtar, celeri [23] ſtrage involvunt omnia. Summa cladis, & generi humano inſolens; [24] Roma capitur, diripitúrque. Et quid majus? Rerum dominos debellari poſſe, Gothi oſtenderunt, jam ipsâ fortunâ formidabiles: quippe ſubacto capite, terrarum Orbis novum jugum metuebat. Verùm ut ſæpiùs periret Italia, [25] ultimum adhuc fatum [26] Vrbs urbium non excepit: & mitior hæc Barbaries, quia ſpoliis contenta, cæde & incendio abſtinuit. Vt ſcias irrupturos iterum Gothos, & capturos Romam: reliquerunt quod raperent. Sed divitiarum reliquiæ aliorum pariter rabiem accenderunt.

COMMENTARIVS.

1. ROMANA PROLAPSA.] Breviter Salluſtius bello Iugurthino: *Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt.* D.Cyprianus ad Demetrianum: *Hæc ſententia mundo data eſt, hæc Dei lex eſt, ut omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant; ut infirmentur fortia, & magna minuantur, & cùm infirmata & diminuta fuerint, finiantur.* Meis verbis dicam, & philoſophabor, quemadmodum lib. 11. Hiſtoriæ Medicææ ſcripſi: *Nec quicquam omnino fuit, quod in culmine opum viriumq́; conſtantiam ſibi promitteret; aut ſublime eſſet, & caſui non obnoxium. Solem ipſum dies unus evehit, & lucis cinctum Majeſtate medio ſiſtit cælo, ut præcipitet iterum, & in noctem ſilentium mergat. Nimirum oriuntur omnia ut occidant; incipiunt, ut deſinant; rebusq́; cunctis vices agnatæ ſunt. Sed præcipuè circa alta, & magna Fortuna ludit, & cùm potentiam*

indulget, minari incipit, in ipso fastigio lubrica, & mox praeceps. Poëtae hîc etiam audiendi sunt, qui numeris adstrictam sententiam majori robore emittunt: Ovidius lib. XV. Metamorph.

——— Sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere nomina gentes,
Concidere has. Sic magna fuit, censûq; virísque,
Perq; decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodò Troja ruinas;
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparta: magna viguêre Mycenae,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Vile solum Sparta est, altae cecidêre Mycenae:
Oedipodoniae quid sunt nisi nomina Thebae?
Quid Pandioniae restant nisi nomen Athenae?

2. LVXVM.] Silius lib. XV.

——— Inde adspice latè,
Florentes quondam luxus quas verterit urbes.
Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.

Lucanus lib. I.

Namque ut opes nimias mundo Fortuna subacto
Intulit, & rebus mores cessêre secundis,
Praedáque, & hostiles luxum suasêre rapinae;
Non auro tectísve modus, mensásque priores
Aspernata fames, cultus gestare decoros
Vix nuribus, rapuêre mares; foecunda virorum
Paupertas fugitur, totoq; arcessitur Orbe,
Quo gens quaeq; perit. —

Omnium profectò rerum Luxus semper fuit, publicè privatimque. Nos, quid nostra, in Conviviis praesertim, peccet aetas, COMO descripsimus.

3. IGNAVIAMQVE.] Vt breviter dicam, Romani tandem Romani esse desierunt: fato, an senio? an utroque? Ad rem egregiè à Floro scriptum: P. R. *Inertia Caesarum quasi consenuit, atque decoxit.* Si rectè calculum ponimus, omnis ubique calamitas, omnísque ruina ab ignaviâ est: haec à luxu. Sed, si Platonem audimus, Rerumpublicarum conversiones septingentis videntur annis definiri: de quâ re Politici disputant.

4. ARBOR ANNIS CONFECTA.] Hac imagine Pompejum Lucanus repraesentat lib. I.

— Stat magni nominis umbra,
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi, sacratáq; gestans
Dona Ducum: nec jam validis radicibus haerens,
Pondere fixa suo est. nudósque per aëra ramos
Effundens, trunco, non frondibus efficit umbram.

5. IN ITALIA.] Livius lib. XXXIV. *Sententia Annibalis eadem semper erat, ut in Italiâ bellum gereretur. Italiam & commeatus, & militem praebituram externo Italiae hosti. Si nihil ibi moveatur, liceátque Populo Romano viribus & copiis Italiae, extra Italiam bellum gerere; neque Regem, neque gentem ullam parem Romanis esse.* Claudius Mamertinus in Panegyrico ad Maximianum: *Audiveras hoc Imperator? an ipse divinâ tuâ mente prospexeras, ita demum hostes funditus posse subverti, si in propriis sedibus vincerentur?* Lubet & quae praecedunt addere: *Carthago à P. Scipione devicta est, cùm is trajecto in Africam exercitu, Hann-*

Hannibalem ab Italiæ vastatione revocavit.

6. CONSTANTIVS, ET CONSTANS.] Hæ jam primæ IRRVPTIONVM, ut sic dicam, lineæ sunt: dividi Imperium incipit, ut cadat; cadere incipit, ut laceretur. Videndi Aurelius Victor, Eutropius, Ammianus, Zosimus, Suidas, Sextus Rufus, Orosius, Cassiodorus, Paulus Diaconus, cæterique. Ego breviter ex his omnibus rem sic narro. Constantinus cùm bellum in Persas moliretur, in villâ Ancyrone, prope Nicomediam, Rempublicam Successoribus tradidit: nimirum Constantino, Constantio, Constantii filiis, & Dalmatio Cæsari Fratris filio. Constantino omnia trans Alpes obvenère; Constantio Asia atq; Oriens à freto Propontidis; Constanti Illyricum, Italia, atque Africa; Dalmatio Cæsari Armenia nationesque vicinæ. Hic militari seditione interfectus est, annitente aut connivente Constantio, ut creditur. Constantinus verò, qui in Galliâ Imperabat, misit ad fratres Legationem quâ petiit, ut nova fieret divisio: sed cùm vanæ querelæ essent, Gallico & Hispano confisus milite, Bellum civile fratribus movit, & superatis Alpibus Aquileiam pervenit, cui obviam it Constantis miles: ille enim in Daciâ bellum Getis, & Sarmatis inferebat. Constantinus, quia viribus longè præstabat, incautiùs congressus, venit in insidias, & ex equo præcipitatus, multis vulneribus, Alsæ, qui vicus est prope Aquileiam, confossus est. Sic Respublica, cùm duos Augustos haberet, & singuli vellent imperare, in duas partes scissa fuit. Quæ prima Imperii divisio Scriptoribus dicitur. Nam licet duo aut plures antè Imperatores præfuerint, unum tamen mansit Imperium. Constantius igitur Orienti præfuit, & Constans Occidenti, qui postea à Magnentio Comite ordinum in Castro, cui Helenæ nomen, haud longè ab Hispaniâ trucidatus fuit. Magnentius verò apud Augustodunum arripuit Imperium, & mox per Galliam, Africam, & Italiam arma circumtulit. In hunc Constantius fraternâ cæde stimulatus se accinxit, & apud Mursiam fratris percussorem ingenti strage superavit; rursùs apud Ticinum fudit; tandem apud Lugdunum eò redegit, ut suo ipsius gladio confossus, animam effuderit. His ita gestis Iulianum patruelem, Galli Filium, Cæsarem creavit, traditâ quoque in matrimonium Sorore. Rebus in Galliâ turbatis, cùm plura Germani oppida expugnarent, missus est Iulianus, qui parvis copiis memorabilem hostium stragem apud Argentoratum edidit. Quâ victoriâ gratus militibus, Augustus appellatus est, & mox socero per mœrorem extincto, in Imperium successit. Iuliano, cùm is in pugnâ adversus Persas vulneratus, & paullò pòst è vulnere exspirasset, Iovianus homo ignavissimus successit, qui Nisibin oppidum, & partem Superioris Mesopotamiæ Persis concessit, ne pugnaret: tandem octavo Imperii mense stomachi cruditate, sive, ut alii, prunarum nidore extinctus est. Post eum apud Niceam invitus Imperium suscepit Valentinianus, vel hoc solo facto promeritus. Sed & in Gothos, Parthos, aliasq; Barbaras nationes pugnavit. Valentem Constantinopoli in communionem Imperii assumit, tandémque apoplexiâ correptus moritur: frater autem à Gothis cum multis legionibus trucidatur. Supererant filii Valentiniani, Gratianus & Theodosius. Gratianus cùm annis XXIV. regnasset, & animadverteret Gothos, Hunnos, & Alanos Thraciam, Daciamq;, tanquam genitales terras possi-

possidere, accivit fratrem Theodosium ex Hispaniâ, & in partem Imperii vocavit, transactisq; annis sex, à Maximo Britanniæ Præfecto occiditur. Neu inulta mors fuit: nam Theodosii ductu Maximus Britanniâ Galliâque exuitur, & interficitur. Hic est ille Theodosius, terror Scythiæ, qui Alanos, Hunnos, Gothos adflixit, & omnem illam Barbariem ad deditionem compulit: Maximus herculè Imperator, si pater non fuisset. Mediolani, teste Victore, & Marcellino Comite, concessit fatis. Filii, Arcadius & Honorius: illi relictus Oriens, sub præfecturâ Rufini: huic Occidens, & ut sub curâ Stiliconis esset. Sed possis profectò hanc Præfecturam, & hanc curam perfidiam appellare. Hoc in Oriente Rufinus egit, hoc in Occidente Stilico, ut quia ignavos regebant Imperatores, ad se Imperium traherent. O scenam! Sed nota est. Mores saltem utriusque hujus Sejani repræsentandi sunt, ut in exemplum valeant. Loquatur Zosimus, ac Latinus fiat, lib. v. *Arcadius & Honorius suscepto jam Imperio, umbram duntaxat tanti nominis sustinebant. Potestas omnis per Orientem quidem penes Rufinum; per Occidentem penes Stiliconem erat. Apud hos lites omnes magnâ licentiâ disceptabantur, & victor abibat, qui vel pecuniâ sententiam redimeret, vel aliquo familiaritatis modo benevolentiam Iudicis sibi conciliaret. Prædia autem, si qua luculenta ac laudata essent, & aliquam fortunæ portionem facerent, ad hos ipsos trahebantur: dum alii quidem muneribus eos sibi addicunt, idq; calumniæ evitandæ: alii verò, dum profundunt sua, ad Magistratum vel aliam aliquam populi perniciem pretio euntes. Cùm igitur Vrbes passim omni genere improbitatis quasi inundatione quadam obruerentur; quicquid ubique divitiarum erat, in Rufini Stiliconisq; domum confluebat. Videres nobilissimos quosque Lares, pulso opum splendore, paupertate impleri. Principes quid remedii adferrent? ignari omnium erant, & tanquam non Principes: Hic rerum status erat, ut quicquid, Rufinus, aut Stilico imperassent, pro lege haberetur.* Claudianus in gratiam Stiliconis, Rufini avaritiam astumq; ita inter alia describit, lib. I. Megærâ loquente:

Me tradente dolos, gestus, artémque nocendi,
Edidicit simulare fidem, sensúsque minaces
Protegere, & blando fraudem prætexere risu,
Plenus sævitiæ, lucriq; cupidine fervens.
Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli, totúmque exhauserit Hermum:
Ardebit majore siti. quàm fallere mentes
Doctus, & unanimes odiis turbare sodales!

Ex Zosimo addam: *Quoniam immensas jam opes Rufinus congesserat, de Imperio quoque sibi vindicando somniabat. Ratus opportunas rebus suis nuptias fore, in eo totus fuit, ut filiam nubilem Principi desponderet.* Sed Eutropius Eunuchus, ut breviter dicam, impedivit. Idem in Occidente tentavit Stilico, & bis propemodum Honorii socer factus est. An dico? Duæ Stiliconi ex Serenâ uxore erant filiæ, Maria, & Thermantia. Maria adhuc immatura viro, Honorio vix puberi nupta est; sed, differente immitis uvæ cupidinem Principe, extincta. Successit pari in locum Sororis fato Thermantia, & à thalamo ad tumulum venit. Claudianus hic certè vates, De Nuptiis Honorii & Mariæ:

Aurea sic videat similes Thermantia tædas.

Quid igitur est? spe suâ Rufinus, & sua Stilico dejecti, alia & alia consilia

agita-

agitârunt. Vt Imperatores essent, qui Imperatoribus imperabant. Horum usi consilio Imperatores, miserandum in modum res Orientis & Occidentis afflixère: horum perfidiâ Gothorum stipendia expuncta sunt, & mox Italia tota crudelissimâ depopulatione lacerata.

7. RVINAE FACILIOREM PRAESTRVXERE VIAM.] Curtius lib. x. *Imperium quod sub uno stare potuisset, dum à pluribus sustinetur, ruit.*

8. GOTHI.] Nobilissimam hanc gentem Iornandes ex Insulâ Scanziâ, sive Scandiâ, si Dîs placet, educit, Ablabium, & Dexippum secutus. Scanziam autem, tanquam *officinam gentium, & vaginam nationum* appellat, quæ Norwegiam & Suediam, reliquasq; ultrà terras continet. Scilicet, quia hîc olim Gutæ, sic Guti, Γῦτοι; nisi potiùs Γαυτοὶ. Quid igitur? Gothos, tanquam Gutos esse; regionem verò *Gutland* Gothiam; nisi rectiùs tamen Gutiam. Neque hîc opinio stetit: à Vistulâ fluvio ad Scythiam Gothos perrexisse, & hinc Getas, imò Scythas esse: postea à situ, qui Orientalem plagam incolebant, Ostrogothos; qui Occidentalem, Vestgothos, sive Visigothos appellatos esse. Sed audiendus hîc PHILIPPVS CLVVERIVS, qui primus quidem Iornandi ausus personam, & fabulæ fidem detrahere. Censet ille, Gothos esse, qui Tacito in Germaniâ Gothones, II. Annalium Gotones, Plinio Guttones, aliisq; aliter dicuntur. Ergò hunc populum à Septentrione Codânus sinus, ut Plinio & Melæ vocatur, sive, ut Tacito, Suevicum mare, claudebat: ab Occidente Lemovii, sive Heruli erant, trans flumen Sciri. Alii sic quidem à Gothis Getæ sunt, quos Romani Dacos appellant; licet Spartiano, Procopio, Orosio, & istius temporis Poëtis, confundantur. Summa opinionis est, Gothicam gentem Germanicam esse: nemo autem est veterum, qui Getas aut Dacos inter Germanos numeret. Quid? Strabo Getas Thracas esse scribit, lib. VII. quos Herodotus lib. IV. ἀνδρειοτάτους Θρηΐκων appellat. Getæ igitur ad Pontum, ut Stephanus tradit: quemadmodum Daci prope Borysthenem, qui & Davi. Vnde apud Atticos servorum olim nomina Getæ & Davi. Malè igitur Iornandes, qui Historiam suam Gothorum, *De rebus Getarum* inscripsit. Sed quamcumque originem habuerint, prædæ caussâ progressi sunt, & correptis proximis quibusque, impressionem in ipsos sæpe Romanos fecerunt. Iornandem nunc audiamus, cap. XIII. *Longum post intervallum, Domitiano Imperatore regnante, ejus avaritiam metuentes, fœdus quod dudum cum aliis Principibus pepigerant Gothi solventes, ripam Danubii jam longè possessam ab Imperio Romano, dejectis militibus, cum eorum ducibus, vastaverunt.* Narrat idem, sub Philippis Mœsiam Thraciamque direptam. Quid? Decium Imperatorem cum filio suo in Abricio Thraciæ loco, à Gothis occisum esse, Cassiodorus in Chronico scribit. Gallieni temporibus Græciam, Macedoniam, Pontum, & Asiam depopulati sunt, ut Eutropius refert. Quinetiam Dianæ Ephesiæ Templum spoliarunt, ut auctor est Trebellius. Sub Claudio, Constantino, Aureliano, Constantio multa movecrunt. Sub Valentiniano incursione in fines Romanorum factâ, ingentem prædam abegerunt. Quo latrocinio iratus Imperator, & vehementiùs vociferans; vocis instrumenta rupit, diemq; obiit, teste Suidâ. Gratianus verò ab iisdem compulsus est, Theodosium fratrem ex Hispaniâ accersere; qui Honorii & Arcadii fuit parens. An & de cultu corporis armísque,

addo? Corpore fuerunt amplo, & vasto. Procopius lib. III. Historiæ Gothicæ scribit, Iustinianum admiratione percussum fuisse, cùm eximiam corporum speciem, & magnitudinem Gothorum videret. Deinde, albos omnes esse, flavos comâ, adspectu probo. Rutilos quoq; & flavos Divus Hieronymus in Epistolâ ad Suniam & Fretellam vocat. Corpora pellibus ut plurimùm tegebant. Claudianus lib. de Bello Getico:

Occultat tamen ore metum, primósque suorum
Consultare jubet, bellis, annisq; verendos.
Criniger i sedère patres, pellita Getarum
Curia, quos plagis decorat numerosa cicatrix,
Et tremulos regit hasta gradus, & nititur altis
Pro baculo contis non exarmata senectus.

Iterúmque in Rufinum:

Nec pudet Ausonios currus, ac jura regentem,
Sumere deformes ritus, vestémque Getarum
Insignem habitum Latii mutare, togaq;:
Mærent captivæ pellito Iudice leges.

De iisdem Sidonius epistolâ ad Agricolam: *Circumsistit sellam comes armiger, pellitorum turba satellitum.* Et lib. IV. Epist. ad Domitium, utriusq; ordinis vestitum depingit, cùm de Sigismere Regio adolescente loquitur: *Magis hoc decorum ibi conspiciebatur, quòd præcursoribus suis, sive pedissequis, pedes & ipse medius incessit, flammeus cocco, rutilus auro, lacteus serico: tum cultui tanto comâ, rubore, cute concolor. Regulorum quoque comitantum, sociorumq; forma & in pace terribilis: quorum pedes primi perone setoso talos adusque vinciebantur; genua, crura, suraq; sine tegmine. Præter hæc, vestis alta, stricta, versicolor, vix appropinquans poplitibus exertis: manicæ sola brachiorum principia velantes, viridantia saga limbis marginata puniceis, penduli ex humero gladii, baltheis supercurrentibus, strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus. Eo quo comebantur ornatu, muniebantur: lanceis uncatis, securibusq; missilibus dextra referta, clypeis lævam partem adumbrantibus, quorum lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus, ita censum prodebat, ut studium.* Arma eorum, ferreos thoraces, loricas, galeas, clypeos longos & depictos, pila, contos, arcus, & uncatas hastas fuisse, è Procopii libris liquet. Claudianus in Panegyrico ad Stiliconem videtur insinuare sagittandi eos peritiâ maximâ valuisse:

Nec te terrisonus stridor venientis Alani,
Nec vaga Hunnorum feritas, non falce Celonus,
Non arcu pepulère Getæ, non Sarmata conto.

9. PRIVATI STIPENDIIS.] Idem fecêre Philippis imperantibus, ut Iornandes cap. XVI. *Philippo Regnante, Gothi, ut assolet, distracta sibi stipendia sua ferentes agrè, de amicis facti sunt inimici. Nam quamvis remoti sub Regibus viverent; Reipublicæ tamen Romanæ fœderati erant, & annua munera percipiebant.* Sæpe etiam sub Romanis militabant. A Maximiano in Parthos ducti sunt: à Constantino rogati contra cognatum Licinium: Gratiano XX. Millia armatorum adversus Eugenium in Gallias misêre. Breviter: *Sine ipsis* (verba sunt Iornandis cap. XXI.) *dudum contra quasvis gentes, Romanus exercitus difficilè decertatus est.* Stipendium verò Alarici fuit, quatuor millium librarum, quas Honorius, annitente Stilicone, Barbaris promisit, ut Zosimus lib. V.

10. ALARICO.] Iornandes cap. XXIX. *Ordinant super se Regem Alaricum, cui erat post Amalos secunda nobilitas, Baltharumq; è genere origo mirifica, qui dudum ob audaciam virtutis Baltha, id est, audax, nomen inter suos acceperat.*

11. IN ITALIAM.] Marcellinus memoriæ prodidit, sub idem tempus terram

tempus terram septem diebus mugitum ingentem edidisse.

12. RAPINIS ASSVETA.] Antea enim Rufinus, ut Stiliconis profectionem in Orientem averteret, & Arcadii vires debilitaret, faciliorem ad Imperium viam struens, Alaricum in Thessaliam & Macedoniam clanculò vocavit. Iornandes lib. de Reg. ac Temp. Success. *Rufinus Patricius Arcadio insidias struens, Alaricum Gothorum Regem, ut Græcias devastaret, missis clàm pecuniis invitavit.* Zosimus: *Hæc ubi Rufinus per summam nequitiam designasset, quandoquidem seditiosum & legibus semet eximentem videbat Alaricum (qui permolestè ferret militaribus copiis haud præfici, sed eos dumtaxat habere Barbaros, quos Theodosius ei tradiderat, quo tempore cum illo Tyrannidem Eugenianam opprimebat) occultè jam ei significat, ut quos secum haberet Barbaros, aliósve convenas ulterius abduceret, omnia confestim occupaturus. His fretus Alaricus è Thraciâ discedit, in Macedoniam, Thessaliamq; progreditur, quicquid obvium erat evertens.* Quid attinet omnia dicere? Peloponesum quoque permittente Rufino occupavit: sed Rufinus pœnas postea luit. Quippe *dolo detecto*, ut verbis utar Marcellini, *ab Italicis militibus olim cum Gainâ Comite Arcadio missis, ante portas Constantinopolis trucidatus est.* Hanc cædem graphicè Claudianus depingit:

Vnus per medios audendi pronior, ense
Prosilit erecto, dictúq; & vulnere torvus
Appetit. Hac Stilico, quem jactas pellere, dextrâ
Te ferit: hoc absens invadit viscera ferro.
Sic fatus, meritóque latus transverberat ictu.
Felix illa manus, talem quæ prima cruorem
Hauserit, & fessi pœnam libraverit Orbis.
Mox omnes fodiunt hastis, artúsque trementes
Dilaniant: uno tot corpore pila tepescunt,
Et non infecto puduit mucrone reverti.
Hi vultus avidos, & adhuc spirantia vellunt
Lumina, truncatos alii rapuère lacertos.
Amputat ille pedes, humerum quatit ille solutum
Nexibus, hic fracti referat curvamina dorsi,
Hic jecur, hic cordis fibras, hic pandit anheli
Pulmonis latebras. Spatium non invenit ira,
Nec locus est odiis consumpto funere, vix tum
Deseritur, sparsúmque perit per tela cadaver.

Zosimus ait: milites ita cadaveri illusisse, ut manum per Vrbem circumgestarint, & passim clamaverint: Ἀργύριον δίδοτε τῷ ἀπλήστῳ: *Date pecuniam insatiabili.* Paulus Diaconus: *Interea Rufinus, cùm Barbarorum solatiis regnum tentaret invadere, morte justissimâ pœnas luit.*

13. RAVENNAM PETANT.] Iornandes cap. XXIX. *Sumpto exercitu, per Pannonias, Stilicone & Aureliano Coss. & per Firmium dextro latere quasi viris vacuam intravit Italiam. Nullo penitus obsistente, ad pontem applicuit Condintani, qui tertio milliario ab urbe erat Regiâ Ravennate. Quæ urbs inter paludes & pelagus, intérque Padi fluenta, uni tantùm patet accessui, cujus dudum (ut tradunt Majores) possessores Eneti, id est Laudabiles, dicebantur.* Antiquissimam hanc civitatem esse, varietas Auctorum adstruit, cùm de origine illius loquuntur. Alii conditorem illius faciunt Tubalam, alii filios Nimrodi Tyranni, alii Pentapolim Trojanum, & hinc Pentapolim dictam: alii à Remo conditam notant. Strabo à Thessalis cœptam, Plinius Sabinorum Coloniam tradit. Rubeus in Ravennatium Historiâ, etiam Naven-

vennam à Navibus dictam scribit. An fortassis cùm Augustus classem tutando Supero mari ibi collocaret? Sita est in locis paludosis, interluente partem Pado, ut suprà dictum. Silius lib. VIII.

Quiq; gravi ramo limosis segniter undis
Lenta paludosæ proscindunt stagna Ravennæ.

Martialis vinum illius vituperat:

Sit cisterna mihi quàm vinea malo Ravennæ.

Sidonius lib. VII. Epist. XVII. ranis & culicibus illius offenditur. Cepit tamen hæc adeò civitas & Imperatorum, & Exarchorum animos, ut in eâ sedem fixerint. Multi illam Principes eximiis operibus exornarunt. Cæsar inibi Theatrum exstruxit: Claudius Imperator miræ pulchritudinis portum condidit: Galla Placidia, & filii illius Valentinianus ac Tiberius præclaris eam monimentis auxerunt: Ostrogothorum Reges Palatiis, ac Templis, Aquæductibusque fecerunt commendabilem. Ravennam autem initiò Thessali cùm Vmbris ac Sabinis coluerunt. His ejectis Galli Boii, Boiis Romani, Romanis Gothi, Gothis Græci, Græcis Longobardi possederunt. Quos deinde Pipinus exturbavit, & Vrbem cum universo Exarchatu Pontificiæ potestatis fecit, quemadmodum sub sanctâ illâ tranquillitate etiamnum quiescit.

14. IN ITALIA DENTVR.] Iornandes cap. XXX. *Ad Honorium Legationem mittunt, quatenus si permitteret ut Gothi pacati in Italiâ residerent, sic eos cum Romanorum Populo vivere, ut una gens utraq; credi possit: sin autem alter, bellando quis quem valeret expelleret; etiam securus qui victor existeret imperaret. Honorius Imperator utramq; pollicitationem formidans, suoq; cum Senatu inito consilio, quomodo eos extra fines Italos expelleret, deliberat. Cui ad postrem um sententia sedit, quatenus provincias longè positas, id est, Gallias Hispaniasq; quas jam penè perdidisset, & Gizerici eas Vandalorum Regis vastaret irruptio; si valeret Alaricus suâ cum gente sibi tanquam lares proprios vindicaret, donatione sacro oraculo confirmatâ.* Accedat Sigebertus: *Alaricus Rex Vesigothorum per Italiam debacchatus, mandat Honorio Imperatori, ut secum aut bello ingrediatur, aut Gothis in Regno suo locum ad habitandum largiatur. Honorius Gallias, furori gentium undique expositas, eis concessit.*

15. BELLVMQVE GRAVE.] Lucius Marineus Siculus lib. VI. ait, Alaricum toto triennio in Italiâ bellasse ante Galliæ donationem.

16. VANDALIS NVPER OCCVPATAM.] De nomine & origine Vandalorum accuratè Philippus Cluverius in Germaniâ suâ Antiquâ: quæ ad Historiam faciunt è Sigeberto sumo & adopto: *Vandali* (sinum Codanum attingebant) *à Gothis victi, alienas terras invadere cœperunt, qui suas retinere non potuerunt. Hos circa Danubium* (is illis erat ad Meridiem: at Ermunduli à Septentrione, ab Occidente Marcomanni, ab Oriente Gothi, ut Iornandes auctor est) *commorantes, rursum post multum tempus Gibericus Gothorum Rex bello victos inde exturbavit, & ad hoc perpulit, ut quas quoquo modo habere videbantur, relictis sedibus, Romano Imperio se subderent, & à Constantino Magno locum habitandi sibi dari suppliciter peterent: quod & impetraverunt. Vnde anno Arcadii & Honorii XIII. evocati instinctu Stiliconis, rebellionem contra Rempublicam meditantis* (trajecto Rheno, ut Cassiodorus, adjunctisq; sibi Marcomannis, Herulis, Turcilingis, Suevis, Alemannis, Saxonibus, & Burgundionibus) *infuderunt se per Gallias junctis sibi Alanis, easq; aliquamdiu miserrimè dilaceraverunt.*

Etiam

Etiam inde eos expellebant Gothi, non quidem prospicientes Galliarum quieti, sed vacuefacientes Patriam suæ rapacitati. Vandali Hispanias aggressi, nunc Hispanias, nunc Gallias multo tempore depopulati sunt; sed nec ibi à Gothis tuti esse potuerunt. Quippe quia Gothi nimis Italiam inquietabant, Honorius deliberato cum suis consilio, Hispanias (quas tum Saxones, & Suevi vastaverant & possidebant, ut Prosper in Chronico) *& Gallias, quas sibi à Vandalis aliisq. Gentibus præreptas dolebat, Gothis ratâ confirmatione donavit. Cùm ergò Gothi à finibus suis deputatis Vandalos aliosq. hostes effugare maturarent, & Vandali undique conclusi timore Gothorum æstuarent, peccatis populi facientibus, inopina & grata eis occurrit felicitatis opportunitas. Nam inter Bonifacium & Aëtium Romanos duces per invidiam ortâ simultate, Bonifacius factus inferior, cùm dolorem suæ injuriæ nollet ulcisci, nisi damno & periculo Reipubl. ad Hispanias transivit, & Vandalos ad occupandam Libyam & Africam invitavit. Quò cùm pervolassent, ibi regnum suum multo tempore confirmaverunt, & divina & humana sine aliquo respectu humanitatis vel divinitatis perturbaverunt.* Constantinus Porphyrogenitus, libro De Administrando Imperio, cap. XXV. ex Historiâ Sigrianâ Theophanis tradit, *Vandalos, freto transmisso, Libyam tenuisse ab Oceano Tripolim usque, quæ est ex adverso Cyrenes.* Impietas Vandalorum Beatum Victorem Episcopum Vticensem impulit, ut *Historiæ persecutionis Africæ provinciæ, tempore Genserici & Hunerici Vandalorum Regum,* tres libros composuerit. Libri primi exordium est: *Sexagesimus nunc agitur annus, quo populus ille crudelis ac sævus Vandalorum Gentis Africæ miserabiles attigit fines, transvadens facili transitu per angustias maris, quo inter Hispaniam Africamq. æquor hoc magnum spatiosumq. bissenis millibus angusto limite se coarctavit. Transiens igitur quantitas universa, calliditate Genserici ducis, ut famam suæ terribilem faceret gentis, ilicò statuit omnem multitudinem enumerari, quam huic luci ad illam usque diem uterus profuderat ventris. Qui reperti sunt senes, parvuli, servi, vel domini LXXX. Millia numerati. Quæ opinio divulgata usque in hodiernum anceps gentibus; armatorum tantus numerus æstimatur, cùm sit nunc exiguus & infirmus. Invenientes igitur pacatam quietamq. provinciam, speciositatem totius terræ florentis, quaquaversum impietatis agminibus impetebant, devastando depopulabantur, incendio atque homicidiis totam exterminantes: sed nec arbustis fructiferis omnimodè parcebant; ne fortè quos antra montium, aut prærupta terrarum, vel seclusa quæq. occultaverant, post eorum transitum, illis pabulis nutrirentur. Et sic tali crudelitate furentibus, ab eorum contagione nullus remansit locus immunis.* Quid tamen est? impietatis pœnas pependerunt: nam jugum Belisarius eis imposuit, ac Regem eorum Gilimerem cum Theodorâ conjuge, filioque Hilderico, Constantinopolim ad triumphum evexit. Ne miremur: luxuriâ diffluxerant; quâ solâ peste invictæ cujuslibet gentis robora franguntur. Convivia, deliciæ, theatra, Venerisq; illecebræ, hostes sunt; occulti quidem, sed acerrimi: non pugnant tantùm, sed debellant. Procopium audiamus lib. II. Belli Vandalici: *Vandali omnium sunt, quos sciam, mollissimi atque delicatissimi. Illis, quamdiu Africam tenuerunt, mensa quotidie copiosa, & rerum omnium quas fert regio, referta fuit. Gestabant vestem Medicam ac sumptuosam, quam sericam vocant. In theatris, & hippodromis, ac reliquis oblectamentis, præsertim in venationibus, continuò versabantur: Saltatores & mimos spectabant; acroamatis, & musicis instrumentis aures demulcebant. Eorum*

plerique in hortis aquâ & arboribus amænis degebant, symposia conviviaq; celebrabant: ut nihil deesset, profusi in Venerem erant.

17. COCCIIS ALPIBUS.] Apud Pollentiam, ut auctor est Paulus Diaconus, Iornandes, Cassiodorus, aliique. Residebat hîc vero Alaricus ob recuperationem jumentorum.

18. A STILICONE.] Putes Stiliconem vel iratum Alarico, quòd fortassis votis suis nollet totus accedere; vel quòd iterum in Italiam trahere eum niteretur, ut Eucherium filium faciliùs ad Imperium eveheret, perfidum hoc facinus tentasse. Suevos enim, Vandalos, Alemannos, Burgundionesq; ingenti spe prædæ sollicitaverat, ut Auctores sunt Paulus Diaconus, Sigebertus, & Comes Marcellinus. Diaconi ista etiam verba sunt: *Stilico Occidentis tutor Imperii, immemor collatorum beneficiorum, immemor affinitatis (nam socer exstabat Honorii) regnum & ipse Eucherio filio suo affectans, ingentia Reipub. intulit mala. Nam sæpè cùm delere posset Barbaros, fovit eos; sæpè Alaricum cum Gothis suis vicit, sæpè conclusit, sæpè dimisit.*

19. INSIDIIS PRESSI.] Paulus Diaconus libro XIII. *Stilico Comes in perniciem Reipublicæ Gothos pertentans, dum eos insidiis aggredi cuperet, belli summam Saulo Pagano Duci commisit: qui ipso sacratissimo die Paschæ, Gothis nil tale suspicantibus, super eos irruit, magnamq; eorum partem prostravit. Nam primùm perturbati Gothi, ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more solito cohortantur, victoremq; virtute potiori prosternunt exercitum.* Orosius libro VII. cap. XXXVII. *Taceo de infelicibus illis ad Pollentiam gestis, cùm Barbaro & Pagano Duci, hoc est Saulo summa belli commissa est, cujus improbitate reverendissimi dies, & sanctum Pascha violatum est, cedentiq; hosti propter religionem, ut pugnaret extortum est: cùm quidem, ostendente in brevi judicio Dei & quid favor ejus posset, & quid ultio exigeret, pugnantes vicimus, victores victi sumus.* Stiliconem quoq; comperio averso à Christianis Sacris animo fuisse: & Eucherium filium à *puero persecutionem Christianorum* (Pauli Diaconi verba sunt) *meditatum.* Quinetiam, teste Orosio, idem Stilico, *ad conciliandum sibi favorem paganorum, restitutione templorum, & eversione Ecclesiarum imbuturum se regni primordia minabatur.* Zosimus quoque lib. v. nescio quid innuit, cùm de Sacrilegio scribit: *Fertur Stilico propter aliam quandam non absimilem impietatem, arcana vindicta non effugisse.* Prudentius tamen Christianum eum fuisse his verbis adseverat:

— Dux agminis, imperiiq;
Christipotens nobis juvenis fuit, & comes ejus
Atque parens Stilico: Deus unus Christus utrique;
Hujus adoratis altaribus & cruce fronti
Inscriptâ cecinêre tubæ. —

Quid dicam? ita variant illius sæculi Historiæ, ut scire nequeas, quem sequi velis. imò ipsi Zosimo interdum vir Bonus habetur Stilico; sed ab inimicis apud Imperatorem exagitatum, & suspectum toti Italiæ redditum scribit. Hinc Claudianus:

— Qui judice ferro
Diluit immeritum laudato sanguine crimen.

Quicquid est, si perfidus es Stilico, quid Gothis meditaris insidias? aut quid eos ficto stratagemate conaris revocare? tibi imminet quod paras; & Honorius non ultrà potest decipi. Quid humani generis sanguinem fundis, ut purpuram natus tuus inveniat? una vel altera cruoris hemina sufficere poterat, ut ruberet toga.

Mox

Mox cùm subsidium petes, mittetur tibi & successor, & percussor: scribetur in decreto Principis: *Hostis publicus Stilico, novum atque insolitum repererat, ut litora & portus crebris vallaret excubiis, ne cuipiam ex Oriente, ad hanc Imperii partem pateret accessus. Hujus iniquitate rei moti, & ne rarior sit diversarum mercium commeatus, præcipimus hac sanctione, ut litorum desistat ac portuum perniciosa custodia, & evadendi ac redeundi libera sit facultas.* Etiam Statuæ tuæ Rostris ejicientur, quæ nuper cum hac inscriptione stabant:

FL. STILICONI. ILLVSTRISSIMO
VIRO. BIS. CONSVLI. ORDINARIO
MAGISTRO. VTRIVSQVE. MILITIAE
COMITI. DOMESTICORVM
ET. STABVLI. SACRI. ADQVE
AB. INEVNTE. AETATE
PER. GRADVS. CLARISSIMAE
MILITIAE. AD. CVLMEN. REGIAE
ADFINITATIS. EVECTO. SOCIO
BELLORVM. OMNIVM
ET. VICTORIARVM. ADFINI
ETIAM. DIVI. THEODOSI. AVGVSTI
ITEMQVE. SOCERO
DOMINI. NOSTRI. HONORI. AVGVSTI
POPVLVS. ROMANVS
PRO. SINGVLARI. EIVS
CIRCA. SE. AMORE
ADQVE. PROVIDENTIA
STATVAM. AERE. ARGENTOQVE
IN. ROSTRIS. AD. MEMORIAM
GLORIAE. SEMPITERNAE
CONLOCANDAM. DECREVIT
EXEQVENTE. FL. PISIDIO. ROMVLO
V. C
PRAEF. VRB

Sunt qui tradant, eum Romæ, cum filio, in foro Pacis occisum; alii à Successore, propè Ravennam, alii aliter.

20. FVRORE QVODAM CONCIDVNT.] Dissentiunt tamen nonnulli, negantque Stiliconem apud Pollentiam fusum, sed equestrem illius aciem duntaxat turbatam fuisse. Quid? objectas mox hosti legiones, Alaricum castris exutum, & nurus illius in Stiliconis venisse potestatem tradunt, adducto in testimonium Poëtâ:

Altiùs haud unquam toto descendimus ense
In jugulum Scythiæ; tantâ nec clade superbum
Contudimus Tanaim, vel cornua fregimus Istri.

Et paucis versibus interjectis:

O celebranda mihi cunctis Pollentia sæclis!
O meritum nomen, felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale solum, memorabile bustum
Barbariæ! nam sæpè locis ac finibus illis
Plena lacessito rediit vindicta Quirino.
Illic Oceani stagnis excita supremis
Cimbrica tempestas, aliásve immissa per Alpes,
Iisdem procubuit campis: jam protinus ætas
Adveniens geminæ gentis permisceat ossa,
Et duplices signet titulos, commune trophæum:
Hic Cimbros, fortesq́; Getas, Stilicone peremptos,
Et Mario claris ducibus tegit Itala tellus:
Discite vesana Romam non tendere gentes.

Volunt igitur anno insequenti Radagasum, qui Transistrianorum, & Transrhenanorum quadringenta millia, teste Zosimo, conciverat, propè Florentiam immensâ clade à Stilicone attritum. Alaricum verò, Stilicone trucidato, rediisse in Italiam cum Ataulpho cognato, & stipendium ac sedes ab Honorio petiisse: sed hunc munimentis Vrbis, & Orientis copiis confisum, rogasse, ut prioris vellet expeditionis meminisse. Hoc igitur responso irritatum

Alari-

Alaricum, Romam contendisse, Vrbeque potitum esse.

21. LIGVRIAM.] Quidam à ligone, Paulus Diaconus à legendis leguminibus, Cato, Fabius, aliíque suppostitii à Ligure Phaëtontis filio dictam volunt. Quæ omnia quàm ridicula sint, nemo non videt. Liguria autem, Ligustina, & Ligustica quoque bonis scriptoribus dicta, latiùs quondam quàm hodie se extendit. Iustino lib. XX. versus Orientem, ultra Arnum producitur, & Pisas continet: versus Occidentem, etiam Narbonensem Galliam comprehendit: unde in Epitome Livianâ Ligures Transalpini. Hodie ab Ortu Etruriâ, ab Occasu Alpibus, quæ Galliam Narbonensem ab Italiâ dividunt, à Meridie suo mari; à Septentrione Apennino clauditur. Duram & laboriosam fuisse gentem, Virgilius II. Georgic. innuit:

Assuetumq. malo Ligurem. —

22. ÆMILIAM.] Varias habuit appellationes, si Catoni, & Sempronio, ab Annio Viterbiensi suppositis, credimus: nam & *Bianora*, ab Ocno Bianoro Tuscorum Duce; & *Aurelia*, & *Doris* à nobili Tuscâ familiâ fuit vocata. Postea Longobardia Cispadana. Regio est amoena, vino, & tritico fertilissima. Ab Ortu Scultennâ, & Panario fluviis; ab Occasu & Septemtrione ferè Pado; à Meridie Apennino clauditur.

23. STRAGE INVOLVVNT OMNIA.] Iornandes: *Omnem penè Exercitum Stiliconis in fugam conversum usque ad internecionem dejiciunt, furibundóque animo arreptum iter deserunt, & in Liguriam post se, unde jam transierant, revertuntur; ejúsque prædis spoliísq. potiti, Æmiliam pari tenore devastant, Flaminiamq. aggerem inter Picenum & Thusciam, usque ad Vrbem Romam discurrentes, quicquid inter utrumque latus fuit in prædam diripiunt.*

24. ROMA CAPITVR.] Divus Hieronymus: *Quid salvi esse potest, si Roma periit?* Zosimus ait, Alaricum diutius obsedisse Vrbem, & Romanos fame ac peste afflictatos, tandem his conditionibus transegisse; ut solverent quinque millia librarum auri, triginta argenti, quatuor sericarum, tria vellerum coccineorum, tria item piperis. Hanc summam ut persolverent, manus templis injecêre: fiscus enim erat exhaustus: & aurea argenteáque simulacra in massam conflarunt. D. Hieronymus: *Quis credat Romam in gremio suo, non pro gloriâ; sed pro salute pugnare: imò verò ne pugnare quidem; sed auro, & cunctâ supellectile vitam redimere: quod non vitio Principum, qui religiosissimi sunt; sed scelere semibarbari accidit Proditoris, qui nostris contra nos opibus armavit inimicos.* Et quis ille semibarbarus? Annon Stilico? quem Paulus Diaconus ait, *Vandalorum perfidæ & dolosæ gentis genere editum?* Discedit igitur Alaricus, & Vrbium aliquot Episcopos ad Honorium mittit: noluisse Vrbem hostili flammâ delere: exigere dumtaxat utrumque Noricum, & pecuniam aliquam. Sed repulsam tulit: *Iovius enim & alii Regiæ potentiæ participes hæc postulata negabant impleri posse: propterea quòd omnes quotquot Magistratus gererent, jurassent, cum Alarico se pacem nullam facturos: quippe si Deo præstitum esset jusjurandum, fortasse negligi posse, permittendo benignitati Divinæ facinoris impii condonationem: sed quoniam per Caput Imperatoris jurassent, non jam eis fas esse, contra tam grave jusjurandum admittere.* Nec moratus Alaricus Vrbem iterum obsidione pressit, quæ à Civibus dedita, spoliatur, & cunctis reliquiis exuitur. Quantâ verò fame afflicta fuerit, antequàm in jus hostis concederet, testis est idem D. Hieronymus: *Capitur Vrbs, quæ totum cepit Orbem, imò fame*

fame periit, antequam gladio, & vix pauci, qui caperentur, inventi sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti filio, & suo recipit utero, quem male antè effuderat.

25. VLTIMVM ADHVC FATVM.] Erat enim vir moderatus Alaricus, licet Barbarus; &, si non irritaretur, tolerabilis, ut è Zosimo disco. Paulus Diaconus audiendus: *Gothi Vrbe discedunt, facto aliquantarum ædium incendio, sed nec tanto quidem, quantum olim à Cæsare factum est.* Orosius: *Irruptionis per Alaricum factæ, quamvis recens memoria sit, siquis ipsius Populi Romani & multitudinem videat, & vocem audiat, nihil factum esse, sicut etiam ipsi fatentur, arbitrabitur: nisi aliquot adhuc existentibus incendiis fortè doceantur.* Isidorus in Chronico asserit, sævitum fuisse gladio in eos, qui ad Sacra non confugerant; & qui Christi Sanctorumque nomen compellare non dignabantur: additque postea: *Sic evaserunt multa millia Romanorum, quibus Gothi propter Christum misericorditer pepercerunt. Vnde & hucusque Romani, qui in Regno Gothorum consistunt, adeò amplectuntur, ut melius sit illis cum Gothis pauperes vivere, quàm inter Romanos, potentes esse, & grave jugum tributi portare.* Iornandes cap. XXX. *Romam spoliant, non, ut solent gentes, ignem supponunt, nec locis Sanctorum in aliquo penitus injuriam irrogari patiuntur.* Imò S. Augustinus lib. III. de Civit Dei, cap. XXIX. tradit, Romanos funestiores clades à Mario & Syllâ, quàm à Gothis accepisse. Verba sunt: *Gothi verò tam multis Senatoribus pepercerunt, ut magis mirum sit, quòd aliquos peremerunt.*

26. VRBS VRBIVM.] Martialis:

Terrarum Dea, Gentiumq; Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Claudianus:

Quâ nihil in terris complectitur altius æther;
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit; quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris.

Cùm conderetur, Horoscopum Libram habuit, teste Manlio, & Libram rerum accepit.

Hesperiam sua Libra tenet, quâ condita Roma
Orbis & imperium retinet, discrimina rerum
Lancibus, & positas gentes tollitq; premitq;.

Theodericus Rex, apud Cassiodorum libro II. Epist. III. ad Præfectum Vrbis Argolicum magnificè: *Romanæ cloacæ tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare. Videas illic fluvios quasi montis concavis clausos, per ingentia signa decurrere: videas structis navibus per aquas rapidas cùm minimâ sollicitudine navigari, ne præcipitato torrente marina possint naufragia sustineri. Hinc Roma singularis, quanta in te sint, potest colligi magnitudo. Quæ enim audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possint similitudinem reperire?*

HISTORIA.

GOTHIS [1] trans Alpes dilapsis, novam procellam Septentrio effudit. Sævus ille [2] Attila [3] Hunnorum Rex, ab Aëtio in campis Catalaunicis victus & profugus, à clade fe-

F rociam

rociam ſumpſit, totamque trahens Scythiam, ille humani generis terror Italiæ imminebat. Funditus delere Romam, & Romani tollere imperii nomen decreverat; atque huc per ſtrages & ruinas ibat. Primâ crudelitate [4] Aquileia periit, & tanquam unâ flammâ mox [5] Concordia, [6] Opitergium, [7] Altinum, [8] Patavium, [9] Ateſte, [10] ac deinde tota illa maritima regio conflagravit. Adhuc in Tranſpadanis luſerat Hunnorum barbaries, niſi eâdem calamitate Inſubres Liguresque obrueret. Ergò aliarum urbium fatum etiam [11] Mediolanum excepit, & cùm avaritiæ hoſtium ſufficeret, crudelitatem minimè ſatiavit. In homines & tecta ſævitum, igni, ferro, manu: pulcherrimam urbem brevis furor excidit. Neſcio quo ſidere; ſed veſtigia quondam Annibalis & vota Attila ſequitur. Quid tamen? cùm lenior non eſſet, nec felicior fuit. [12] Padum tranſit, omnia cædibus incendiiſque implet, ultimam ſævitiæ procellam in Dominæ urbis mœnia ac templa effuſurus. Sed quò ruis immaniſſima bellua? ad crudelitatis famam hæc jam ſatis. Cohibe impetum, & fumantem à tergo recenti incendio regionem reſpice: cladi ſi credis, vix quicquam votis truculentis jam ſcelus adjiciet. Romam petis? Mediolanum Roma fuit, & cum Inſubrum urbe reliqua Italia concidit. Mirari juvat: [13] Metus, [14] an aliud conſilium mentem Tyranni impulit? an occulta vis fati? Interruptus ſævitiæ curſus eſt, & quia iterum non ſpernendis copiis occurreret Aëtius, immenſus ille jamque gravis prædâ exercitus [15] relegit veſtigia: prorsùs poſtquam divitias rapuit, timuit vinci. Annuo tamen tributo (prô pudor!) [16] pacem ab Attilâ Valentinianus emit, Auguſtus à Barbaro, & clade quàm dedecore carere Imperium maluit.

COMMENTARIVS.

1. TRANS ALPES DILAPSIS.] Alaricus ſpoliatâ Vrbe, reliquam populari Italiam ſtatuit; & primò quidem Nolam profectus, Paulinum Epiſcopum vinculis oneravit. Auguſtinus de Civitate Dei: *Paulinus noſter, Nolanus Epiſcopus, quando ipſam Nolam Barbari vaſtaverunt, cùm ab iis teneretur, ſic in corde ſuo, ut ab eo poſtea cognovimus, precabatur: Domine non excru-*

excrucior propter aurum & argentum: ubi enim sint omnia mea, tu scis. Reliqua quæ Alaricus perpetravit, & quomodo Gothi, Duce Athaulfo, in Galliam iverint, Iornandes præscripsit: imò Paulus Diaconus, quem exprimo: *Deinde per Campaniam, Lucaniam, Brutiamq; simili strage bacchantes Rhegium pervenêre, in Siciliam transfretare cupientes: quò cùm transmeare ascensis navibus vellent, perpessi naufragium, plures suorum amiserunt. Alaricus inter hæc dum quid ageret deliberaret, apud Cosentiam morte subitâ defunctus est. Gothi Basentum* (Iornandi Barentium) *amnem de alveo suo captivorum labore derivantes, Alaricum in medio ejus alveo cum multis opibus sepeliunt, amnemq; meatui proprio reddentes, nequis locum scire posset, captivos qui interfuerant extinguunt. Regem deinceps Athaulfum, Alarici affinem, Gothi constituentes, Romam redeunt: si quid residui fuit, more locustarum eradunt; auferentes deinde Gallam Placidiam, Theodosii Principis filiam, sororem Honorii, quam sibi Athaulfus apud Forum Cornelii* (Iornandes Forum Livii, Æmiliæ civitatem nominat) *connubio copulavit; quæ multò pòst Respublicæ commodo fuit. Nam ad hoc mariti animum acerrimo ingenio subtilibusque blandimentis inflexit, ut ultro à Romanis pacem expeteret.* In Gallias deinde proficiscitur, *Ubi,* ut Iornandis verba ponam, *vicinæ gentes perterritæ in suis se finibus cœperunt continere, quæ dudum crudeliter Gallias infestassent, tam Franci, quàm Burgundiones. Nam Vandali, & Alani, quos suprà diximus, permissu Principum Romanorum utrâque Pannoniâ resedêre, nec ibi sibi ob metum Gothorum arbitrantes tutum fore, si reverterentur, ad Gallias transîere. Sed mox à Gallis, quas ante non multum tempus occupassent, fugientes, Hispaniâ se reclusêre, adhuc memores, ex relatione majorum suorum, quid dudum Gebericus Rex Gothorum genti suæ præstitisset incommodi, vel quomodo eos virtute suâ patrio solo expulisset. Tali ergò casu Galliæ Athaulfo patuêre venienti. Confirmato ergò Gothis Regno in Galliis, Hispanorum cœpit casu dolere* (à Constantino Patricio Romano admonitus, ut refert Isidorus,) *eosq; deliberans à Vandalorum incursibus eripere, per suas opes Barcilonam cum certis fidelibus delectis, plebéque imbelli, interiores Hispanias introivit, ubi sæpè cum Vandalis decertans, tertio anno postquam Gallias Hispaniasq; domuisset occubuit; gladio ilio perforato Vernulfi, de cujus solitus erat ridere staturâ.* Reliqua Isidorus in Chronico: *Post Athaulfum Gothis Sigericus Princeps electus est, qui dum ad pacem cum Romanis esset promptissimus à suis est interfectus. Ærâ & anno quo suprà Vallia succedens, tribus annis regnavit, belli caussâ Princeps à Gothis effectus; sed ad pacem divinâ providentiâ ordinatus. Mox enim ut regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit: Placidiam sororem ejus honorificè reddidit: Romani quoque nominis caussâ intra Hispanias cædes magnas Barbaris intulit.* An addo? omnes Vandalos Hispaniâ expulit, coegitque per Gaditanum fretum in Africam transmittere. Hinc Sidonius Apollinaris de Ricimere Valliæ Nepote:

— Simul & reminiscitur illud,
Quod Tartessiacis avus hujus Valliæ terris
Vandalicas turmas, & vincti Martia Alanos
Stravit, & occiduum texêre cadavera Calpen.
Quid veteres narrare fugas, quid damna priorum?
Arganthonini recolit dispendia campi.
Inde furit, quòd se docuit satis esse nepotem
Illius esse viri, quo viso, Vandale, semper
Terga dabas. —

omnium, nece suorum. Sed librante justitiâ detestabili remedio crescens, deformes exitus suæ crudelitatis invenit. Bletâ enim fratre fraudibus perempto, qui magnæ parti regnabat Hunnorum, universum sibi populum subjugavit, aliarumq; gentium, quas tunc in ditione tenebat, numerositate collectâ, primas mundi gentes, Romanos Vesigothosq; subdere peroptabat. Cujus exercitus quingentorum millium esse numerus ferebatur. Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio quâ sorte terrebat cuncta, formidabili de se opinione vulgatâ. Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos; ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator; sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide semel receptis. Formâ brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barbâ, canis aspersus, simo naso, teter colore, originis suæ signa restituens. Qui quamvis hujus esset naturæ, ut semper magna confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inventus, apud Scytharum Reges semper habitus. Iornandes alibi eum vocat *Hunnorum omnium Dominum, & penè totius Scythiæ gentium solum in mundo Regnatorem.* Callimachus Experiens quasi Deum facit: *Si qua humana virtutis modum in eo viro supergressa videbuntur, relato ad Deos originis argumento, fidem accipiant.* Sed quomodo ipse de se sentire solitus, è Nicolao Olao, audiamus: *Stellas præ se cadere, terram tremere, se malleum esse Universi Orbis.* Epistolis verò, & diplomatibus hunc titulnm præscribebat, ut auctor est Michael Ritius lib. 1. de Reb. Hungar. *Attila filius Bendeucri, nepos magni Nembroth, nutritus in Engaddi, Dei gratiâ Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Dacorum, metus Orbis, & Flagellum Dei.* Plura ex Callimacho adjungam, & quidem vitæ illius familiaria: *Vestitu quam splendidissimo utebatur, putabatq; id ad majestatem pertinere. Inter prandendum raro sedit: in cœnâ profusus erat, cibumq; avidissimè conficiebat. Caterùm carne plurimâ se farciens à pane ferè abstinuit, ut qui inepti, & pauci succi alendis corporibus eum arbitraretur. Vino immodicè cùm indulgeret in otio, semper tamen sibi constabat. Religionis verò, persuasionibusq; de Diis, à gente suâ susceptis, usque ad superstitionem addictus; dicebatq; nullo sanctiore sacrificio Deos piari, quàm si justè & beneficè inter homines agitaretur. Incitabat autem exemplo suos ad cæteras virtutes, tum maximè ad temperantiam in bellicis expeditionibus, cùm plerumque aquâ & plebejâ pulte contentus in publico pranderet. Existimans eam tolerantiam humanarum necessitatum, quæ obsedendis oppugnandisq; urbibus, tum itineribus ac reliquis muneribus obeundis militi est necessaria; nullâ re magis expediri frangiq; posse, quàm delicatioris victûs consuetudine. Pecunias, veteri majorum instituto, propè contemnebat. Auditusq; est sæpè cùm diceret plus esse molestiæ in earum amissione, quàm in possessione voluptatis. Armorum meditationes ad tirones exercendos, minimè necessarias arbitrabatur, quocunq; periculo satis ex tempore inferendis propulsandisq; vulneribus erudiente.* Primò igitur vertit arma in Gepidas, deinde in Sarmaticas nationes, postea Mœsiâ & Daciâ & Pannoniâ Vesigothos exuit, & Istri fluminis propugnacula, queis Romani se ab irruentibus muniebant, nullo labore (ut Procopius ait) sustulit, & in Macedoniam Asiamque penetravit: quam ubi pacatam reperit, mox in Pannoniam rediit, ibique sedem suam figere decrevit; tam locorum captus amœnitate, quàm oportunitate retinendis sub ditione suâ nationes quas devicerat; quod velut in cervice earum positus, omnem tumultuandi facultatem omnibus esset adempturus. Accedebat,

cedebat, quòd magnis, & frequentibus fluminibus undique circumseptâ regione, à subitis quibuscumque incursionibus tutum fore se credebat. Sed & cogitationis suæ exitum per sortes exploranti, felicia & stabilia omnia obvenerunt. Captis igitur descriptisque locis, per quæ gentibus suis distributis, regionem munitam, clausam insultibus externis redderet, aliquantum temporis stabiliendis Regni rebus insumpsit. Deinde cùm pacata omnia & tranquilla sibi intueretur, ad Occidentis Imperium animum adjecit. Nam Priscus Historicus à Theodosio Imperatore Orientis missus in Scythiam, ad Attilam tunc in vico instar civitatis amplissimæ morantem, cujus lignea erant mœnia, pacem impetraverat. Valentinianus tamen Occidentis Imperator legatione Aëtii V. C. aliquo tempore pestem hanc avertit; donec Gizericus Rex Vandalorum in Africâ, multis muneribus ad Vesigothorum (qui in Galliâ & Hispaniâ habitabant) bellum Attilam incitaret, *Metuens ne Theodericus Vesegothorum Rex* (Iornandis verbis loquar) *filiæ ulcisceretur injuriam; quæ Hunerico Gizerici filio juncta, priùs quidem tanto conjugio lætabatur: sed postea, ut erat ille in pignora sua truculentus, ob suspicionem tantummodò veneni ab eâ parati, eam putatis naribus spolians decore naturali, Patri suo ad Gallias remiserat, ut turpe funus miseranda semper offerret; & crudelitas, quâ etiam moverentur externi, vindictam efficaciùs impetraret.* Quid igitur Attila? etiam quod viribus poterat, astu & consilio cœpit tentare. Cætera dicat Callimachus: *Præmisit Legatos Romam ad Valentinianum, qui benignè eum alloquentes nunciarent se bello accingi contra Theodericum, qui Vesigothis in Galliâ* (apud Tolosam, ut ait Paulus Diaconus) *præerat, instituisse delere gentem publicæ omnium gentium pacis perturbatricem, nihil sibi rei cum Romanis esse, & viros eos fortes, ac bonos credere, quorum imperium, & latè pateret, & æquissimo à subditis ferretur animo. Pollicetur præterea, si ex usu fore appareret, initurum se cum illis fœdus atq; amicitiam, viresq; & consilia communicaturum, quocumque res ac discrimen vocaret. Haud dissimilibus quoque mandatis instructam legationem ad Theodericum misit in Gallias, ut separatim postea eos aggrediens faciliùs utrumque superaret.* Homo subtilis, antequàm bella gereret, arte pugnabat: *quas astutias Aëtius prævidens,* ut ait Paulus Diaconus, *ad Theodericum Legatos dirigit, qui cum eo pacis fœdera sollicitarent.* His apud Iornandem verbis: *Prudentiæ vestræ est, fortissima gentium, adversus Orbis conspirare tyrannum, qui optat mundi generale habere servitium, qui caussas prælii non requirit, sed quicquid commiserit, hoc putat esse legitimum. Ambitum suum brachio metitur, superbiâ licentiam satiat; qui jus fásque contemnens, hostem se exhibet naturæ cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in commune omnium se approbat inimicum. Recordamini, quæso, quod certè non potest oblivisci. Ab Hunnis casus est fusus, sed quod graviter agit, insidiis agit appetitum. Vnde ut de nobis taceamus, potestis hanc inultam ferre superbiam? Armorum potentes favete propriis doloribus, & communes jungite manus. Auxiliamini etiam Reipublicæ, cujus membrum tenetis. Quàm sit autem nobis expetenda vel amplexanda societas, hostes interrogate consilia.* His & similibus Theodericum sibi junxit Aëtius. Adhæc, *fuêre Romanis auxilio,* ut scribit Paulus Diaconus, *Burgundiones, Alani cum Sangibano suo Rege, Franci cum Rege Meroveo, Saxones, Riparioli, Lambrones, Sarmatæ, Armoritiani, Liticiani, ac penè totius populi Occidentis, quos omnes Aëtius, ne impar Attilæ occurreret, ad belli adsciverat socie-*

omnium, nece suorum. Sed librante justitiâ detestabili remedio crescens, deformes exitus suæ crudelitatis invenit. Bletâ enim fratre fraudibus perempto, qui magnæ parti regnabat Hunnorum, universum sibi populum subjugavit, aliarumq; gentium, quas tunc in ditione tenebat, numerositate collectâ, primas mundi gentes, Romanos Vesigothosq; subdere peroptabat. Cujus exercitus quingentorum millium esse numerus ferebatur. Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio quâ sorte terrebat cuncta, formidabili de se opinione vulgatâ. Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos; ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator; sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide semel receptis. Formâ brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barbâ, canis aspersus, simo naso, teter colore, originis suæ signa restituens. Qui quamvis hujus esset naturæ, ut semper magna confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inventus, apud Scytharum Reges semper habitus. Iornandes alibi eum vocat *Hunnorum omnium Dominum, & penè totius Scythiæ gentium solum in mundo Regnatorem*. Callimachus Experiens quasi Deum facit: *Si qua humana virtutis modum in eo viro supergressa videbuntur, relato ad Deos originis argumento, fidem accipiant.* Sed quomodo ipse de se sentire solitus, è Nicolao Olao, audiamus: *Stellas præ se cadere, terram tremere, se malleum esse Universi Orbis.* Epistolis verò, & diplomatibus hunc titulum præscribebat, ut auctor est Michael Ritius lib. 1. de Reb. Hungar. *Attila filius Bendeucci, nepos magni Nembroth, nutritus in Engaddi, Dei gratiâ Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Dacorum, metus Orbis, & Flagellum Dei.* Plura ex Callimacho adjungam, & quidem vitæ illius familiaria: *Vestitu quam splendidissimo utebatur, putabatq; id ad majestatem pertinere. Inter prandendum rarò sedit: in cœnâ profusus erat, cibumq; avidissimè conficiebat. Cæterùm carne plurimâ se farciens à pane ferè abstinuit, ut qui inepti, & pauci succi alendis corporibus eum arbitraretur. Vino immodicè cùm indulgeret in otio, semper tamen sibi constabat. Religionis verò, persuasionibusq; de Diis, à gente suâ susceptis, usque ad superstitionem addictus; dicebatq; nullo sanctiore sacrificio Deos piari, quàm si justè & beneficè inter homines agitaretur. Incitabat autem exemplo suos ad cæteras virtutes, tum maximè ad temperantiam in bellicis expeditionibus, cùm plerumque aquâ & plebejâ pulte contentus in publico pranderet. Existimans eam tolerantiam humanarum necessitatum, quæ obsedendis oppugnandisq; urbibus, tum itineribus ac reliquis muneribus obeundis militi est necessaria; nullâ re magis expediri frangiq; posse, quàm delicatioris victûs consuetudine. Pecunias, veteri majorum instituto, propè contemnebat. Auditusq; est sæpè cùm diceret plus esse molestiæ in earum amissione, quàm in possessione voluptatis. Armorum meditationes ad tirones exercendos, minimè necessarias arbitrabatur, quocunq; periculo satis ex tempore inferendis propulsandisq; vulneribus erudiente.* Primò igitur vertit arma in Gepidas, deinde in Sarmaticas nationes, postea Mœsiâ & Daciâ & Pannoniâ Vesigothos exuit, & Istri fluminis propugnacula, queis Romani se ab irruentibus muniebant, nullo labore (ut Procopius ait) sustulit, & in Macedoniam Asiamque penetravit: quam ubi pacatam reperit, mox in Pannoniam rediit, ibique sedem suam figere decrevit; tam locorum captus amœnitate, quàm oportunitate retinendis sub ditione suâ nationes quas devicerat; quod velut in cervice earum positus, omnem tumultuandi facultatem omnibus esset adempturus. Accedebat,

cedebat, quòd magnis, & frequentibus fluminibus undique circumseptâ regione, à subitis quibuscumque incursionibus tutum fore se credebat. Sed & cogitationis suæ exitum per sortes exploranti, felicia & stabilia omnia obvenerunt. Captis igitur descriptisque locis, per quæ gentibus suis distributis, regionem munitam, clausam insultibus externis redderet, aliquantum temporis stabiliendis Regni rebus insumpsit. Deinde cùm pacata omnia & tranquilla sibi intueretur, ad Occidentis Imperium animum adjecit. Nam Priscus Historicus à Theodosio Imperatore Orientis missus in Scythiam, ad Attilam tunc in vico instar civitatis amplissimæ morantem, cujus lignea erant mœnia, pacem impetraverat. Valentinianus tamen Occidentis Imperator legatione Aëtii V. C. aliquo tempore pestem hanc avertit; donec Gizericus Rex Vandalorum in Africâ, multis muneribus ad Vesigothorum (qui in Galliâ & Hispaniâ habitabant) bellum Attilam incitaret, *Metuens ne Theodericus Vesegothorum Rex* (Iornandis verbis loquar) *filiæ ulcisceretur injuriam; quæ Hunerico Gizerici filio juncta, priùs quidem tanto conjugio lætabatur: sed postea, ut erat ille in pignora sua truculentus, ob suspicionem tantummodò veneni ab eâ parati, eam putatis naribus spolians decore naturali, Patri suo ad Gallias remiserat, ut turpe funus miseranda semper offerret; & crudelitas, quâ etiam moverentur externi, vindictam efficaciùs impetraret*. Quid igitur Attila? etiam quod viribus poterat, astu & consilio cœpit tentare. Cætera dicat Callimachus: *Præmisit Legatos Romam ad Valentinianum, qui benignè eum alloquentes nunciarent se bello accingi contra Theodericum, qui Vesigothis in Galliâ* (apud Tolosam, ut ait Paulus Diaconus) *præerat, instituisse delere gentem publicæ omnium gentium pacis perturbatricem, nihil sibi rei cum Romanis esse, & viros eos fortes, ac bonos credere, quorum imperium, & latè pateret, & æquissimo à subditis ferretur animo. Pollicetur præterea, si ex usu fore appareret, initurum se cum illis fœdus atq; amicitiam, viresq; & consilia communicaturum, quocumque res ac discrimen vocaret. Haud dissimilibus quoque mandatis instructam legationem ad Theodericum misit in Gallias, ut separatim postea eos aggrediens faciliùs utrumque superaret*. Homo subtilis, antequàm bella gereret, arte pugnabat: *quas astutias Aëtius prævidens*, ut ait Paulus Diaconus, *ad Theodericum Legatos dirigit, qui cum eo pacis fœdera sollicitarent*. His apud Iornandem verbis: *Prudentiæ vestræ est, fortissima gentium, adversus Orbis conspirare tyrannum, qui optat mundi generale habere servitium, qui caussas prælii non requirit, sed quicquid commiserit, hoc putat esse legitimum. Ambitum suum brachio metitur, superbiâ licentiam satiat; qui jus fásque contemnens, hostem se exhibet naturæ cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in commune omnium se approbat inimicum. Recordamini, quæso, quod certè non potest oblivisci. Ab Hunnis casus est fusus, sed quod graviter agit, insidiis agit appetitum. Vnde ut de nobis taceamus, potestis hanc inultam ferre superbiam? Armorum potentes favete propriis doloribus, & communes jungite manus. Auxiliamini etiam Republicæ, cujus membrum tenetis. Quàm sit autem nobis expetenda vel amplexanda societas, hostes interrogate consilia*. His & similibus Theodericum sibi junxit Aëtius. Adhæc, *fuêre Romanis auxilio*, ut scribit Paulus Diaconus, *Burgundiones, Alani cum Sangibano suo Rege, Franci cum Rege Meroveo, Saxones, Ripariolı, Lambrones, Sarmatæ, Armoritiani, Liticiani, ac penè totius populi Occidentis, quos omnes Aëtius, ne impar Attilæ occurreret, ad belli adsciverat*

socie-

omnium, nece suorum. Sed librante justitiâ detestabili remedio crescens, deformes exitus suæ crudelitatis invenit. Bletâ enim fratre fraudibus perempto, qui magnæ parti regnabat Hunnorum, universum sibi populum subjugavit, aliarumq́ gentium, quas tunc in ditione tenebat, numerositate collectâ, primas mundi gentes, Romanos Vesigothosq́ subdere peroptabat. Cujus exercitus quingentorum millium esse numerus ferebatur. Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio quâ sorte terrebat cuncta, formidabili de se opinione vulgatâ. Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos; ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator; sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide semel receptis. Formâ brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barbâ, canis aspersus, simo naso, teter colore, originis suæ signa restituens. Qui quamvis hujus esset naturæ, ut semper magna consideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inventus, apud Scytharum Reges semper habitus. Iornandes alibi eum vocat *Hunnorum omnium Dominum, & penè totius Scythiæ gentium solum in mundo Regnatorem.* Callimachus Experiens quasi Deum facit: *Si qua humanæ virtutis modum in eo viro supergressa videbuntur, relato ad Deos originis argumento, fidem accipiant.* Sed quomodo ipse de se sentire solitus, è Nicolao Olao, audiamus: *Stellas præ se cadere, terram tremere, se malleum esse Universi Orbis.* Epistolis verò, & diplomatibus hunc titulnm præscribebat, ut auctor est Michael Ritius lib. 1. de Reb. Hungar. *Attila filius Bendecuci, nepos magni Nembroth, nutritus in Engaddi, Dei gratiâ Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Dacorum, metus Orbis, & Flagellum Dei.* Plura ex Callimacho adjungam, & quidem vitæ illius familiaria: *Vestitu quam splendidissimo utebatur, putabatq́ id ad majestatem pertinere. Inter prandendum rarò sedit: in cœnâ profusus erat, cibumq́ avidissimè conficiebat. Cæterùm carne plurimâ se farciens à pane ferè abstinuit, ut qui inepti, & pauci succi alendis corporibus eum arbitraretur. Vino immodicè cùm indulgeret in otio, semper tamen sibi constabat. Religionis verò, persuasionibusq́ de Diis, à gente suâ susceptis, usque ad superstitionem addictus; dicebatq́ nullo sanctiore sacrificio Deos piari, quàm si justè & beneficè inter homines agitaretur. Incitabat autem exemplo suos ad cæteras virtutes, tum maximè ad temperantiam in bellicis expeditionibus, cùm plerumque aquâ & plebejâ pulte contentus in publico pranderet. Existimans eam tolerantiam humanarum necessitatum, quæ obsedendis oppugnandisq́ urbibus, tum itineribus ac reliquis muneribus obeundis militi est necessaria; nullâ re magis expediri frangiq́ posse, quàm delicatioris victûs consuetudine. Pecunias, veteri majorum instituto, propè contemnebat. Auditusq́ est sæpè cùm diceret plus esse molestiæ in earum amissione, quàm in possessione voluptatis. Armorum meditationes ad tirones exercendos, minimè necessarias arbitrabatur, quecunq́ periculo satis ex tempore inferendis propulsandisq́ vulneribus erudiente.* Primò igitur vertit arma in Gepidas, deinde in Sarmaticas nationes, postea Mœsiâ & Daciâ & Pannoniâ Vesigothos exuit, & Istri fluminis propugnacula, queis Romani se ab irruentibus muniebant, nullo labore (ut Procopius ait) sustulit, & in Macedoniam Asiamque penetravit: quam ubi pacatam reperit, mox in Pannoniam rediit, ibique sedem suam figere decrevit; tam locorum captus amœnitate, quàm oportunitate retinendis sub ditione suâ nationes quas devicerat; quod velut in cervice earum positus, omnem tumultuandi facultatem omnibus esset ademptyrus. Accedebat

cedebat, quòd magnis, & frequentibus fluminibus undique circumseptâ regione, à subitis quibuscumque incursionibus tutum fore se credebat. Sed & cogitationis suæ exitum per sortes exploranti, felicia & stabilia omnia obvenerunt. Captis igitur descriptisque locis, per quæ gentibus suis distributis, regionem munitam, clausam insultibus externis redderet, aliquantum temporis stabiliendis Regni rebus insumpsit. Deinde cùm pacata omnia & tranquilla sibi intueretur, ad Occidentis Imperium animum adjecit. Nam Priscus Historicus à Theodosio Imperatore Orientis missus in Scythiam, ad Attilam tunc in vico instar civitatis amplissimæ morantem, cujus lignea erant mœnia, pacem impetraverat. Valentinianus tamen Occidentis Imperator legatione Aëtii V. C. aliquo tempore pestem hanc avertit; donec Gizericus Rex Vandalorum in Africâ, multis muneribus ad Vesigothorum (qui in Galliâ & Hispaniâ habitabant) bellum Attilam incitaret, *Metuens ne Theodericus Vesegothorum Rex* (Iornandis verbis loquar) *filiæ ulcisceretur injuriam; quæ Hunerico Gizerici filio juncta, priùs quidem tanto conjugio lætabatur: sed postea, ut erat ille in pignora sua truculentus, ob suspicionem tantummodò veneni ab eâ parati, eam putatis naribus spolians decore naturali, Patri suo ad Gallias remiserat, ut turpe funus miseranda semper offerret; & crudelitas, quâ etiam moverentur externi, vindictam efficaciùs impetraret*. Quid igitur Attila? etiam quod viribus poterat, astu & consilio cœpit tentare. Cætera dicat Callimachus: *Præmisit Legatos Romam ad Valentinianum, qui benignè eum alloquentes nunciarent se bello accingi contra Theodericum, qui Vesigothis in Galliâ* (apud Tolosam, ut ait Paulus Diaconus) *præerat, instituisse delere gentem publicæ omnium gentium pacis perturbatricem, nihil sibi rei cum Romanis esse, & viros eos fortes, ac bonos credere, quorum imperium, & latè pateret, & æquissimo à subditis ferretur animo. Pollicetur præterea, si ex usu fore appareret, initurum se cum illis fœdus atq; amicitiam, viresq; & consilia communicaturum, quocumque res ac discrimen vocaret. Haud dissimilibus quoque mandatis instructam legationem ad Theodericum misit in Gallias, ut separatim postea eos aggrediens faciliùs utrumque superaret*. Homo subtilis, antequàm bella gereret, arte pugnabat: *quas astutias Aëtius prævidens*, ut ait Paulus Diaconus, *ad Theodericum Legatos dirigit, qui cum eo pacis fœdera sollicitarent*. His apud Iornandem verbis: *Prudentiæ vestræ est, fortissima gentium, adversus Orbis conspirare tyrannum, qui optat mundi generale habere servitium, qui caussas prælii non requirit, sed quicquid commiserit, hoc putat esse legitimum. Ambitum suum brachio metitur, superbiâ licentiam satiat; qui jus fásque contemnens, hostem se exhibet naturæ cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in commune omnium se approbat inimicum. Recordamini, quæso, quod certè non potest oblivisci. Ab Hunnis casus est fusus, sed quod graviter agit, insidiis agit appetitum. Vnde ut de nobis taceamus, potestis hanc inultam ferre superbiam? Armorum potentes favete propriis doloribus, & communes jungite manus. Auxiliamini etiam Reipublicæ, cujus membrum tenetis. Quàm sit autem nobis expetenda vel amplexanda societas, hostes interrogate consilia*. His & similibus Theodericum sibi junxit Aëtius. Adhæc, *fuêre Romanis auxilio*, ut scribit Paulus Diaconus, *Burgundiones, Alani cum Sangibano suo Rege, Franci cum Rege Meroveo, Saxones, Riparioli, Lambrones, Sarmatæ, Armoritiani, Liticiani, ac penè totius populi Occidentis, quos omnes Aëtius, ne impar Attilæ occurreret, ad belli adsciverat socie-*

[illegible] Sed [illegible] Hungarorum [illegible] Epistolis verò, & [illegible] Michael [illegible] de Reb. Hungar. [illegible] ex Callimacho [illegible] & quidem vitæ [illegible]

[illegible] Caterum [illegible] & Lucæ S. [illegible] Romam [illegible] & in [illegible] omnibus esset [illegible]

cedebat, quòd magnis, & frequentibus fluminibus undique circumseptâ regione, à subitis quibuscumque incursionibus tutum fore se credebat. Sed & cogitationis suæ exitum per sortes exploranti, felicia & stabilia omnia obvenerunt. Captis igitur descriptisque locis, per quæ gentibus suis distributis, regionem munitam, clausam insultibus externis redderet, aliquantum temporis stabiliendis Regni rebus insumpsit. Deinde cùm pacata omnia & tranquilla sibi intueretur, ad Occidentis Imperium animum adjecit. Nam Priscus Historicus à Theodosio Imperatore Orientis missus in Scythiam, ad Attilam unc in vico instar civitatis amplissinæ morantem, cujus lignea erant nœnia, pacem impetraverat. Valeninianus tamen Occidentis Imperaor legatione Aëtii V. C. aliquo temore pestem hanç avertit; donec Giericus Rex Vandalorum in Africâ, ultis muneribus ad Vesigothorum qui in Galliâ & Hispaniâ habitaunt) bellum Attilam incitaret, *Meens ne Theodericus Vesegothorum Rex* ornandis verbis loquar) *filiæ ulcisceur injuriam; quæ Hunerico Gizerici o juncta, priùs quidem tanto conjugio abatur: sed postea, ut erat ille in piora sua truculentus, ob suspicionem tanumodò veneni ab eâ parati, eam putanaribus spolians decore naturali, Pasuo ad Gallias remiserat, ut turpe fumiseranda semper offerret; & crudes, quâ etiam moverentur externi, vinam efficaciùs impetraret*. Quid igi Attila? etiam quod viribus pote, astu & consilio cœpit tentare. tera dicat Callimachus: *Præmisit atos Romam ad Valentinianum, qui grè eum alloquentes nunciarent se accingi contra Theodericum, qui Vehis in Galliâ* (apud Tolosam, ut Paulus Diaconus) *præerat, insti- è delere gentem publicæ omnium gentium pacis perturbatricem, nihil sibi rei cum Romanis esse, & viros eos fortes, ac bonos credere, quorum imperium, & latè pateret, & æquissimo à subditis ferretur animo. Pollicetur præterea, si ex usu fore appareret, initurum se cum illis fœdus atq; amicitiam, viresq; & consilia communicaturum, quocumque res ac discrimen vocaret. Haud dissimilibus quoque mandatis instructam legationem ad Theodericum misit in Gallias, ut separatim postea eos aggrediens faciliùs utrumque superaret*. Homo subtilis, antequàm bella gereret, arte pugnabat: *quas astutias Aëtius prævidens*, ut ait Paulus Diaconus, *ad Theodericum Legatos dirigit, qui cum eo pacis fœdera sollicitarent*. His apud Iornandem verbis: *Prudentiæ vestræ est fortissima gentium, adversus Orbis conspirare tyrannum, qui optat mundi generale habere servitium, qui caussas prælii non requirit, sed quicquid commiserit, hoc putat esse legitimum. Ambitum suum brachio metitur, superbiâ licentiam satiat; qui jus fásque contemnens, hostem se exhibet naturæ cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in commune omnium se approbat inimicum. Recordamini, quæso, quod certè non potest oblivisci. Ab Hunnis casus est fusus, sed quod graviter agit, insidiis agit appetitum. Unde ut de nobis taceamus, potestis hanc inultam ferre superbiam? Armorum potentes favete propriis doloribus, & communes jungite manus. Auxiliamini etiam Reipublicæ, cujus membrum tenetis. Quàm sit autem nobis expetenda vel amplexanda societas, hostes interrogate consilia*. His & similibus Theodericum sibi junxit Aëtius. Adhæc, *fuêre Romanis auxilio*, ut scribit Paulus Diaconus, *Burgundiones, Alani cum Sangibano suo Rege, Franci cum Rege Meroveo, Saxones, Riparioli, Lambrones, Sarmatæ, Armoritiani, Liticiani, ac penè totius populi Occidentis, quos omnes Aëtius, ne impar Attilæ occurreret, ad belli adsciverat socie-*

rociam sumpsit, totamque trahens Scythiam, ille humani generis terror Italiæ imminebat. Funditus delere Romam, & Romani tollere imperii nomen decreverat; atque huc per strages & ruinas ibat. Primâ crudelitate [4] Aquileia periit, & tanquam unâ flammâ mox [5] Concordia,[6] Opitergium,[7] Altinum,[8] Patavium,[9] Ateste, [10] ac deinde tota illa maritima regio conflagravit. Adhuc in Transpadanis luserat Hunnorum barbaries, nisi eâdem calamitate Insubres Liguresque obrueret. Ergò aliarum urbium fatum etiam [11] Mediolanum excepit, & cùm avaritiæ hostium sufficeret, crudelitatem minimè satiavit. In homines & tecta sævitum, igni, ferro, manu: pulcherrimam urbem brevis furor excidit. Nescio quo sidere; sed vestigia quondam Annibalis & vota Attila sequitur. Quid tamen? cùm lenior non esset, nec felicior fuit.[12] Padum transit, omnia cædibus incendiisque implet, ultimam sævitiæ procellam in Dominæ urbis mœnia ac templa effusurus. Sed quò ruis immanissima bellua? ad crudelitatis famam hæc jam satis. Cohibe impetum, & fumantem à tergo recenti incendio regionem respice: cladi si credis, vix quicquam votis truculentis jam scelus adjiciet. Romam petis? Mediolanum Roma fuit, & cum Insubrum urbe reliqua Italia concidit. Mirari juvat: [13] Metus, [14] an aliud consilium mentem Tyranni impulit? an occulta vis fati? Interruptus sævitiæ cursus est, & quia iterum non spernendis copiis occurreret Aëtius, immensus ille jamque gravis prædâ exercitus [15] relegit vestigia: prorsùs postquam divitias rapuit, timuit vinci. Annuo tamen tributo (prô pudor!) [16] pacem ab Attilâ Valentinianus emit, Augustus à Barbaro, & clade quàm dedecore carere Imperium maluit.

COMMENTARIVS.

1. TRANS ALPES DILAPSIS.] Alaricus spoliatâ Vrbe, reliquam populari Italiam statuit; & primò quidem Nolam profectus, Paulinum Episcopum vinculis oneravit. Augustinus de Civitate Dei: *Paulinus noster, Nolanus Episcopus, quando ipsam Nolam Barbari vastaverunt, cùm ab iis teneretur, sic in corde suo, ut ab eo postea cognovimus, precabatur: Domine non excru-*

excrucior propter aurum & argentum: ubi enim sint omnia mea, tu scis. Reliqua quæ Alaricus perpetravit, & quomodo Gothi, Duce Athaulfo, in Galliam iverint, Iornandes præscripsit: imò Paulus Diaconus, quem exprimo: *Deinde per Campaniam, Lucaniam, Brutiamq. simili strage bacchantes Rhegium pervenêre, in Siciliam transfretare cupientes: quò cùm transmeare ascensis navibus vellent, perpessi naufragium, plures suorum amiserunt. Alaricus inter hæc dum quid ageret deliberaret, apud Cosentiam morte subitâ defunctus est. Gothi Basentum* (Iornandi Barentium) *amnem de alveo suo captivorum labore derivantes, Alaricum in medio ejus alveo cum multis opibus sepeliunt, amnemq. meatui proprio reddentes, nequis locum scire posset, captivos qui interfuerant extinguunt. Regem deinceps Athaulfum, Alarici affinem, Gothi constituentes, Romam redeunt: si quid residui fuit, more locustarum eradunt; auferentes deinde Gallam Placidiam, Theodosii Principis filiam, sororem Honorii, quam sibi Athaulfus apud Forum Cornelii* (Iornandes Forum Livii, Æmiliæ civitatem nominat) *connubio copulavit; quæ multò pòst Reipublicæ commodo fuit. Nam ad hoc mariti animum acerrimo ingenio subtilibusque blandimentis inflexit, ut ultro à Romanis pacem expeteret.* In Gallias deinde proficiscitur, *Ubi*, ut Iornandis verba ponam, *vicinæ gentes perterritæ in suis se finibus cœperunt continere, quæ dudum crudeliter Gallias infestassent, tam Franci, quàm Burgundiones. Nam Vandali, & Alani, quos suprà diximus, permissu Principum Romanorum utrâque Pannoniâ resedêre, nec ibi sibi ob metum Gothorum arbitrantes tutum fore, si reverterentur, ad Gallias transiêre. Sed mox à Gallis, quas ante non multum tempus occupassent, fugientes, Hispaniâ se reclusêre, adhuc memores, ex relatione majorum suorum, quid dudum Gebericus Rex Gothorum genti suæ præstitisset incommodi, vel quomodo eos virtute suâ patrio solo expulisset. Tali ergò casu Galliæ Athaulfo patuêre venienti. Confirmato ergò Gothis Regno in Galliis, Hispaniarum cœpit casu dolere* (à Constantino Patricio Romano admonitus, ut refert Isidorus,) *eosq. deliberans à Vandalorum incursibus eripere, per suas opes Barcilonam cum certis fidelibus delectis, plebéque imbelli, interiores Hispanias introivit, ubi sæpè cum Vandalis decertans, tertio anno pòstquam Gallias Hispaniasq. domuisset occubuit; gladio ilio perforato Vernulfi, de cujus solitus erat ridere staturâ.* Reliqua Isidorus in Chronico: *Post Athaulfum Gothis Sigericus Princeps electus est, qui dum ad pacem cum Romanis esset promptissimus à suis est interfectus. Ærâ & anno quo suprà Vallia succedens, tribus annis regnavit, belli causâ Princeps à Gothis effectus; sed ad pacem divinâ providentiâ ordinatus. Mox enim ut regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit: Placidiam sororem ejus honorificè reddidit: Romani quoque nominis causâ intra Hispanias cædes magnas Barbaris intulit.* An addo? omnes Vandalos Hispaniâ expulit, coegitque per Gaditanum fretum in Africam transmittere. Hinc Sidonius Apollinaris de Ricimere Valliæ Nepote:

— Simul & reminiscitur illud,
Quod Tartessiacis avus hujus Vallia terris
Vandalicas turmas, & vincti Martis Alanos
Stravit, & occiduum texêre cadavera Calpen.
Quid veteres narrare fugas, quid damna priorum?
Arganthonini recolis dispendia campi.
Inde furit, quòd se docuit satis esse nepotem
Illius esse viri, quo viso, Vandale, semper
Terga dabas. —

Africam verò longo annorum spatio possederunt, donec Gelimerus eorum Rex, à Belisario victus, Constantinopolim traductus fuit. Habes, Lector, à capite usque ad calcem barbaram illam tempestatem depictam: neque putavi satis esse, te scire unde orta esset, nisi etiam, ubi quievisset, atque resedisset. Ab ultimâ igitur Germaniâ profecti Gothi, in Hispaniam tandem venerunt; & avitâ religione ac nobilitate adhuc clari sunt.

2. HUNNORUM.] Et hi nobis dicendi sunt, quorum origo exsecranda habetur. Iornandes, & ex eo Sigebertus in Chronico: *Filimerus Gothorum Rex, Gadarici Magni filius, qui quinctò loco tenuit principatum, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas Gothico sermone Alirunnas dicunt, easq; habens suspectas, de medio sui proturbavit, longeq; ab exercitu suo fugatas in solitudine coëgit errare. Quas silvestres homines, quos nonnulli Faunos Ficarios vocant, per desertum vagantes dum vidissent, & earum complexibus se in coitum miscuissent, genus hoc ferocissimum ediderunt. Quod fuit primùm inter paludes, minutum, tetrum, atq; exile quasi hominum genus; nec aliâ voce notum, nisi quòd humani sermonis imaginem assignabant, & quos bello forsitan minimè superabant, vultûs sui terrore nimium pavorem ingerentes, terribilitate fugabant: eò quod erat eis species pavendæ nigredinis, & velut quædam, si dici fas est, deformis offa, non facies, habensq; magis puncta quàm lumina; quorum animi fiduciam torvus prodit aspectus*. Witichindus libro I. De rebus Saxonum, scribit, *eos finitimis populis Dæmones, habitu cultuq; horrentes, fuisse creditos*. Pergit Sigebertus: *Qui etiam in pignora sua primo die nata desæviunt. Nam maribus ferro genas secant, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt, & sine venustate ephebi sunt: quia facies ferro sulcata tempestivam pilorum gratiam cicatrice absumit. Exigui quidem formâ, sed arguti, motibusq; expediti, & ad equitandum promptissimi, scapulis lati, & ad arcus sagittasq; parati, cervicibus firmis, & superbia semper erecti. Hi verò sub hominum figurâ vivunt beluinâ sævitiâ. Tali ergò stirpe procreati Hunni, cunctis vicinis gentibus erant horrori & formidini. Horum potentiam auxit victoria de Gothis, manentibus trans ripas Mæotidis fluminis, qui in Scythiâ pollebant gloriâ singularis potentiæ, & fortitudinis. Quam victoriam hoc modo Hunni adepti sunt. Venatores Hunnorum sequentes vestigia cervæ, Mæotidas paludes transeuntis, quas impervias hactenus esse putabant, Scythicam regionem diligenter explorant: explorata omnia Hunnis nunciant, ad transeundum eos animant. Horum ducatu* (& auspiciis Regis Velambri) *paludibus transitis, velut quidam turbo, subitò incubuerunt gentibus Scythicis, easq; omnes subjugaverunt sibi, ipsosq; Gothos cæteris imperitantes aut præminentes expulerunt sedibus suis*: pepuleruntque ad interiora Sarmatiæ, & Mœsiam ac Daciam à Valente Romanorum Imperatore petere adegerunt. *Hoc felicitatis successu Hunni inter cæteras Scythiæ gentes elati, per victoriam de Gothis per annos ferè* LXXX. *laboraverunt, ad concussionem & ruinam mundi.* Primùm igitur Rege Attilâ in Mœsiam & Daciam irrumpunt; mox in Pannoniam sese effundunt, Gothis tum, qui in Italiâ militabant, vacuam; deinde in alias plagas se conferunt, Constantinopolis suburbana diripiunt, ut auctor est Procopius, & penetrant usque ad Achæos & Ægæum mare; *ac totam penè Europam*, scribente Marcellino, *invasis excisisq; civitatibus atque Castellis corrodunt.* Cùm verò omnia pacata esse in Asiâ didicissent, in Pannoniam

niam redeunt; & ne viderentur gratis eam colere, subinde auxiliares copias adversus Hispaniæ Gothos mittunt: credo, ut colliderent utrumque populum, & faciliorem eversionem geminæ gentis sibi facerent. Meminit superioris Irruptionis D. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: cujus verba exscribam, quia Gentis mores exprimunt: *Discurrentibus nunciis, Oriens totus intremuit. Ab ultimâ Mæotide inter glacialem Tanaim, & Massagetarum immanes populos, ubi Caucasi rupibus immanes gentes Alexandri claustra cohibent, erupêre Hunnorum examina, quæ pernicibus equis, huc illúcque volitantia, cædis ac terroris cuncta complêrunt. Aberat tunc Romanus exercitus, & bellis civilibus in Italiâ tenebatur. Insperati ubique aderant, & famam celeritatis vincentes, non Religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miserebantur infantiæ. Cogebantur mori, qui nondum vivere cœperant, & nescientes malum suum, inter hostium manus ac tela ridebant. Consonus inter omnes rumor, petere eos Hierosolymam.* Miror hîc tamen D. Hieronymum ita trepidasse, cum Martianus Orientis Imperator paratus fuerit Hunnis occurrere, & ingentibus copiis terruerit Barbaros, ac redire in Pannoniam coegerit. Hunc Iornandes, populum dividit in Aulziagros, & Aviros: *Hinc jam Hunni quasi fortissimarum gentium fœcundissimus cespes, in bifariam populorum rabiem pullularunt. Nam alii Aulziagri, alii Aviri nuncupantur; qui tamen sedes habent diversas. Iuxta Chersonem Aulziagri, quò Asiæ bona avidus mercator importat, qui æstate campos pervagantur effusos, sedes habentes, prout armentorum invitaverint pabula; hieme supra mare Ponticum se referentes.* Procopius lib. I. Belli Persici aliorum etiam Hunnorum mentionem facit, his quasi verbis: *Perozes Persarum Rex in contentionem de finibus venit cum Hunnis Euthalitis, quos Albos vocant, adversus quos magno cum exercitu profectus est. Sunt enim Euthalitæ Hunnicum genus, reliquis Hunnis nequaquam vicini, neque ad eos pertinentes; sed Persis propinqui, Boream versus, quorum civitas Gorga nomine in Persidis confinibus, sæpè cum colonis de ipsis finibus pugnat. Nec ut reliqui Hunni Nomades sunt, vitam agentes pastoralem; sed optimam jam pridem incolunt regionem. Hi nunquam in Romanorum terram, nisi cum Persarum exercitu sunt ingressi, soliq; Hunnorum albi sunt, neque item fœdi aspectu, neque ferarum modo, ut illi, victitantes; sed sub uno degentes Principe, Politicam agunt vitam inter se, & cum vicinis jus fasq; colunt, æquè ac Romani & alii omnes. Fortunatiores inter eos XX. vel plures amicos habent, qui convivæ continuò sunt, quibusq; communis pecunia, simul & potestas est.*

3. ATTILA.] Genitus hic avo Velambro, qui primus in Scythiam prorupit, & patre Mundzucco, quem alii Mundruthum, alii Mazuchum scribunt. Fratres Mundzucci fuêre Octar & Roas; aliis Hottares vel Optarus, & Rugilas legitur; qui ante Attilam Regnum Hunnorum tenuerunt; & primâ feliciter in Burgundiones susceptâ expeditione, secundâ repulsi sunt. Burgundiones enim, qui primæ cladi superfuerant, ut Socrates tradit, è Galliâ Episcopum petierant, & sacro lavacro tingi postulaverant. Mox missus Episcopus universos, cùm septem dies jejunii explessent, octavo abluit. Quo facto in Hunnos reversi, & religionis fiduciâ armati, solis tribus millibus deleverunt Hunnorum decem millia. Attila deinde *cum Bletâ germano* (Iornandis verba sunt) *successit in regnum, & ut antè expeditioni quam parabat, par foret; augmentum virium parricidio quærit, tendens ad discrimen*

omnium, nece suorum. Sed librante justitiâ detestabili remedio crescens, deformes exitus suæ crudelitatis invenit. Bletâ enim fratre fraudibus perempto, qui magnæ parti regnabat Hunnorum, universum sibi populum subjugavit, aliarumq; gentium, quas tunc in ditione tenebat, numerositate collectâ, primas mundi gentes, Romanos Vesigothosq; subdere peroptabat. Cujus exercitus quingentorum millium esse numerus ferebatur. Vir in concussionem gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio quâ sorte terrebat cuncta, formidabili de se opinione vulgatâ. Erat namque superbus incessu, huc atque illuc circumferens oculos; ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret. Bellorum quidem amator; sed ipse manu temperans, consilio validissimus, supplicantibus exorabilis, propitius in fide semel receptis. Formâ brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barbâ, canis aspersus, simo naso, teter colore, originis suæ signa restituens. Qui quamvis hujus esset naturæ, ut semper magna confideret, addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inventus, apud Scytharum Reges semper habitus. Iornandes alibi eum vocat *Hunnorum omnium Dominum, & penè totius Scythiæ gentium solum in mundo Regnatorem*. Callimachus Experiens quasi Deum facit: *Si qua humanæ virtutis modum in eo viro supergressa videbuntur, relato ad Deos originis argumento, fidem accipiant.* Sed quomodo ipse de se sentire solitus, è Nicolao Olao, audiamus: *Stellas præ se cadere, terram tremere, se malleum esse Universi Orbis.* Epistolis verò, & diplomatibus hunc titulnm præscribebat, ut auctor est Michael Ritius lib. 1. de Reb. Hungar. *Attila filius Bendeucei, nepos magni Nembroth, nutritus in Engaddi, Dei gratiâ Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Dacorum, metus Orbis, & Flagellum Dei.* Plura ex Callimacho adjungam, & quidem vitæ illius familiaria: *Vestitu quam splendidissimo utebatur, putabatq; id ad majestatem pertinere. Inter prandendum rarò sedit: in cœnâ profusus erat, cibumq; avidissimè conficiebat. Cæterùm carne plurimâ se farciens à pane ferè abstinuit, ut qui inepti, & pauci succi alendis corporibus eum arbitraretur. Vino immodicè cùm indulgeret in otio, semper tamen sibi constabat. Religionis verò, persuasionibusq; de Diis, à gente suâ susceptis, usque ad superstitionem addictus; dicebatq; nullo sanctiore sacrificio Deos piari, quàm si justè & beneficè inter homines agitaretur. Incitabat autem exemplo suos ad cæteras virtutes, tum maximè ad temperantiam in bellicis expeditionibus, cùm plerumque aquâ & plebejâ pulte contentus in publico prandere. Existimans eam tolerantiam humanarum necessitatum, quæ obsedendis oppugnandisq; urbibus, tum itineribus ac reliquis muneribus obeundis militi est necessaria; nullâ re magis expediri frangiq; posse, quàm delicatioris victûs consuetudine. Pecunias, veteri majorum instituto, propè contemnebat. Auditusq; est sæpè cùm diceret plus esse molestiæ in earum amissione, quàm in possessione voluptatis. Armorum meditationes ad tirones exercendos, minimè necessarias arbitrabatur, quocunq; periculo satis ex tempore inferendis propulsandisq; vulneribus erudiente.* Primò igitur vertit arma in Gepidas, deinde in Sarmaticas nationes, postea Mœsiâ & Daciâ & Pannoniâ Vesigothos exuit, & Istri fluminis propugnacula, queis Romani se ab irruentibus muniebant, nullo labore (ut Procopius ait) sustulit, & in Macedoniam Asiamque penetravit: quam ubi pacatam reperit, mox in Pannoniam rediit, ibique sedem suam figere decrevit; tam locorum captus amœnitate, quàm oportunitate retinendis sub ditione suâ nationes quas devicerat; quod velut in cervice earum positus, omnem tumultuandi facultatem omnibus esset adempturus. Accedebat,

cedebat, quòd magnis, & frequentibus fluminibus undique circumseptâ regione, à subitis quibuscumque incursionibus tutum fore se credebat. Sed & cogitationis suæ exitum per sortes exploranti, felicia & stabilia omnia obvenerunt. Captis igitur descriptisque locis, per quæ gentibus suis distributis, regionem munitam, clausam insultibus externis redderet, aliquantum temporis stabiliendis Regni rebus insumpsit. Deinde cùm pacata omnia & tranquilla sibi intueretur, ad Occidentis Imperium animum adjecit. Nam Priscus Historicus à Theodosio Imperatore Orientis missus in Scythiam, ad Attilam tunc in vico instar civitatis amplissimæ morantem, cujus lignea erant mœnia, pacem impetraverat. Valentinianus tamen Occidentis Imperator legatione Aëtii V. C. aliquo tempore pestem hanc avertit; donec Gizericus Rex Vandalorum in Africâ, multis muneribus ad Vesigothorum (qui in Galliâ & Hispaniâ habitabant) bellum Attilam incitaret, *Metuens ne Theodericus Vesegothorum Rex* (Iornandis verbis loquar) *filiæ ulcisceretur injuriam; quæ Hunerico Gizerici filio juncta, priùs quidem tanto conjugio lætabatur: sed postea, ut erat ille in pignora sua truculentus, ob suspicionem tantummodò veneni ab eâ parati, eam putatis naribus spolians decore naturali, Patri suo ad Gallias remiserat, ut turpe funus miseranda semper offerret; & crudelitas, quâ etiam moverentur externi, vindictam efficaciùs impetraret*. Quid igitur Attila? etiam quod viribus poterat, astu & consilio cœpit tentare. Cætera dicat Callimachus: *Præmisit Legatos Romam ad Valentinianum, qui benignè eum alloquentes nunciarent se bello accingi contra Theodericum, qui Vesigothis in Galliâ* (apud Tolosam, ut ait Paulus Diaconus) *præerat, instituisse delere gentem publicæ omnium gentium pacis perturbatricem, nihil sibi rei cum Romanis esse, & viros eos fortes, ac bonos credere, quorum imperium, & latè pateret, & æquissimo à subditis ferretur animo. Pollicetur præterea, si ex usu fore appareret, initurum se cum illis fœdus atq; amicitiam, viresq; & consilia communicaturum, quocumque res ac discrimen vocaret. Haud dissimilibus quoque mandatis instructam legationem ad Theodericum misit in Gallias, ut separatim postea eos aggrediens faciliùs utrumque superaret*. Homo subtilis, antequàm bella gereret, arte pugnabat: *quas astutias Aëtius prævidens*, ut ait Paulus Diaconus, *ad Theodericum Legatos dirigit, qui cum eo pacis fœdera sollicitarent*. His apud Iornandem verbis: *Prudentiæ vestræ est, fortissima gentium, adversus Orbis conspirare tyrannum, qui optat mundi generale habere servitium, qui caussas prælii non requirit, sed quicquid commiserit, hoc putat esse legitimum. Ambitum suum brachio metitur, superbiâ licentiam satiat; qui jus fásque contemnens, hostem se exhibet naturæ cunctorum. Etenim meretur hic odium, qui in commune omnium se approbat inimicum. Recordamini, quæso, quod certè non potest oblivisci. Ab Hunnis casus est fusus, sed quod graviter agit, insidiis agit appetitum. Vnde ut de nobis taceamus, potestis hanc inultam ferre superbiam? Armorum potentes favete propriis doloribus, & communes jungite manus. Auxiliamini etiam Reipublicæ, cujus membrum tenetis. Quàm sit autem nobis expetenda vel amplexanda societas, hostes interrogate consilia*. His & similibus Theodericum sibi junxit Aëtius. Adhæc, *fuêre Romanis auxilio*, ut scribit Paulus Diaconus, *Burgundiones, Alani cum Sangibano suo Rege, Franci cum Rege Meroveo, Saxones, Ripariolı, Lambrones, Sarmatæ, Armoritiani, Liticiani, ac penè totius populi Occidentis, quos omnes Aëtius, ne impar Attilæ occurreret, ad belli adsciverat socie-*

societatem. His adjungit Ibriones, & Celticas, Germanicasque nationes, Iornandes; Brictones Callimachus. A Theoderico innumerabilis Vesigothorum multitudo producta fuit, cum duobus filiis natu majoribus, Thorismundo & Theoderico; reliquis, Friderico, Turico, Rotemero, & Himmerico domi relictis. Attilæ verò auxiliares erant Marcomanni, Quadi, Suevi, Heruli, Turcilingi, siue Tungri, Rugii, *quas omnes nationes*, ut inquit Callimachus, *jam pridem dicto habebat audientes, unà cum Harderico Gepidarum, & Valamiro Ostrogothorum Regibus; nec non Dietmaro, & Vittimaro Regulis, quingentorum millium explevit exercitum. In quâ multitudine pauci pro numero erant pedites: impellendis enim conturbandisq́ aciebus adversis efficacissimum semper putavit Attila equorum impetum, humanâ insidentis ratione directum.* Cum hac gentium colluvione ad Rhenum pervenit. Sidonius:

— Cecidit citò secta bipenni
Hercinia in lintres, & Rhenum texuit alno,
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se Belga tuos. —

Tungros, Coloniamque delet; Virginum Britannicarum agmen, cui Vrsula præerat, intercepit, & fœdè trucidavit; Gundicarium Burgundionum Regem, priusquam se Theoderico & Aëtio jungere posset, & vitam, & copias adimit. Aurelianum oppugnat, sed Aniani Episcopi operâ defenditur. Sidonius in epistolâ ad Prosperum Episcopum scribit, urbem captam fuisse; sed Aëtii Patricii adventu impeditum Attilam, quominùs diriperet. Ideò eidem Sidonio *Defensor Ligeris* vocatur. Retrocessit igitur Attila in campos Catalaunicos, *qui & Mauricii nominantur* Iornandi, Mauriaci Freculpo, & Gregorio Turonensi. Planicies verò hæc nomen invenit à Mauriaco urbe adjacente, quæ quondam fuit in montanis præcipua, ut colligitur ex M. S. Historiis S. Austremonii. Quidam hos campos prope Tolosam, alii prope Aurelianum collocant. Sed quid si in Belgicâ quærendi? Alii viderint. Verùm latissimos esse, præliisque memorabiles, Ammianus Marcellinus libro XXVII. de Iovino scribit: *Et maturato itinere, omen propè Catalaunos invenit, ad congrediendum promptissimum, & vallo opportunè metato, suisq́, pro temporis copia, cibo recreatis & somno, primo Auroræ exortu in apertâ planicie composuit aciem, dilatatam arte sollerti.* Eutropius eadem in Aureliano, ne plures laudem. Ad summam, amplitudo camporum, eis Campaniæ nomen fecit. In his igitur campis stetit utraque acies. Iornandes cap. XXXVIII. *Erat autem positio loci declivi tumore in modum collis excrescens, quem uterque cupiens exercitus obtinere, quia loci opportunitas non parvum beneficium conferret; dexteram partem Hunni cum suis, sinistram Romani & Vesigothi cum auxiliariis occuparunt; relictoq́ de cacuminis ejus jugo certamine, dextrum cornu cum Vesigothis Theodericus tenebat, sinistrum Aëtius cum Romanis, collocantes in medio Sangibanum; ut eum, de cujus animo minus præsumebant, fidelium turbâ concluderent. Facilè namque assumit pugnandi necessitatem, cui fugiendi imponitur difficultas. E diverso verò fuit Hunnorum acies ordinata, ut in medio Attila cum suis fortissimis locaretur, sibi potiùs hac ordinatione Rex prospiciens, quatenus inter gentis suæ robur positus, ab imminenti periculo redderetur exceptus.* Cornua Ardaricus Gepidarum, & Valamirus Ostrogothorum Reges tenebant. Attila cùm pecorum fibras per aruspices inspexisset, infausta sibi reperit protendi: hoc tantùm solatii habuit,

buit, quòd summus hostium ductor suâ morte triumphum fœdaret. Signum igitur pugnæ datum fuit ab utrisq;, sub noctem, ut Callimachus notat. Quod eo consilio Attila fecerat, ut si contingeret se vinci, nox prælium dirimeret. Theodericus, dum suos adhortatur, & singula ducis munia obit, fortiter rem gerens cadit. Sed exiguum detrimentum, si victoriam, & rei summam spectes. Instant acriter, hinc Romani, illinc Vesigothi; & ardorem fortuna secuta est. Nam Hunni magnâ suorum clade superati. Paulus Diaconus ait, illo prælio CLXXX, millia hominum cæsa fuisse. Callimachus supra CLXX millia. Iornandes CLXII. exceptis XC. millibus Gepidarum, & Francorum, qui ante publicam cladem mutuis vulneribus conciderant. Postridie Thurismundus Theoderici filius, hesterno vulnere, quod in capite acceperat, & dolore amissi patris exacerbatus, admovit copias castris Attilæ, quæ è continuâ plaustrorum serie ferè tota constabant. Rex ubi majorem, quàm putabat esse factam stragem animadvertit, ne in hostium potestatem veniret, pyram ex equinis sellis componi jussit, cui, supposito igne, se injecturus erat, si contingeret castra capi. Sed majoribus malis servatus fuit. Tubis igitur in portis cani præcepit, ut eruptionis exspectatione hostem eluderet, & illius simul impetus morâ frangeretur. Aëtius quoque metuere cœpit, ne Hunnis funditus deletis, à Gothis Romanorum premeretur Imperium. Ad Thurismundum igitur conversus, cœpit eum ab instituto avertere: & rogare, ne cum patre etiam imperium amitteret: tenderet è vestigio ad propria, antequam Valamirus frater, vel alius quispiam sceptri prædo se communire posset: quæ verba juvenilem animum ita commoverunt, ut relictâ castrorum oppugnatione protinus in partem Galliæ, quam pater habuerat, concesserit. Hac suspicione Aëtius, vir alioquin magnus, rerum agendarum luculentam occasionem amisit. Attila percepto Gothorum discessu, erecto animo abiit, & priusquam in Pannoniam veniret aliquam adhuc ingenii sui indolem præbens, Tungrorum Metropolim expugnavit, & in omnem sexum sæviens, urbem hostiliter evertit. In Pannoniâ igitur, ad veteres copias novas adjecit, & viribus auctior, per Noricos, & Rhætos in Italiam se convertere statuit, iræ, ac minarum plenus; quasi Galliarum victoriam è manibus suis Aëtius eripuisset. Putabat verò non tam facilè Vesigothos Romanis in Italiâ affuturos, quàm Aëtius Vesigothis in Galliâ adfuerat; eoque haud magno discrimine Italiâ, se potiturum. Callimachus notat, Attilam, cùm ad hanc expeditionem paratus equum adscendisset, corvum ab ortu Solis advolantem humero dextero insedisse, deinde in sublime elatum, elapsum: quo omine supra modum lætum fidentemque, per prærupta juga, quæ vix ternos armatos interdum admittebant, perque seditiosas militum voces ob difficultates Alpium, in Italiam conatum descendere. Marcellinus ait, Italiæ timorem auxisse, tres ingentes lapides è cælo lapsos, & prodigio hoc universum populum trepidasse. Sed Valentinianus novis Gothis, quorum duces Procopius Alaricum, & Anthalam nominat, Alpes insederat, Aquileiam turribus & munimentis firmaverat, Aëtium è Galliâ ad Vrbis defensionem acciverat. Quibus rebus impeditum Attilam, trans Danubium hiematum ivisse, nonnulli adfirmant. Callimachus ait, Attilam ad Illyricum & Dalmatiam se convertisse, atque expugnasse Tragurium, Sibinicum, Belgradum, Iadream, Segnam, Polam, Parentium, Æmoniam.

Itaque postmodum pubescente vere, & invitante molli Zephyro, se in Italiam vertit, &, proh dolor! occurrentem Romanorum exercitum, haud procul Tergestino sinu, fudit ac delevit. Sic effracto Italiæ obice, per Carnos in Forum Iulii venit, & Aquileiam aggressus est.

4. AQVILEIA.] Primaria est urbs Fori Iulii, quæ & Aquilia, & Romatiana aliquando dicta fuit, & Stephano Ἀκυλεΐα. Hîc Augustus octo mensibus, amœnitate captus loci, consedit, ut tradit Suetonius; eundemq; hîc controversias Herodis & filiorum audivisse refert Iosephus. Quin & Tiberii, aliorumq; Imperatorum sæpe fuit domicilium. Iornandes: *Metropolis Venetiarum, in mucrone vel linguâ Adriatici posita sinûs; cujus ab Oriente muros Natissa* (Plinio Natiso) *amnis fluens à monte Picis, elambit.* Hanc toto triennio obsessam esse, auctor est Paulus Diaconus. Nec fortasse mirum, cùm homo Barbarus, & præliis magis, quàm urbium expugnationibus idoneus, tormenta, arietes, falces, turresq; ignoraverit. Callimachus ait, *Cùm Tungros expugnasset, nil æquè admiratum eum à principio, quàm tormenta bellica, quibus grandiores lapides excutiuntur: nam qui ad id locorum missilia nulla nosset, præterquam quæ alterâ manu tractari mittiq; possent; ubi vidit ingentibus saxis, viresq; humanas excedentibus, non singulos milites, sed ferè totos sæpe manipulos prosterni, cum terrore admirabatur. Et utcumque, seu divinâ ope, seu humano torquerentur ingenio, detestabatur quasi injustum genus auxilii, saxa vastiora, quàm ut unum corpus aut ferret, aut mitteret. Mox tamen illis assuevit.* Sed ruditer, ut existimo: & opinionem meam confirmat hæc ipsa tam longa obsidio. Iornandes, & Paulus Diaconus nonnulla de hac eâdem; sed Callimachus, utroque & elegantior, & exactior in hunc modum eam describit: *Erat major obsidentium numerus, quàm ut tam diu unâ in regione ali posset. Cogebantur tam homines quàm jumenta insolitis vesci alimentis, quæ res diversa morborum genera in corporibus excitabat, vulgabátque. Et cùm obsessi etiam frumenti inopiâ laborarent, non fames modò, sed etiam valetudo adversa, desperatioq;, & tædium victoriæ Hunnicam tolerantiam vexabat, & jam prope tumultum & seditionem res erat, indignantibus vociferantibusq; militibus, minimè ferendum, se bellicosarum nationum omnium domitores, in cursu victoriæ suæ circa unius urbis mœnia, cùm foveis, turribusq;, & lapidibus pugnando consenescere; ubi neq; præmium, neq; gloria laboribus ac periculis par foret: si quantum posset adversus inanima, vulneribus & ferro impervia, hominum victor exercitus, experiri placeret, duceretur saltem ad Vrbem Romam, quæ operæpretio Imperii totius Italiæ expugnaretur: præter id quod parum momenti, aut ad laudem, aut ad prædam, in direptione Aquileiæ. Cadendum necessitatibus humanis, illicque pugnandum, ubi ferro, virorum more, non fame, ac lassitudine, veluti debilibus pecudibus occumbendum. Nec in stationibus modò hæc, sed passim per exercitum, ut referentium, exquirentiumq; sua mala turbas fortuna congregabat: cum inspecta ciconia, quæ pullos suos ex arcis culmine, in quo nidum fecerat, asportabat, capiendæ urbis novam spem omnibus ingessit, asseverante Attila, futurorum præscias aves jamjam casuram arcem relinquere. Mox omni expugnandarum urbium apparatu murum aggressus, tanto ardore obsequentes ad primum impetum milites habuit, cùm ipse armis hortationeq; insignis progrederetur; ut quæ triennio se defenderat, trium horarum spatio civitas caperetur. Direpta à militibus præda, & præter paucas fœminas, beneficio formæ ad libidinem reservatas, in omnes sævitum propemodum rabiosè, propterea quòd tam obstinatè*

stinatè se defenderant. Traduntur cæsi illic supra XXXVII. *millia hominum, & tandem Vrbs etiam incensa; simul ut deleretur ignominiosum monumentum tam diuturnæ obsidionis, simul ut cæteris metus incuteretur.* Marcellinus Comes memoriæ tradidit, eo tempore tres ingentes lapides è cælo in Thraciam cecidisse. Otho Phrisingensis, Attilam, ne milites obsidionis otio torpescerent, non longè ab Aquileiâ Montem Vtinum in modum aggeris struxisse. Hoc etiam eo consilio fecisse eum Callimachus prodit; ut si humanæ necessitates ab Aquileiâ discedere compulissent, & res in Italiâ, ac reliqua expeditione præter spem successerent, hanc saltem à tergo munitionem, velut novam Aquileiam, relinqueret, quò tutò se referret, & liberam regressui viam haberet. Adjungam ex eodem, & operæpretium est, quàm strennuè ipse Attila apud hanc Vrbem se gesserit: *Muros plerumque circumibat solus, mutatis vestimentis, expugnationi opportuniora designans. Itaq; cum solitudo, & silentium invitassent aliquando, ut muro succederet, incidit in armatos, qui longè venientem conspicati, properè elapsi per cloacam, sub mœnibus ductam, in insidiis exspectant, ignari tamen eum Regem esse: sed cupiebant exquirere per tormenta ab hostium exploratore, quid consilii in exercitu, quæve capiendæ Vrbis spes esset. Exorti igitur subito Attilam circumsistunt, & dum vivum capere nituntur, abstinent vulneribus. At ille, cui fuga interclusa, defendiq; se adversus tam multos haud magna fiducia esset, ut saltem non inultus moriretur, prærupta foveæ sic occupavit, ut à tergo tutus, cum adversis modò rem gereret. Sed dum videt veluti sibi parci ab hoste, & propè negligenter insultari, ratus timorem, magno impetu & clamore prosiliens, duos obtruncat; illatusq; in alios, ut via ferro patefacta est, suburbani cujusdam maceriam saltu superat, præpetiq; cursu deinde se ad suos recepit. Fertur, eos qui illum circumstiterant, retulisse suis: cùm Attila se in vires colligeret, circumspectans quà impetum faceret, apparuisse in oculis nitentis clamantisq; cæleste quiddam, & scintillas igneas, quàm simillimas vigori, qui Deorum oculis inesse creditur.* Vrbs hæc à Narsete Clarissimo Eunucho restituta, non infelicia incrementa sumpsit. Postea in Longobardorum potestate, usque ad Caroli Magni in Italiam adventum, fuit. Celebratur ab Ausonio:

Non erat iste locus, merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras Aquileia cieberis urbes.
Vrbs Itala ad Illyricos objecta Colonia montes,
Mœnibus, ac portu celeberrima. —

5. CONCORDIA.] Fori Iulii oppidum quoque, cujus murum Attila primus adscendit, teste Callimacho. Nihil ejus hodie exstat, præter Ædem S. Stephani, & quàm paucissima tuguria. Cùm se ad hanc Vrbem conferret, *medio ferè itinere, in vico ignobili, circulatores pleriq; ætate ac viribus integri, spe mercedis illecti, per infestos enses nudi miris flexibus agilem saltationem coram ipso cùm exhibuissent; cæteris ludicro cum admiratione exhilaratis, Attila indignè ferens, tam robusta corpora, quæ omnia militiæ decora implere possent, circumforaneo mendicabulo adulterari ac prostitui; juvenes ad se vocat, statim armari facit. Tum armatus ipse, saltuq; in equum receptus, imitari se jubet: quod cùm armis insueti efficere non possent, rursùs provocavit sagittando: sed cùm neq; arcum tendere, neque sagittam nervo applicare possent, tam diu victu tenuissimo tradidit macerandos, quàm cibum longissimo intervallo sagittâ contingerent, & armati in equum dextrâ lævaq; tam facile, quàm ante nudi per gladios salirent. Vsus est illis posteà fortissimis commilitonibus ad pleraq; difficilia obeunda.* Hæc Callimachus.

TERGIVM.] Colomanorum, teste Luca.

is moles onerata Colonis

; adversus Pompeium ... quæ cùm circumvenirentur in sinu Adriatico, mutuis spiculis se milites confoderunt. Tragici facinoris hujus meminit Quinctilianus lib. III. *Denique non fecerunt Saguntini; nec in rate circumventi Opitergini.* Opitergium usq; ad fundamenta destruxit Rex Longobardorum Rhotaris: cujus loco postea Opiterginæ Ecclesiæ Antistes urbem condidit, Heracleamque ab Heraclio Augusto nominavit.

7. ALTINVM.] Altinum urbs est Veneta mediterranea, Martiali celebrata:

Æmula Bajanis Altini littora villis.

8. PATAVIVM.] Condita ab Antenore, ut Virgilius, Livius, Solinus: quod cùm posteriores lubenter credidissent, Conditori suo tumulum hunc ad Divi Laurentii Ædem posuerunt:

Inclytus Antenor, post diruta mœnia Trojæ,
Transtulit huc Henetum, Dardanidumq; fugas,
Expulit Euganeos, Patavinam condidit Vrbem,
Quem tegit hîc humili marmore cæsa domus.

Multis eximiis Viris clara est: nam Livium, Stellam, C. Valerium Flaccum, Q. Asconium Pædianum, Cæcinnam Pætum, Traseam Pætum, Iulium Paulum I. C. Petrum Aponensem Conciliatorem, aliosque tulit. Lanificio quoque nobilem fuisse constat. Sita verò est apud montes Euganeos, & perfluentem Brentam habet. Guicciardinus audiendus, libro VIII. *Patavium nobilissima & antiquissima urbs, Gymnasii præstantiâ celebris, triplici muro circumdata, & quam Brenta atque Bachilio amnes alluunt: ambitu fortasse tanto, quanto alia vel è maximis Italiæ urbibus, in fertilissimo solo, salubri ac temperato cælo sita; quæ quamvis jam supra centum annos Venetorum, Carrariensibus exactis, imperio premeretur: tamen superba atque ampla ædificia, multaq; antiquitatis vestigia memoranda retinet, è quibus pristina urbis amplitudo splendorq; cognoscitur.* Semper amica fuit Populo Romano, & Coloniam, imò jus suffragiorum Romanum accepit. Tandem ab Attilâ capta direptaque fuit: ad quem eo ipso tempore Marullus Calaber, Poëta egregius, venit, compositumque in adulationem carmen recitavit. Attila, ubi per interpretem cognovit, se Deum, & divinâ stirpe ortum vanissimè prædicari; aspernatus adulationis impudentiam, cum auctore carmen exuri jussit. Sed ab hac tamen severitate subinde temperavit, ne Scriptores cæteri à laudibus illius celebrandis terrerentur. Postea à Longobardis urbs igne fuit vastata. Sub Carolo Magno ad pristinum decus reverti cœpit, fuitq; sub Italiæ, Francorumq; Regibus. Tandem sui juris facta, imperante Othone Primo, creavit è suis Prætorem: duravitque hæc Reipublicæ forma usque ad Fredericum II. cujus jussu Actiolinus eam occupavit. Postremò Principes habuit Carrarienses, Scaligeros, Galeatios, & anno ∞. CCCC. VI. Venetos.

9. ATESTE.] Venetæ quoque ditionis oppidum. Plinius Coloniam Romanam facit. Iterum anno ∞. CC. XLVII. ab Actiolino, pulso Actio loci Marchione, subversum. Originem ex hac urbe trahere nonnulli tradunt Familiam Estensium.

10. AC DEINDE TOTA.] Scribit Paulus Diaconus, postea ad universas Venetas urbes conversum

Atti-

Attilam, & in Vicentiam, Bergomum, Brixiam, Veronam debacchatum. Callimachus ait, Veronam & Tarvisium spontè Hunnorum imperium suscepisse, auctoribus Helmundo & Diatberico Antistibus. Plura addam illius verbis: *Vicentiam, Brixiam, Bergomum velut continuato impetu expugnavit, ac diripuit: sed ab igne ubique temperatum. Cùm caperetur Brixia, vulnus accepit; cujus dolore accensum vix retinuêre amici, cùm instituisset inclusum populum, unà cum ædificiis incendio delere. Sed & Vincentiæ ad foveam, quâ civitas ambitur, cæteris tam altitudine aquæ inexploratâ, quàm lubrico per proclive descensu territis, hæsitantibusq; in margine, præcipiti cursu desiliens in aquam, papillis tenus exstantem, ad murum evaserat, recurrensq; ad acclivum verecundiâ suos adegerat, ut muro succederent, tantâ festinatione, dum quisq; prioris tarditatis pudore, primum descendendi decus exoptat, ut plerique attrahendoq; & impediendo se vicissim, à clivo in profundiorem aquam delapsi, simulq; impliciti, tenentium eluctantiumq; specie submersi sint, priusquam in civitatem transcenderetur.*

21. MEDIOLANVM.] Pauca hîc Suidæ verba præterire nequeo, quin repræsentem: *Mediolanum populosa Italiæ civitas, quam cùm Attila in potestatem suam redegisset, vidissetq; depictos Romanos quidem Reges in thronis aureis sedentes, Scythas autem interfectos, & ad pedes ipsorum prostratos; pictorem quærens, jussit loco interfectorum pingi Romanos Reges, sacculos ferentes ad collum, & aurum fundentes ad pedes ipsius.* Ticinum pari sorte diripuit, ut auctor est Diaconus.

12. PADVM TRANSIT.] Æmiliæ civitates exspoliat, & solo æquat. Ravenna hoc modo servata fuit, ut refert Callimachus: *Tones Episcopus, cum universo populo candidatus ac supplex, ut Civitati ædificiisq; parceretur obtinuit. Victoriæ tamen ingentem speciem præbuère fores urbis à victis depositæ, pedibus intrantis, & per adversam partem exeuntis exercitus subjectæ, & calcatæ.* Mutina precibus Sancti Geminiani exitium evasit. Idcircò hodie Mutinenses, memores ab Antistite suo beneficii, diem septimum Kalend. Februar. ad fastos retulerunt.

13. METVS.] Consedit ad Mincium Amnem, cùm à strage urbium Attila abstineret. Ita passim auctores. Iornandes ait, *in Acroventu Mamboleio, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione transitur.* Alii recentiores, in oppidulo prope ripam Mincii, quod nunc *Governum* vocant. Metus autem potuit duplex esse: ab Aëtio, & ab Vrbe. Ab Aëtio; quia & Barbarorum & Romanorum ingentem vim adduxerat, paratus confligere, cùm & extremum Hunnorum agmen non semel pressisset. Ab Vrbe; quia infausta fuerat Alarico illius direptio. Iornandes: *Cùmque ad Romam animus fuisset ejus attentus accedere, sui eum (ut Priscus refert Historicus) removêre; non Vrbi, cui inimici erant, consulentes; sed Alarici quondam Vesigothorum Regis objicientes exemplum, veriti Regis sui fortunam: quia ille post fractam Romam, diu non supervixerat; sed protinus rebus excessit humanis.* Paulus Diaconus ferè eadem. Constantinus tamen Imperator lib. de Administ. Imperio tradit, Attilam Romam usque, atque adeò in Calabriam venisse.

AN ALIVD CONSILIVM.] Paulus Diaconus: *Cùm has animo tempestates revolveret, repentè illi legatio placidissimè à Roma advenit. Nam per se vir sanctissimus Leo Papa ad eum accessit. Qui cùm ad Regem Barbarum ingressus esset, cuncta ut optaverat obtinens, non solùm Romæ, sed totius Italiæ salutem reportavit. Territus namque nutu Dei*

TERGIVM.] Colomanorum, teste Luca.

is moles onerata Colonis

; adversus Pompeium ..., quæ cùm circumvenirentur in sinu Adriatico, mutuis spiculis se milites confoderunt. Tragici facinoris hujus meminit Quinctilianus lib. III. *Denique non fecerunt Saguntini; nec in rate circumventi Opitergini.* Opitergium usq; ad fundamenta destruxit Rex Longobardorum Rhotaris: cujus loco postea Opiterginæ Ecclesiæ Antistes urbem condidit, Heracleamque ab Heraclio Augusto nominavit.

7. ALTINVM.] Altinum urbs est Veneta mediterranea, Martiali celebrata:

Æmula Bajanis Altini littora villis.

8. PATAVIVM.] Condita ab Antenore, ut Virgilius, Livius, Solinus: quod cùm posteriores lubenter credidissent, Conditori suo tumulum hunc ad Divi Laurentii Ædem posuerunt:

Inclytus Antenor, post diruta mœnia Trojæ,
Transtulit huc Henetum, Dardanidumq; fugas,
Expulit Euganeos, Patavinam condidit Vrbem,
Quem tegit hic humili marmore cæsa domus.

Multis eximiis Viris clara est: nam Livium, Stellam, C. Valerium Flaccum, Q. Asconium Pædianum, Cæcinnam Pætum, Traseam Pætum, Iulium Paulum I. C. Petrum Aponensem Conciliatorem, aliosque tulit. Lanificio quoque nobilem fuisse constat. Sita verò est apud montes Euganeos, & perfluentem Brentam habet. Guicciardinus audiendus, libro VIII. *Patavium nobilissima & antiquissima urbs, Gymnasii præstantiâ celebris, triplici muro circumdata, & quam Brenta atque Bachilio amnes alluunt: ambitu fortasse tanto, quanto alia vel è maximis Italiæ urbibus, in fertilissimo solo, salubri ac temperato cælo sita; quæ quamvis jam supra centum annos Venetorum, Carrariensibus exactis, imperio premeretur: tamen superba atque ampla ædificia, multaq; antiquitatis vestigia memoranda retinet, è quibus pristina urbis amplitudo splendorq; cognoscitur.* Semper amica fuit Populo Romano, & Coloniam, imò jus suffragiorum Romanum accepit. Tandem ab Attilâ capta direptaque fuit: ad quem eo ipso tempore Marullus Calaber, Poëta egregius, venit, compositumque in adulationem carmen recitavit. Attila, ubi per interpretem cognovit, se Deum, & divinâ stirpe ortum vanissimè prædicari; aspernatus adulationis impudentiam, cum auctore carmen exuri jussit. Sed ab hac tamen severitate subinde temperavit, ne Scriptores cæteri à laudibus illius celebrandis terrerentur. Postea à Longobardis urbs igne fuit vastata. Sub Carolo Magno ad pristinum decus reverti cœpit, fuitq; sub Italiæ, Francorumq; Regibus. Tandem sui juris facta, imperante Othone Primo, creavit è suis Prætorem: duravitque hæc Reipublicæ forma usque ad Fredericum II. cujus jussu Actiolinus eam occupavit. Postremò Principes habuit Carrarienses, Scaligeros, Galeatios, & anno ∞. CCCC. VI. Venetos.

9. ATESTE.] Venetæ quoque ditionis oppidum. Plinius Coloniam Romanam facit. Iterum anno ∞. CC. XLVII. ab Actiolino, pulso Actio loci Marchione, subversum. Originem ex hac urbe trahere nonnulli tradunt Familiam Estensium.

10. AC DEINDE TOTA.] Scribit Paulus Diaconus, postea ad universas Venetas urbes conversum Atti-

Attilam, & in Vicentiam, Bergomum, Brixiam, Veronam debacchatum. Callimachus ait, Veronam & Tarvisium spontè Hunnorum imperium suscepisse, auctoribus Helmundo & Diatherico Antistibus. Plura addam illius verbis: *Vicentiam, Brixiam, Bergomum velut continuato impetu expugnavit, ac diripuit: sed ab igne ubique temperatum. Cùm caperetur Brixia, vulnus accepit; cujus dolore accensum vix retinuère amici, cùm instituisset inclusum populum, unà cum ædificiis incendio delere. Sed & Vincentiæ ad foveam, quâ civitas ambitur, cæteris tam altitudine aquæ inexploratâ, quàm lubrico per proclive descensu territis, hæsitantibusq; in margine, præcipiti cursu desiliens in aquam, papillis tenus exstantem, ad murum evaserat, recurrensq; ad acclivum verecundiâ suos adegerat, ut muro succederent, tantâ festinatione, dum quisq; prioris tarditatis pudore, primum descendendi decus exoptat, ut plerique attrahendoq;, & impediendo se vicissim, à clivo in profundiorem aquam delapsi, simulq; impliciti, tenentium eluctantiumq; specie submersi sint, priusquam in civitatem transcenderetur.*

21. MEDIOLANVM.] Pauca hîc Suidæ verba præterire nequeo, quin repræsentem: *Mediolanum populosa Italiæ civitas, quam cùm Attila in potestatem suam redegisset, vidissetq; depictos Romanos quidem Reges in thronis aureis sedentes, Scythas autem interfectos, & ad pedes ipsorum prostratos; pictorem quærens, jussit loco interfectorum pingi Romanos Reges, sacculos ferentes ad collum, & aurum fundentes ad pedes ipsius.* Ticinum pari sorte diripuit, ut auctor est Diaconus.

12. PADVM TRANSIT.] Æmiliæ civitates exspoliat, & solo æquat. Ravenna hoc modo servata fuit, ut refert Callimachus: *Tones Episcopus, cum universo populo candidatus ac supplex, ut Civitati ædificiisq; parceretur obtinuit. Victoriæ tamen ingentem speciem præbuère fores urbis à victis depositæ, pedibus intrantis, & per adversam partem exeuntis exercitus subjectæ, & calcatæ.* Mutina precibus Sancti Geminiani exitium evasit. Idcircò hodie Mutinenses, memores ab Antistite suo beneficii, diem septimum Kalend. Februar. ad fastos retulerunt.

13. METVS.] Consedit ad Mincium Amnem, cùm à strage urbium Attila abstineret. Ita passim auctores. Iornandes ait, *in Acroventu Mamboleto, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione transitur.* Alii recentiores, in oppidulo prope ripam Mincii, quod nunc *Governum* vocant. Metus autem potuit duplex esse: ab Aëtio, & ab Vrbe. Ab Aëtio; quia & Barbarorum & Romanorum ingentem vim adduxerat, paratus confligere, cùm & extremum Hunnorum agmen non semel pressisset. Ab Vrbe; quia infausta fuerat Alarico illius direptio. Iornandes: *Cùmque ad Romam animus fuisset ejus attentus accedere, sui eum (ut Priscus refert Historicus) removère; non Vrbi, cui inimici erant, consulentes; sed Alarici quondam Vesigothorum Regis objicientes exemplum, veriti Regis sui fortunam: quia ille post fractam Romam, diu non supervixerat; sed protinus rebus excessit humanis.* Paulus Diaconus ferè eadem. Constantinus tamen Imperator lib. de Administ. Imperio tradit, Attilam Romam usque, atque adeò in Calabriam venisse.

AN ALIVD CONSILIVM.] Paulus Diaconus: *Cùm has animo tempestates revolveret, repentè illi legatio placidissimè à Roma advenit. Nam per se vir sanctissimus Leo Papa ad eum accessit. Qui cùm ad Regem Barbarum ingressus esset, cuncta ut optaverat obtinens, non solùm Romæ, sed totius Italiæ salutem reportavit. Territus namque nutu Dei*

TERGIVM.] Colomanorum, teste Luca.

...s moles onerata Colonis

...s adversus Pompeium ..., quæ cùm circumvenirentur in sinu Adriatico, mutuis spiculis se milites confoderunt. Tragici facinoris hujus meminit Quinctilianus lib. III. *Denique non fecerunt Saguntini; nec in rate circumventi Opitergini.* Opitergium usq; ad fundamenta destruxit Rex Longobardorum Rhotaris: cujus loco postea Opiterginæ Ecclesiæ Antistes urbem condidit, Heracleamque ab Heraclio Augusto nominavit.

7. ALTINVM.] Altinum urbs est Veneta mediterranea, Martiali celebrata:

Æmula Bajanis Altini littora villis.

8. PATAVIVM.] Condita ab Antenore, ut Virgilius, Livius, Solinus: quod cùm posteriores lubenter credidissent, Conditori suo tumulum hunc ad Divi Laurentii Ædem posuerunt:

Inclytus Antenor, post diruta mœnia Trojæ,
Transtulit huc Henetum, Dardanidumq; fugas,
Expulit Euganeos, Patavinam condidit Vrbem,
Quem tegit hic humili marmore cæsa domus.

Multis eximiis Viris clara est: nam Livium, Stellam, C. Valerium Flaccum, Q. Asconium Pædianum, Cæcinnam Pætum, Traseam Pætum, Iulium Paulum I. C. Petrum Aponensem Conciliatorem, aliosque tulit. Lanificio quoque nobilem fuisse constat. Sita verò est apud montes Euganeos, & perfluentem Brentam habet. Guicciardinus audiendus, libro VIII. *Patavium nobilissima & antiquissima urbs, Gymnasii præstantiâ celebris, triplici muro circumdata, & quam Brenta atque Bachilio amnes alluunt: ambitu fortasse tanto, quanto alia vel è maximis Italiæ urbibus, in fertilissimo solo, salubri ac temperato cælo sita; quæ quamvis jam supra centum annos Venetorum, Carrariensibus exactis, imperio premeretur: tamen superba atque ampla ædificia, multaq; antiquitatis vestigia memoranda retinet, è quibus pristina urbis amplitudo splendorq; cognoscitur.* Semper amica fuit Populo Romano, & Coloniam, imò jus suffragiorum Romanum accepit. Tandem ab Attilâ capta direptaque fuit: ad quem eo ipso tempore Marullus Calaber, Poëta egregius, venit, compositumque in adulationem carmen recitavit. Attila, ubi per interpretem cognovit, se Deum, & divinâ stirpe ortum vanissimè prædicari; aspernatus adulationis impudentiam, cum auctore carmen exuri jussit. Sed ab hac tamen severitate subinde temperavit, ne Scriptores cæteri à laudibus illius celebrandis terrerentur. Postea à Longobardis urbs igne fuit vastata. Sub Carolo Magno ad pristinum decus reverti cœpit, fuitq; sub Italiæ, Francorumq; Regibus. Tandem sui juris facta, imperante Othone Primo, creavit è suis Prætorem: duravitque hæc Reipublicæ forma usque ad Fredericum II. cujus jussu Actiolinus eam occupavit. Postremò Principes habuit Carrarienses, Scaligeros, Galeatios, & anno ∞. CCCC. VI. Venetos.

9. ATESTE.] Venetæ quoque ditionis oppidum. Plinius Coloniam Romanam facit. Iterum anno ∞. CC. XLVII. ab Actiolino, pulso Actio loci Marchione, subversum. Originem ex hac urbe trahere nonnulli tradunt Familiam Estensium.

10. AC DEINDE TOTA.] Scribit Paulus Diaconus, postea ad universas Venetas urbes conversum Atti-

Attilam, & in Vicentiam, Bergomum, Brixiam, Veronam debacchatum. Callimachus ait, Veronam & Tarvisium spontè Hunnorum imperium suscepisse, auctoribus Helmundo & Diatherico Antistibus. Plura addam illius verbis: *Vicentiam, Brixiam, Bergomum velut continuato impetu expugnavit, ac diripuit: sed ab igne ubique temperatum. Cùm caperetur Brixia, vulnus accepit; cujus dolore accensum vix retinuêre amici, cùm instituisset inclusum populum, unà cum ædificiis incendio delere. Sed & Vincentiæ ad foveam, quâ civitas ambitur, cæteris tam altitudine aquæ inexploratâ, quàm lubrico per proclive descensu territis, hæsitantibusq́; in margine, præcipiti cursu desiliens in aquam, papillis tenus exstantem, ad murum evaserat, recurrensq́; ad acclivum verecundiâ suos adegerat, ut muro succederent, tantâ festinatione, dum quisq; prioris tarditatis pudore, primum descendendi decus exoptat, ut plerique attrahendoq́; & impediendo se vicissim, à clivo in profundiorem aquam delapsi, simulq́; impliciti, tenentium eluctantiumq́; specie submersi sint, priusquam in civitatem transcenderetur.*

21. MEDIOLANUM.] Pauca hîc Suidæ verba præterire nequeo, quin repræsentem: *Mediolanum populosa Italiæ civitas, quam cùm Attila in potestatem suam redegisset, vidissetq́; depictos Romanos quidem Reges in thronis aureis sedentes, Scythas autem interfectos, & ad pedes ipsorum prostratos; pictorem quærens, jussit loco interfectorum pingi Romanos Reges, sacculos ferentes ad collum, & aurum fundentes ad pedes ipsius.* Ticinum pari sorte diripuit, ut auctor est Diaconus.

12. PADUM TRANSIT.] Æmiliæ civitates exspoliat, & solo æquat. Ravenna hoc modo servata fuit, ut refert Callimachus: *Tones Episcopus, cum universo populo candidatus ac supplex, ut Civitati ædificiisq́; parceretur obtinuit. Victoria tamen ingentem speciem præbuêre fores urbis à victis depositæ, pedibus intrantis, & per adversam partem exeuntis exercitus subjectæ, & calcatæ.* Mutina precibus Sancti Geminiani exitium evasit. Idcircò hodie Mutinenses, memores ab Antistite suo beneficii, diem septimum Kalend. Februar. ad fastos retulerunt.

13. METUS.] Consedit ad Mincium Amnem, cùm à strage urbium Attila abstineret. Ita passim auctores. Iornandes ait, *in Acroventu Mamboleio, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione transitur.* Alii recentiores, in oppidulo prope ripam Mincii, quod nunc *Governum* vocant. Metus autem potuit duplex esse: ab Aëtio, & ab Urbe. Ab Aëtio; quia & Barbarorum & Romanorum ingentem vim adduxerat, paratus confligere, cùm & extremum Hunnorum agmen non semel pressisset. Ab Urbe; quia infausta fuerat Alarico illius direptio. Iornandes: *Cúmque ad Romam animus fuisset ejus attentus accedere, sui eum (ut Priscus refert Historicus) removêre; non Urbi, cui inimici erant, consulentes; sed Alarici quondam Vesigothorum Regis objicientes exemplum, veriti Regis sui fortunam: quia ille post fractam Romam, diu non supervixerat; sed protinus rebus excessit humanis.* Paulus Diaconus ferè eadem. Constantinus tamen Imperator lib. de Administ. Imperio tradit, Attilam Romam usque, atque adeò in Calabriam venisse.

AN ALIUD CONSILIUM.] Paulus Diaconus: *Cùm has animo tempestates revolveret, repentè illi legatio placidissimè à Roma advenit. Nam per se vir sanctissimus Leo Papa ad eum accessit. Qui cùm ad Regem Barbarum ingressus esset, cuncta ut optaverat obtinens, non solùm Romæ, sed totius Italiæ salutem reportavit. Territus namque nutu Dei*

TERGIUM.] Colomanorum, teste Luca-
.
's moles onerata Colonis
——
; adversus Pompeium
...unt, quæ cùm circumvenirentur in sinu Adriatico, mutuis spiculis se milites confoderunt. Tragici facinoris hujus meminit Quinctilianus lib. III. *Denique non fecerunt Saguntini; nec in rate circumventi Opitergini.* Opitergium usq; ad fundamenta destruxit Rex Longobardorum Rhotaris: cujus loco postea Opiterginæ Ecclesiæ Antistes urbem condidit, Heracleamque ab Heraclio Augusto nominavit.

7. ALTINUM.] Altinum urbs est Veneta mediterranea, Martiali celebrata:

Æmula Bajanis Altini littora villis.

8. PATAVIUM.] Condita ab Antenore, ut Virgilius, Livius, Solinus: quod cùm posteriores lubenter credidissent, Conditori suo tumulum hunc ad Divi Laurentii Ædem posuerunt:

Inclytus Antenor, post diruta mœnia Trojæ,
Transtulit huc Henetum, Dardanidumq; fugas,
Expulit Euganeos, Patavinam condidit Urbem,
Quem tegit hic humili marmore cæsa domus.

Multis eximiis Viris clara est: nam Livium, Stellam, C. Valerium Flaccum, Q. Asconium Pædianum, Cæcinnam Pætum, Traseam Pætum, Iulium Paulum I. C. Petrum Aponensem Conciliatorem, aliosque tulit. Lanificio quoque nobilem fuisse constat. Sita verò est apud montes Euganeos, & perfluentem Brentam habet. Guicciardinus audiendus, libro VIII. *Patavium nobilissima & antiquissima urbs, Gymnasii præstantiâ celebris, triplici muro circumdata, & quam Brenta atque Bachilio amnes alluunt: ambitu fortasse tanto, quanto alia vel è maximis Italiæ urbibus, in fertilissimo solo, salubri ac temperato cælo sita; quæ quamvis jam supra centum annos Venetorum, Carrariensibus exactis, imperio premeretur: tamen superba atque ampla ædificia, multaq; antiquitatis vestigia memoranda retinet, è quibus pristina urbis amplitudo splendorq; cognoscitur.* Semper amica fuit Populo Romano, & Coloniam, imò jus suffragiorum Romanum accepit. Tandem ab Attilâ capta direptaque fuit: ad quem eo ipso tempore Marullus Calaber, Poëta egregius, venit, compositumque in adulationem carmen recitavit. Attila, ubi per interpretem cognovit, se Deum, & divinâ stirpe ortum vanissimè prædicari; aspernatus adulationis impudentiam, cum auctore carmen exuri jussit. Sed ab hac tamen severitate subinde temperavit, ne Scriptores cæteri à laudibus illius celebrandis terrerentur. Postea à Longobardis urbs igne fuit vastata. Sub Carolo Magno ad pristinum decus reverti cœpit, fuitq; sub Italiæ, Francorumq; Regibus. Tandem sui juris facta, imperante Othone Primo, creavit è suis Prætorem: duravitque hæc Reipublicæ forma usque ad Fredericum II. cujus jussu Actiolinus eam occupavit. Postremò Principes habuit Carrarienses, Scaligeros, Galeatios, & anno ∞. CCCC. VI. Venetos.

9. ATESTE.] Venetæ quoque ditionis oppidum. Plinius Coloniam Romanam facit. Iterum anno ∞. CC. XLVII. ab Actiolino, pulso Actio loci Marchione, subversum. Originem ex hac urbe trahere nonnulli tradunt Familiam Estensium.

10. AC DEINDE TOTA.] Scribit Paulus Diaconus, postea ad universas Venetas urbes conversum Atti-

Attilam, & in Vicentiam, Bergomum, Brixiam, Veronam debacchatum. Callimachus ait, Veronam & Tarvisium spontè Hunnorum imperium suscepisse, auctoribus Helmundo & Diatherico Antistibus. Plura addam illius verbis: *Vicentiam, Brixiam, Bergomum velut continuato impetu expugnavit, ac diripuit: sed ab igne ubique temperatum. Cùm caperetur Brixia, vulnus accepit; cujus dolore accensum vix retinuère amici, cùm instituisset inclusum populum, unà cum ædificiis incendio delere. Sed & Vincentiæ ad foveam, quâ civitas ambitur, cæteris tam altitudine aquæ inexploratâ, quàm lubrico per proclive descensu territis, hæsitantibusq; in margine, præcipiti cursu desiliens in aquam, papillis tenus exstantem, ad murum evaserat, recurrensq; ad acclivum verecundiâ suos adegerat, ut muro succederent, tantâ festinatione, dum quisq; prioris tarditatis pudore, primum descendendi decus exoptat, ut plerique attrahendoq;, & impediendo se vicissim, à clivo in profundiorem aquam delapsi, simulq; impliciti, tenentium eluctantiumq; specie submersi sint, priusquam in civitatem transcenderetur.*

21. MEDIOLANUM.] Pauca hîc Suidæ verba præterire nequeo, quin repræsentem: *Mediolanum populosa Italiæ civitas, quam cùm Attila in potestatem suam redegisset, vidissetq; depictos Romanos quidem Reges in thronis aureis sedentes, Scythas autem interfectos, & ad pedes ipsorum prostratos; pictorem quærens, jussit loco interfectorum pingi Romanos Reges, sacculos ferentes ad collum, & aurum fundentes ad pedes ipsius.* Ticinum pari sorte diripuit, ut auctor est Diaconus.

12. PADUM TRANSIT.] Æmiliæ civitates exspoliat, & solo æquat. Ravenna hoc modo servata fuit, ut refert Callimachus: *Tones Episcopus, cum universo populo candidatus ac supplex, ut Civitati ædificiisq; parceretur obtinuit. Victoriæ tamen ingentem speciem prabuère fores urbis à victis depositæ, pedibus intrantis, & per adversam partem exeuntis exercitus subjectæ, & calcatæ.* Mutina precibus Sancti Geminiani exitium evasit. Idcircò hodie Mutinenses, memores ab Antistite suo beneficii, diem septimum Kalend. Februar. ad fastos retulerunt.

13. METUS.] Consedit ad Mincium Amnem, cùm à strage urbium Attila abstineret. Ita passim auctores. Iornandes ait, *in Acroventu Mamboleto, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione transitur.* Alii recentiores, in oppidulo prope ripam Mincii, quod nunc *Governum* vocant. Metus autem potuit duplex esse: ab Aëtio, & ab Urbe. Ab Aëtio; quia & Barbarorum & Romanorum ingentem vim adduxerat, paratus confligere, cùm & extremum Hunnorum agmen non semel pressisset. Ab Urbe; quia infausta fuerat Alarico illius direptio. Iornandes: *Cùmque ad Romam animus fuisset ejus attentus accedere, sui eum (ut Priscus refert Historicus) removère; non Urbi, cui inimici erant, consulentes; sed Alarici quondam Vesigothorum Regis objicientes exemplum, veriti Regis sui fortunam: quia ille post fractam Romam, diu non supervixerat; sed protinus rebus excessit humanis.* Paulus Diaconus ferè eadem. Constantinus tamen Imperator lib. de Administ. Imperio tradit, Attilam Romam usque, atque adeò in Calabriam venisse.

AN ALIUD CONSILIUM.] Paulus Diaconus: *Cùm has animo tempestates revolveret, repentè illi legatio placidissimè à Roma advenit. Nam per se vir sanctissimus Leo Papa ad eum accessit. Qui cùm ad Regem Barbarum ingressus esset, cuncta ut optaverat obtinens, non solùm Romæ, sed totius Italiæ salutem reportavit. Territus namque nutu Dei*

Itaque postmodum pubescente vere, & invitante molli Zephyro, se in Italiam vertit, &, proh dolor! occurrentem Romanorum exercitum, haud procul Tergestino sinu, fudit ac delevit. Sic effracto Italiæ obice, per Carnos in Forum Iulii venit, & Aquileiam aggressus est.

4. AQVILEIA.] Primaria est urbs Fori Iulii, quæ & Aquilia, & Romatiana aliquando dicta fuit, & Stephano Ἀκυληία. Hîc Augustus octo mensibus, amœnitate captus loci, consedit, ut tradit Suetonius; eundemq; hîc controversias Herodis & filiorum audivisse refert Iosephus. Quin & Tiberii, aliorumq; Imperatorum sæpe fuit domicilium. Iornandes: *Metropolis Venetiarum, in mucrone vel lingua Adriatici posita sinûs; cujus ab Oriente muros Natissa* (Plinio Natiso) *amnis fluens à monte Picis, elambit.* Hanc toto triennio obsessam esse, auctor est Paulus Diaconus. Nec fortasse mirum, cùm homo Barbarus, & præliis magis, quàm urbium expugnationibus idoneus, tormenta, arietes, falces, turresq; ignoraverit. Callimachus ait, *Cùm Tungros expugnasset, nil æquè admiratum cum à principio, quàm tormenta bellica, quibus grandiores lapides excutiuntur: nam qui ad id locorum missilia nulla nosset, præterquam quæ alterâ manu tractari mittiq; possent; ubi vidit ingentibus saxis, viresq; humanas excedentibus, non singulos milites, sed ferè totos sæpe manipulos prosterni, cum terrore admirabatur. Et utcumque, seu divinâ ope, seu humano torquerentur ingenio, detestabatur quasi injustum genus auxilii, saxa vastiora, quàm ut unum corpus aut ferret, aut mitteret. Mox tamen illis assuevit.* Sed ruditer, ut existimo: & opinionem meam confirmat hæc ipsa tam longa obsidio. Iornandes, & Paulus Diaconus nonnulla de hac eâdem; sed Callimachus, utroque & elegantior, & exactior in hunc modum eam describit: *Erat major obsidentium numerus, quàm ut tam diu unâ in regione ali posset. Cogebantur tam homines quàm jumenta insolitis vesci alimentis, quæ res diversa morborum genera in corporibus excitabat, vulgabátque. Et cùm obsessi etiam frumenti inopiâ laborarent, non fames modò, sed etiam valetudo adversa, desperatioq;, & tædium victoriæ Hunnicam tolerantiam vexabat, & jam prope tumultum & seditionem res erat, indignantibus vociferantibusq; militibus, minimè ferendum, se bellicosarum nationum omnium domitores, in cursu victoriæ suæ circa unius urbis mœnia, cùm foveis, turribusq;, & lapidibus pugnando consenescere; ubi neq; præmium, neq; gloria laboribus ac periculis par foret: si quantum posset adversus inanima, vulneribus & ferro impervia, hominum victor exercitus, experiri placeret, duceretur saltem ad Vrbem Romam, quæ operæpretio Imperii totius Italiæ expugnaretur: præter id quod parum momenti, aut ad laudem, aut ad prædam, in direptione Aquileiæ. Cædendum necessitatibus humanis, illicque pugnandum, ubi ferro, virorum more, non fame, ac lassitudine, veluti debilibus pecudibus occumbendum. Nec in stationibus modò hæc, sed passim per exercitum, ut referentium, exquirentiumq; sua mala turbas fortuna congregabat: cùm inspecta ciconia, quæ pullos suos ex arcis culmine, in quo nidum fecerat, asportabat, capiendæ urbis novam spem omnibus ingessit, asseverante Attilâ, futurorum præscias aves jamjam casuram arcem relinquere. Mox omni expugnandarum urbium apparatu murum aggressus, tanto ardore obsequentes ad primum impetum milites habuit, cùm ipse armis hortationeq; insignis progrederetur; ut quæ triennio se defenderat, trium horarum spatio civitas caperetur. Direpta à militibus præda, & præter paucas feminas, beneficio formæ ad libidinem reservatas, in omnes sævitum propemodum rabiosè, propterea quòd tam obstinatè*

stinatè se defenderant. Traduntur cæsi illic supra XXXVII. *millia hominum, & tandem Vrbs etiam incensa; simul ut deleretur ignominiosum monumentum tam diuturnæ obsidionis, simul ut cæteris metus incuteretur*. Marcellinus Comes memoriæ tradidit, eo tempore tres ingentes lapides è cælo in Thraciam cecidisse. Otho Phrisingensis, Attilam, ne milites obsidionis otio torpescerent, non longè ab Aquileiâ Montem Vtinum in modum aggeris struxisse. Hoc etiam eo consilio fecisse eum Callimachus prodit; ut si humanæ necessitates ab Aquileiâ discedere compulissent, & res in Italiâ, ac reliquâ expeditione præter spem succederent, hanc saltem à tergo munitionem, velut novam Aquileiam, relinqueret, quò tutò se referret, & liberam regressui viam haberet. Adjungam ex eodem, & operæpretium est, quàm strennuè ipse Attila apud hanc Vrbem se gesserit: *Muros plerumque circumibat solus, mutatis vestimentis, expugnationi opportuniora designans. Itaq. cum solitudo, & silentium invitassent aliquando, ut muro succederet, incidit in armatos, qui longè venientem conspicati, properè elapsi per cloacam, sub mœnibus ductam, in insidiis exspectant, ignari tamen eum Regem esse: sed cupiebant exquirere per tormenta ab hostium exploratore, quid consilii in exercitu, quæve capiendæ Vrbis spes esset. Exorti igitur subito Attilam circumsistunt, & dum vivum capere nituntur, abstinent vulneribus. At ille, cui fuga interclusa, defendiq. se adversus tam multos haud magna fiducia esset, ut saltem non inultus moreretur, prærupta fovea sic occupavit, ut à tergo tutus, cum adversis modò rem gereret. Sed dum videt veluti sibi parci ab hoste, & propè negligenter insultari, ratus timorem, magno impetu & clamore prosiliens, duos obtruncat; illatusq. in alios, ut via ferro patefacta est, suburbani cujusdam maceriam saltu superat, prapetiq. cursu deinde se ad suos recepit. Fertur, eos qui illum circumstiterant, retulisse suis: cùm Attila se in vires colligeret, circumspectans quà impetum faceret, apparuisse in oculis nitentis clamantisq. cæleste quiddam, & scintillas igneas, quàm simillimas vigori, qui Deorum oculis inesse creditur*. Vrbs hæc à Narsete Clarissimo Eunucho restituta, non infelicia incrementa sumpsit. Postea in Longobardorum potestate, usque ad Caroli Magni in Italiam adventum, fuit. Celebratur ab Ausonio:

Non erat iste locus, merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras Aquileia cieberis urbes.
Vrbs Itala ad Illyricos objecta Colonia montes,
Mœnibus, ac portu celeberrima. —

5. CONCORDIA.] Fori Iulii oppidum quoque, cujus murum Attila primus adscendit, teste Callimacho. Nihil ejus hodie exstat, præter Ædem S. Stephani, & quàm paucissima tuguria. Cùm se ad hanc Vrbem conferret, *medio ferè itinere, in vico ignobili, circulatores pleriq. ætate ac viribus integri, spe mercedis illecti, per infestos enses nudi miris flexibus agilem saltationem coram ipso cùm exhibuissent; cæteris ludicro cum admiratione exhilaratis, Attila indignè ferens, tam robusta corpora, quæ omnia militiæ decora implere possent, circumforaneo mendicabulo adulterari ac prostitui; juvenes ad se vocat, statim armari facit. Tum armatus ipse, saltuq. in equum receptus, imitari se jubet: quod cùm armis insueti efficere non possent, rursùs provocavit sagittando: sed cùm neq. arcum tendere, neque sagittam nervo applicare possent, tam diu victu tenuissimo tradidit macerandos, quàm cibum longissimo intervallo sagittâ contingerent, & armati in equum dextrâ lævaq. tam facile, quàm ante nudi per gladios salirent. Vsus est illis postea fortissimis commilitonibus ad pleraq. difficilia obeunda.* Hæc Callimachus.

6. OPITERGIVM.] Colonia fuit Romanorum, teste Lucano, lib. IV.

Hic Opiterginis moles onerata Colonis
Constitit. ———

Cæsari naves adversus Pompeium dedit, quæ cùm circumvenirentur in sinu Adriatico, mutuis spiculis se milites confoderunt. Tragici facinoris hujus meminit Quinctilianus lib. III. *Denique non fecerunt Saguntini; nec in rate circumventi Opitergini.* Opitergium usq; ad fundamenta destruxit Rex Longobardorum Rhotaris: cujus loco postea Opiterginæ Ecclesiæ Antistes urbem condidit, Heracleamque ab Heraclio Augusto nominavit.

7. ALTINVM.] Altinum urbs est Veneta mediterranea, Martiali celebrata:

Æmula Bajanis Altini littora villis.

8. PATAVIVM.] Condita ab Antenore, ut Virgilius, Livius, Solinus: quod cùm posteriores lubenter credidissent, Conditori suo tumulum hunc ad Divi Laurentii Ædem posuerunt:

Inclytus Antenor, post diruta mœnia Trojæ,
Transtulit huc Henetum, Dardanidumq; fugas,
Expulit Euganeos, Patavinam condidit Vrbem,
Quem tegit hic humili marmore cæsa domus.

Multis eximiis Viris clara est: nam Livium, Stellam, C. Valerium Flaccum, Q. Asconium Pædianum, Cæcinnam Pætum, Traleam Pætum, Iulium Paulum I. C. Petrum Aponensem Conciliatorem, aliosque tulit. Lanificio quoque nobilem fuisse constat. Sita verò est apud montes Euganeos, & perfluentem Brentam habet. Guicciardinus audiendus, libro VIII. *Patavium nobilissima & antiquissima urbs, Gymnasii præstantiâ celebris, triplici muro circumdata, & quam Brenta atque Bachilio amnes alluunt: ambitu fortasse tanto, quanto alia vel è maximis Italiæ urbibus, in fertilissimo solo, salubri ac temperato cælo sita; quæ quamvis jam supra centum annos Venetorum, Carrariensibus exactis, imperio premeretur: tamen superba atque ampla ædificia, multaq; antiquitatis vestigia memoranda retinet, è quibus pristina urbis amplitudo splendorq; cognoscitur.* Semper amica fuit Populo Romano, & Coloniam, imò jus suffragiorum Romanum accepit. Tandem ab Attilâ capta direptaque fuit: ad quem eo ipso tempore Marullus Calaber, Poëta egregius, venit, compositumque in adulationem carmen recitavit. Attila, ubi per interpretem cognovit, se Deum, & divinâ stirpe ortum vanissimè prædicari; aspernatus adulationis impudentiam, cum auctore carmen exuri jussit. Sed ab hac tamen severitate subinde temperavit, ne Scriptores cæteri à laudibus illius celebrandis terrerentur. Postea à Longobardis urbs igne fuit vastata. Sub Carolo Magno ad pristinum decus reverti cœpit, fuitq; sub Italiæ, Francorumq; Regibus. Tandem sui juris facta, imperante Othone Primo, creavit è suis Prætorem: duravitque hæc Reipublicæ forma usque ad Fredericum II. cujus jussu Actiolinus eam occupavit. Postremò Principes habuit Carrarienses, Scaligeros, Galeatios, & anno ∞. CCCC. VI. Venetos.

9. ATESTE.] Venetæ quoque ditionis oppidum. Plinius Coloniam Romanam facit. Iterum anno ∞. CC. XLVII. ab Actiolino, pulso Actio loci Marchione, subversum. Originem ex hac urbe trahere nonnulli tradunt Familiam Estensium.

10. AC DEINDE TOTA.] Scribit Paulus Diaconus, postea ad universas Venetas urbes conversum Atti-

Attilam, & in Vicentiam, Bergomum, Brixiam, Veronam debacchatum. Callimachus ait, Veronam & Tarvisium spontè Hunnorum imperium suscepisse, auctoribus Helmundo & Diatherico Antistibus. Plura addam illius verbis: *Vicentiam, Brixiam, Bergomum velut continuato impetu expugnavit, ac diripuit: sed ab igne ubique temperatum. Cùm caperetur Brixia, vulnus accepit; cujus dolore accensum vix retinuère amici, cùm instituisset inclusum populum, unà cum ædificiis incendio delere. Sed & Vincentiæ ad foveam, quâ civitas ambitur, cæteris tam altitudine aquæ inexploratâ, quàm lubrico per proclive descensu territis, hæsitantibusq́; in margine, præcipiti cursu desiliens in aquam, papillis tenus exstantem, ad murum evaserat, recurrensq́; ad acclivum verecundiâ suos adegerat, ut muro succederent, tantâ festinatione, dum quisq; prioris tarditatis pudore, primum descendendi decus exoptat, ut plerique attrahendoq́; & impediendo se vicissim, à clivo in profundiorem aquam delapsi, simulq́; impliciti, tenentium eluctantiumq́; specie submersi sint, priusquam in civitatem transcenderetur.*

21. MEDIOLANVM.] Pauca hîc Suidæ verba præterire nequeo, quin repræsentem: *Mediolanum populosa Italiæ civitas, quam cùm Attila in potestatem suam redegisset, vidissetq́; depictos Romanos quidem Reges in thronis aureis sedentes, Scythas autem interfectos, & ad pedes ipsorum prostratos; pictorem quærens, jussit loco interfectorum pingi Romanos Reges, sacculos ferentes ad collum, & aurum fundentes ad pedes ipsius.* Ticinum pari sorte diripuit, ut auctor est Diaconus.

12. PADVM TRANSIT.] Æmiliæ civitates exspoliat, & solo æquat. Ravenna hoc modo servata fuit, ut refert Callimachus: *Tones Episcopus, cum universo populo candidatus ac supplex, ut Civitati ædificiisq́; parceretur obtinuit. Victoria tamen ingentem speciem præbuère fores urbis à victis depositæ, pedibus intrantis, & per adversam partem exeuntis exercitus subjectæ, & calcatæ.* Mutina precibus Sancti Geminiani exitium evasit. Idcircò hodie Mutinenses, memores ab Antistite suo beneficii, diem septimum Kalend. Februar. ad fastos retulerunt.

13. METVS.] Consedit ad Mincium Amnem, cùm à strage urbium Attila abstineret. Ita passim auctores. Iornandes ait, *in Acroventu Mamboleio, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione transitur.* Alii recentiores, in oppidulo prope ripam Mincii, quod nunc *Governum* vocant. Metus autem potuit duplex esse: ab Aëtio, & ab Vrbe. Ab Aëtio; quia & Barbarorum & Romanorum ingentem vim adduxerat, paratus confligere, cùm & extremum Hunnorum agmen non semel pressisset. Ab Vrbe; quia infausta fuerat Alarico illius direptio. Iornandes: *Cùmque ad Romam animus fuisset ejus attentus accedere, sui eum (ut Priscus refert Historicus) removère; non Vrbi, cui inimici erant, consulentes; sed Alarici quondam Vesigothorum Regis objicientes exemplum, veriti Regis sui fortunam: quia ille post fractam Romam, diu non supervixerat; sed protinus rebus excessit humanis.* Paulus Diaconus ferè eadem. Constantinus tamen Imperator lib. de Administ. Imperio tradit, Attilam Romam usque, atque adeò in Calabriam venisse.

AN ALIVD CONSILIVM.] Paulus Diaconus: *Cùm has animo tempestates revolveret, repentè illi legatio placidissimè à Roma advenit. Nam per se vir sanctissimus Leo Papa ad eum accessit. Qui cùm ad Regem Barbarum ingressus esset, cuncta ut optaverat obtinens, non solùm Romæ, sed totius Italiæ salutem reportavit. Territus namque nutu Dei*

Attila fuerat, nec aliud Christi Sacerdoti loqui valuit, nisi quod ipse praeoptabat. Fertur itaque, post discessum Pontificis interrogatum esse Attilam à suis, cur ultra solitum morem tantam reverentiam Romano Pontifici adhibuerit; quandoquidem penè ad omnia, quæ sibi ille impetrasset, obtemperaret. Tum Regem respondisse: non se ejus qui advenerat personam reveritum esse; sed alium se virum juxtà eum in habitu Sacerdotali adstantem vidisse, formâ augustâ, & canicie venerabilem, illumq; evaginato gladio sibi terribiliter mortem minitantem, nisi cuncta quæ ille expetebat, explesset. Gregorius Pontifex in oratione, quam libro III. subjiciam, affirmat, Attilam specie DD. Petri & Pauli territum, Auctoritati Pontificiæ se submisisse, & à Romanâ civitate abstinuisse manus. Callimachus addit: *Qui verò miraculum excludentes, rationibus conjecturisq; humanis factum expendunt, putant Attilam, aut tractabili mitiq; naturâ suâ in supplices id præstitisse, aut ingenio Leonis, & doctrinâ victum.* Et paucis interpositis: *Inter milites jocularìter jactatum; haud immeritò Leoni cessisse in Italiâ, qui Lupum in Galliâ reformidasset; plusque cohibendo Attilam momenti habere ferarum nomina, quàm hostium armatas acies.* Lupus erat S. Lupus Tricassinorum Episcopus, qui cunctis comitantibus Sacerdotibus, & solenni apparatu, Attilæ obviàm progressus obtinuit, ut nulla vis urbi inferretur.

15. RELEGIT VESTIGIA.] Quid deinde fecerit, & quomodo diem clauserit annectam, Pauli Diaconi verbis: *Attila relictâ Italiâ Pannonias repetit; ad quem Honoria Valentiniani Principis Germana, dum à Fratre ob decus pudicitiæ districtè servaretur, suum Eunuchum dirigit; quatenus eam sibi à Fratre in matrimonium extorqueret. Accepto itaque hoc Attilâ nuncio, qui jam Italiæ fines excesserat, nec statim fatigato exercitu regredi poterat, mandat Valentiniano Imperatori, minitans pejora se proximè illaturum, nisi mox ei suam Germanam cum parte Regni debitâ transmisisset. Qui reversus ad proprias sedes, supra plures quàm habebat uxores, puellam valde decoram* (priusquam legati Româ reverterentur) *indicto nomine sibi in matrimonium junxit* (puellæ nomen fuit Hildico) *ob cujus nuptias profusa convivia exercens, dum tantum vini quantum nunquam antea insimul bibisset, cùm supinus quiesceret, eruptione sanguinis, qui ei de naribus solitus erat effluere suffocatus & extinctus est.* Marcellinus Comes adseverat, cum hortatu Aëtii, à muliere noctu confossum. Pergit verò Iornandes: *Ita glorioso per bella Regi temulentia pudendum exitum dedit. Sequenti verò luce cùm magna pars diei fuisset exempta, ministri Regii triste aliquid suspicantes, post clamores maximos, fores effringunt, inveniuntq; Attilæ sine vulnere necem, sanguinis effusione peractam, puellamq; demisso vultu sub velamine lacrymantem. Tunc, ut illius gentis mos est, crinium parte truncatâ, informes facies cavis turpavère vulneribus, ut eximius prælator non fœmineis lamentationibus & lacrymis, sed sanguine lugeretur virili. De quo id accessit mirabile, ut Martiano Principi Orientis de tam feroci hoste sollicito in somnis divinitus assistens, arcum Attilæ in eâdem nocte fractum ostenderet, quasi quod gens ipsa eo telo multa præsumat. Hoc Priscus Historicus verâ se dicit attestatione probare. Nam in tantum magnis imperiis Attila terribilis habitus est, ut ejus mortem in locum muneris superna regnantibus judicarent. Cujus manes quibus modis à sua gente honorati sunt, pauca de multis dicere non omittamus. In mediis siquidem campis, & intra tentoria serica cadavere collocato, spectaculum admirandum, & solenniter exhibetur: nam de totâ gente Hunnorum electissimi equites in eo loco quo erat positum,*

situs, in modum Circensium cursibus ambientes, facta ejus cantu funereo tali ordine referebant. Præcipuus Hunnorum Rex Attila, patre genitus Mundzucco, fortissimarum gentium dominus, qui inaudita ante se potentia, solus Scythica & Germanica regna possedit, nec non utraq. Romana Vrbis Imperia captis civitatibus terruit, & ne prædâ reliqua subderet, placatus precibus annuum vectigal accepit. Cumq. hac omnia proventu felicitatis egerit, non vulnere hostium, non fraude suorum; sed gente incolumi, inter gaudia lætus, sine sensu doloris occubuit. Quis ergò hunc dicat exitum, quem nullus æstimat vindicandum? Postquam talibus lamentis est defletus, Stravam super tumulum ejus, quam appellant ipsi, ingenti comessatione celebrant, & contraria invicem sibi copulantes, luctum funereum mixto gaudio explicabant, noctuq. secretò cadaver est terrâ reconditum. Cujus fercula primùm auro, secundo argento, tertiò ferri rigore communiunt, significantes tali argumento potentissimo Regi omnia convenisse: ferrum, quo gentes edomuit; aurum & argentum, quòd ornatum Reipublicæ utriusque acceperit. Addunt arma hostium cædibus acquisita, phaleras vario gemmarum fulgore pretiosas, & diversi generis insignia, quibus colitur aulicum decus; & ut tot & tantis divitiis humana curiositas arceretur, operi destinatos detestabili mercede trucidarunt, emersitq. momentanea mors sepelientibus cum sepulto. Callimachus ait, revertenti ab Italicâ expeditione mulierem fanaticam, temerè in equum invectam, ter clamasse: *Retrò.* Equum quoque, quem in deliciis propè habebat, ipso nuptiarum die interiisse; & Cometam ad vernum Solis exortum plusquam xx. noctibus apparuisse. Populi verò qui imperio illius suberant, se in libertatem asseruerunt: Gepidæ Daciam occuparunt; Ostrogothi Pannoniam à Sirmio ad Vindibonam; Sarmatæ, & quidam Hunni in Illyrico ad castrum Martenam; Rugi, aliiq., Scandiopolim; Scythiam Minorem & Inferiorem Mœsiam Scyri, Satagarii, Alani, duce Candace, accepêre; cujus Notarius fuit avus Iornandis, qui hæc memoriæ tradidit. Vsitatum hoc est, in Magnorum Virorum funere: quisque rapit quod potest; & cùm heres non est, terrarum latrocinium permissum videtur. Alexander cujus aviditati Orbis non sufficiebat, plures ferè corvos habuit, quàm Regnorum membra.

16. PACEM.] Præstitisset illam Aëtii ferro emere, quàm pecuniâ. Sed quid perpetravit homo ignavissimus? cùm Pacem foris habuit, domi ducis sui cruorem effudit. Aëtius, quem Rerum Dominus propter sapientiam, & gloriosos in Republicâ labores, in omni consilii parte (ut Cassiodorus ait) solitus nuper erat sequi, obtruncatur. Attilæ terror, & Vir militiâ eximius, Eunuchorum delationibus obnoxius fit. Ad summam, qui Imperium xxx. annis tutatus fuerat, illi mors & sica præmium fuit. Imò Valentiniani manu cecidisse, auctor est Sidonius:

Principis interea gladio lacrymabile fatum
Clauserat Aëtius. —

Et in Panegyrico Aviti Augusti:

Aëtium placidus mactavit semivir amens.

Atque hæc videntur ad Eunuchos referri posse. Sed tanti viri mors haud inulta mansit. Nam Occidentis Imperium, salusq; Reipublicæ, cum eo corruit; & Valentinianus ab Aëtii milite confossus, pœnas luit. Huic successère Maximus, Avitus, Majoranus, Severus, Anthemius, aliique; omnes ferè aliquot mensium Imperatores. Non Principes, sed fungi: ut nati, perierunt. Credideram Regum annonam magis caram, secutus vetustissimum Poëtam.

Con-

Consules fiunt quotannis, & novi Proconsules. *Solus aut Rex, aut Poëta non quotannis nascitur.*

HISTORIA.

POSTQUAM cessavit hæc tempestas, sudum paullisper fuit, pulsisque, non armis, sed fœdere ad hiemem suam Hunnis, ver quoddam Italiæ rediit. Insubres instaurare cum animis fortunas quoque cœpere: Mediolanum domos & templa, [1] Eusebio Antistite annitente, recepit. ut calamitatis duraret memoria, novam rudera urbem fecêre.

COMMENTARIVS.

1. EVSEBIO.] Antistes ille annis XVII. rei Mediolanensium mirificè profuit. In Æde Divi Laurentii sepultus est.

HISTORIA.

[1] ANTHEMIO ad Imperium Occidentis evecto, Patricius [2] Ricimer, [3] cui filiam ille desponderat, Mediolanum regebat, munere præfectus, imperio dominus. Sed inter socerum generumque [4] gravia odia, in bellum tandem erupêre. Alter caussâ, alter viribus melior, parem tamen animum adferebant. [5] Vires autem caussam & felicitatem fecêre. Tanquam Insubres sæpius Romam possent capere, Ricimer infesto exercitu Anthemium petiit, & obsedit. Salutis igitur spes unica in auxiliis Gothorum, qui Belimere duce è Galliâ adventabant, Romanorum scilicet caput protecturi, nuper hostes, & propemodum eversores. His ad pontem Hadriani prælio victis, quo dux ducem interemit, majori vi urbs oppugnata, & capta est. Anthemium Ricimer in potestatem redactum [6] per summum scelus necavit, socerum & Imperatorem. Sed in urbem miles debacchatus, quicquid nupera Gothorum Barbaries reliquerat, dissipavit. Ricimeris vota impleri perfidiâ non potuêre: ad Imperii fastigium cùm properat, [7] morbo correptus obiit, vir fortis, sed alter in Republicâ velut Stilico; nisi felicior etiam, quòd non plures Imperatores

res 8 evexit, quàm sustulit. Mox verò post 9 Olybrium, 10 Glyceriumque vitio creatos, Imperii insignia 11 Iulio Nepoti Momyllus eripuit, ultimus in Occidente Augustorum.

COMMENTARIVS.

1. ANTHEMIO.] Ea jam erat Italiæ fortuna, ut suos ipsa Imperatores facere non posset; sed Byzantio mitterentur Augusti. Erat igitur apud Leonem Anthemius, Procopii socer, Consulari dignitate, quem Sidonius in Panegyrico describit, Marciani Augusti nepos, ac gener, mœnium Byzantinorum structor, Magister utriusque Militiæ, Patricius, Hunnorum domitor, dives, & ab ipso Senatu Romano expetitus; qui Puseo & Ioanne Coss. Cæsar in Italiam missus fuit.

2. RICIMER.] Natione Suevus, teste Ennodio, in vitâ Epiphanii. Alii tamen Vandalum esse produnt, & genere materno à Valliâ Gothorum Rege descendere. A Valentiniano in Aëtii locum substitutus fuit, & paulò pòst totum ferè Imperium sustinuit: nam Avitum Imperatorem Placentiæ diademate exuit, & è fastigio ad vitam privatam detrusit: Patriciatûs dignitate fuit ornatus: A Majorano Augusto Vir Illustris, Comes, & Magister utriusque Militiæ in epistolis appellatur, & in consilium, rerumque omnium societatem adscitus. Hunc ipsum è Galliâ revocavit, & Imperio abdicare coactum, apud Iriam fluvium prope Dertonam occîdit. Severo Augustalia Insignia, injussu Leonis Imperatoris Byzantini, Ravennæ detulit. Beorgorem Alanorum Regem prope Bergomum fudit, ac peremit: quâ victoriâ elatus, magnificos adeò spiritus sumpsit, ut Imperatorem à se factum contempserit, & veneno occultè necârit. Ita Cassiodorus in Chronico: at Sidonius ait, suo morbo Severum interiisse, quem & Paulus Diaconus sequitur.

3. CVI FILIAM.] Ad stabiliendum Imperii statum, Ricimeris gratiam sibi vinculo affinitatis adstrinxit Anthemius. Sidonius epistolâ ad Heronium testatur se his nuptiis interfuisse: *Neq. adhuc Principis, aulicorumq. tumultuosis foribus obversor. Interveni enim nuptiis Patricii Ricimeris, cui filia Perennis Augusti, in spem publicæ securitatis copulabatur. Igitur nunc in istâ non modò personarum; sed etiam ordinum partiúmque lætitiâ Transalpino tuo latère conducibilius visum: quippe cùm hoc ipso tempore, quo hæc mihi exarabantur, vix per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnasia, Thalassio Fescenninus explicaretur*. Filiæ nomen erat Ascella; de quâ è libris Consularibus Gregorius Turonensis, lib. 11. cap. 1x.

4. GRAVIA ODIA.] Ricimer enim cœpit Anthemium Augustum despicere. Satis id explicat Ennodius, in vitâ Epiphanii, ubi Anthemius conqueritur: *Quamvis inexplicabilis mihi, Sancte Antistes, adversus Ricimerem caussa doloris sit, quòd nihil profuerit, maximis eum à nobis donatum esse beneficiis, quem etiam (quod non sine pudore & Regni & sanguinis nostri dicendum est) in familiæ stemma copulavimus; dum indulsimus amori Reipublicæ, quod videretur ad nostrorum odium pertinere. Quis hoc namque veterum retrò Principum fecit unquam, ut inter munera quæ pellito Getbæ dari necesse erat, pro quiete communi filia poneretur? Nescimus parcere*

 sanguini

sanguini nostro, dum servamus alienum. Paulus Diaconus: *Hoc denique ipso in tempore, inter Anthemium Principem, ejusq; generum Ricimerem Patricium, qui tunc Mediolani positus, praerat Liguriæ, magnus discordiarum fomes exortus est; quibus se vir senectute conspicuus Epiphanius Ticinensis Episcopus interponens, eos primum ad concordiam revocavit.* Sanè facile erat Anthemii ingenium, & Religioni Christianæ addictissimum. Adjungam ex Ennodio, quomodò in gratiam cum Ricimere venerit: *Neque verò hoc formidini nostræ quisquam adscribat: non enim nostram vicem solliciti fuimus, sed populorum; haudquaquam ignari, Imperatorem amittere laudem virtutis, nisi pro periculis expalleat alienis. Atque ut tuæ venerationi ad liquidum conatus ejus aperiamus; quò majoribus est à nobis muneribus exornatus, eò acriorem se nobis hostem exhibuit. Nam quæ bella Reipublicæ comparavit! quantum in Italiam gentium externarum invexit! postremò, ubi nocere non potuit, nocendi tamen fomenta suffecit. Huic igitur pacem dabimus? hunc intestinum hostem amici specie sustinebimus, quem fœdere concordiæ nulla affinitatis vincula tenuerunt? Magna cautio est, adversarii animum perspexisse. Veruntamen si tu his omnibus sponsorem te interponis, qui potes spiritali indagine consilia nefanda eruere, erutaq; comprimere, pacem, quam poscis, non nego. Quod si solitâ calliditate te ipsum quoque fefellerit; me tamen, statumq; Reipublicæ fidei tuæ commendo; & gratiam, quam supplicanti Ricimeri negare statueram, per te ultrò restituo. Quis enim audeat tibi beneficium abnuere postulanti, cui oportuerat antè preces offerri?* Sed haud diu Ricimer in hac concordiâ perstitit. Paulus Diaconus: *Barbaricâ perfidiâ fœdus rumpens Ricimer (erat enim Gothus Prosapiâ) cum manu mox validâ ad Vrbem contendit: atque apud Anienis pontem* (Pomponius Lætus ad Ælium pontem) *castra posuit. Divisa itaque Roma est; & quidam favebant Anthemio, quidam verò Ricimeris perfidiam sequebantur.*

5. VIRES AVTEM CAVSSAM FECERE.] Vetus, & usitatum hodie quoque adagium est: *Lex in manibus*. Taciti Tyridates: *Id in summâ fortunâ æquius, quod validius.* Livius lib. v. *Quodnam id jus esset, agrum à possessoribus petere, aut minitari arma Romanis quærentibus? ecquid in Hetruriâ rei Gallis esset? Cùm illi se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse, ferociter dicerent.* Idem ferè Cæsaris miles, cùm prorogationem à Senatu non obtineret, capulum percutiens, *At hic*, inquit, *dabit*. Dubravius libro XXV. narrat, Bajazetem Amuratis filium, cùm Legati à Sigismundo Rege Hungariæ ad eum venissent, de injuriâ querentes, quòd à nemine Hungarorum lacessitus, aliena invaderet, Bulgaros infestans, Regno Hungariæ subjectos; jussisse in parietibus suspendi diversi generis arma, tela, sagittas, acinaces, clypeos, sarissas, atq; in conspectum Legatis admissis, *Dum*, inquit, *ista quæ cernitis, nobis supersunt, superest jus quoque, non ad Bulgariam modò; sed ad Croatiam, Dalmatiam, & ipsam Hungariam.*

6. PER SVMMVM SCELVS NECAVIT.] Crederes Vesuvium facinore offensum quoque fuisse: nam eodem anno, Indictione decimâ, ut scribit Marcellinus Comes, *Vesuvius mons Campaniæ torridus, intestinis ignibus æstuans, exusta evomuit viscera, nocturnisque in die tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit pulvere. Cujus metuendi memoriam cineris Byzantii annuè celebrant* VIII. *Id. Novembris.*

6. MORBO CORREPTVS.] Cassiodorus in Chronico: *Qui non diutiùs*

diutiùs peracto scelere gloriatus, post XL. *dies defunctus est*. Paulus Diaconus: *Roma insuper gravissimè deprædata est, exceptis duabus Regionibus, in quibus Ricimer cum suis manebat; cætera omnia sunt prædatorum aviditate vastata. sed non diutius de perfidiâ lætatus est: nam post mensem tertium excruciatus languoribus, & ipse interiit.*

8. EVEXIT.] Quos evexerit, ante memoravi.

9. OLYBRIVM.] Hic Senator erat; sed Constantinopoli paullò antè reversus Imperium arripuit. Pomponius Lætus ait, purpurâ indutum, à Leone missum, ut Anthemio Regnum auferret. Quod falsum esse existimo: nam auditâ Anthemii morte, Leo Imperator Iulium Nepotem Augustum Italiæ designavit. Olybrius ut Cæsarem se esse ostenderet, Gundibarium Ricimeris Nepotem Patricium fecit, & septimo mense Imperii, ut auctores sunt Paulus Diaconus & Cassiodorus, diem clausit.

10. GLYCERIVMQVE.] Gundibarius jam Patricius, avi Ricimeris vestigiis institit, & spreto Leone, Ravennæ Glycerium, Comitem domesticorum, quem Liarium vocat Diaconus, Imperii insignibus induit. Hic Ostrogothorum Regis fratrem donis & muneribus, jam ferè recepto more, Italiâ exclusit, & Galliam in prædam reliquit. Eò venerat Imperium, ut illius salus precibus ac pecuniâ, non armis aut fortitudine defenderetur.

11. IVLIO NEPOTI.] Leo Imperator, auditâ Anthemii fortunâ, Italiæ Imperio Iulium Nepotem destinat, Nepotiani filium, illique neptem matrimonio copulat. Sed turbatus, Imperium à Glycerio teneri, ingentes copias navibus in Italiam misit, Glyceriumq; Regiâ Potestate exuit; imò verò, ut Diaconus ait, apud Solonas Dalmatiæ urbem Episcopum ordinavit. Marcellinus Comes: *Imperio expulsus in Portu urbe è Cæsare Episcopus ordinatus est, & obiit.* Ostrogothi verò, quos Glycerius pecuniâ victos in Galliam miserat, sese Vesigothis in Galliâ & Hispaniâ habitantibus adjunxerunt, & paullatim totam Galliam sui juris fecerunt. Vnum sic quidem corpus & Ostrogothorum & Vesigothorum effectum est. Vt belli progressum videas, primò Ruthenos, Lemovicos, Cadurcos Gabalitanos Petrogorios, Helusanos, Vasates, Convenas, Auscenses sibi subjecerunt: deinde urbem ipsam Avernorum asperrimâ obsidione aggressi sunt; quæ diu Ecdicii Comitis Aviti quondam Imperatoris filii, & Sidonii Episcopi operâ strenuè defensa fuit: sed in hostium tandem potestatem venit. Exstant Sidonii Epistolæ ad Mamertum Viennensium Præsulem, ad Basilium, aliosq; Græcos Episcopos de crudelitate Gothicâ, & Avernorum obsidione. Ecdicius in Italiam venit, & cùm Galliæ statum Nepoti explicasset, ob fortitudinem Patricius fuit designatus, ut est apud eundem Sidonium, ad Papianillam Ecdicii sororem. Nepos, ne totâ Galliâ spoliaretur, mittit Orestem Magistrum Militum, & Patricium, quem Procopius sapientissimum virum nominat, adversus Gothos in Galliam. Hic ipse genere Gothus erat, & quondam Gothicorum auxiliorum in Italiâ Comes. Sed cùm potestatem viresque suas consideraret, & contrà Nepotis debile robur, auxilium in perfidiam vertit, & Imperium cœpit meditari. Gothos, qui Italiæ præerant, promissâ agrorum tertiâ parte, sibi adjungit; & cum iis Româ profectus, simulat se in Galliam progredi. Itaq; Ravennam pervenit, & ad Nepotem officii prætextu ingressus, incautum Impe-

ratorem Salonas in Dalmatiam quoque relegavit; ac paucis interpositis diebus, filium suum Romulum Momyllum, adhuc puerum, Imperatorem, suffragante exercitu, constituit: qui ultimus Imperatorum fuit in Occidente. Hoc modo Imperium Romanum, quod ab Augustissimis viris Cæsare & Octaviano exordium sumpserat, in puero, & Augustulo exstinctum est. Dixeris, non homines tantùm, sed res ipsas in senio repuerascere. Homini tamen cunæ sunt vitæ exordium: Imperio cunæ nonnisi funus fuêre. Quia sæpe jam *Comitum* mentio est, de vocabulo hæc breviter habe. Hodie quidem dynastiam in Europâ passim significat: olim partim in Oriente, partim in Occidente, Aulæ dignitatibus, & aliorum munium officiis hic titulus addebatur. Erat quippe Sacrarum Largitionum Comes, Rerum privatarum Comes, Domesticorum Equitum, & Domesticorum peditum Comes, Castrensis, & Sacri Palatii Comes, Dispositionum Comes, Isauriæ Comes, Limitis Ægypti Comes. Quin etiam interdum munia non magni momenti Comitis titulum habuerunt: ut Comes Portûs, Comes Formarum, Comes Riparum, & alvei Tiberis, & cloacarum, Comes laborum: de quâ re alii accu ratiùs.

HISTORIA.

ITALIÆ jam Reges fata destinabant. Itaque [1] ODOACER, [2] HERVLORVM Princeps, ab extremis [3] Pannoniæ finibus bellum parat. Nequid ad terrorem desit, simul [4] Turcilingi, [5] Scyri, & Rugi veniunt, sævientis nuper Attilæ auxilia & robora. Primo impetu [6] Insubres petiti. Ticinum captum dirutumque. Mox provoluto velut armorum turbine, in potestatem quoque hostium Mediolanum venit: Mutina, [7] Rhegium, pluresque urbes excisæ. Vt scires à nuperâ plagâ languere adhuc Italiæ vires; contemptæ sunt, & quicquid pro Momyllo stetit, novi Attilæ furorem aut sensit, aut timuit. Postremò nec [8] Roma jam obsessa atque circumdata, hosti minanti ausa resistere: tanquam ad originem rediret, & fortunæ suæ incunabula, Regem Odoacrem salutavit, passa & Momyllum purpurâ exui, & non sine ludibrio [9] in exilium expelli. Ergò Regia potestas Italiam deinceps tenuit: Imperium verò, ut in Augusto cœpit, ita in Augustulo, quo Momyllus nomine fuit, desiit. Odoacer regnum armis occupatum, jure legibusque [10] stabilire aggressus est, non minùs jam lenis Rex, quàm violentus victor. Sed nec in domicilium Roma placuit, quæ magnificæ

ficæ dumtaxat, & malè tutæ latebræ essent. Pro regno excubiturus, Ravennæ, velut in speculâ Italiæ consedit, proximosque Insubres peculiari affectu sibi obstringens, duplicato recenter tributi onere liberavit. His verò gravis molestusque insolenti præfecturâ [11] Pelagius erat, sed ut illustriorem Regis clementiam faceret. Amplius sanè fuit, absolvi sumptibus populum, libertati assuetum, quàm omnino pressum non esse. Odoacer, quia durare injuriam noluit, dedisse beneficium visus.

COMMENTARIVS.

1. ODOACER.] Aliis Othocarus dictus est, aliis Odovacrus, Eugippio Odobachar: quem nonnulli natione Rugum faciunt.

2. HERVLORVM.] Verisimile est, & hanc gentem, quicquid de Scanziâ suâ Iornandes narret, de Thule Procopius, in citeriori Suevici maris littore primas sedes habuisse, inter Rugos & Gothos: cùm iisdem autem in externas regiones profectam. Putat Cluverius, aut Herulos esse, qui Tacito Lemovii, aut fuisse conterminos. Heruli autem fortassis Heluri fuerunt, quemadmodum Græcè Ἔλουροι, tanquam Helii, ab oppido *Hele*. Gothorum partem Zonaras facit, in Galieno. Sed Maximiani tempore ad Rhenum usque penetrasse, & fuisse *viribus Barbarorum primos, locis ultimos,* Mamertinus in Panegyrico indicat. Inter Romanos postea milites adscitos, Batavisque conjunctos, Ammianus Marcellinus lib. XVI. & XXVII. Mores Herulorum utcumq; ab Herodiano describuntur. Cursu valere, Sidonius tradit:

Cursu Herulus, Hunnus jaculis, Francusq; natatu.

Si Iornandi fides, *nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum.* Senes priusquam morbo affligantur, confici pugione solent, & pyræ imponi. Vxor, ni velit ignominiâ notari, laqueo vitam finit. De quâ re latè Procopius. Ab Ermanarico Gothorum Rege subjecti sunt; sed his in Italiâ bellantibus, & postea Attilâ mortuo, rursus in libertatem se vindicarunt: ausi postea Longobardos, aliasque nationes aggredi, & imperio suo obnoxios facere. Tandem cum Orestes Momyllum filium Imperatorem creasset, publicis tumultibus illecti, etiam Italiam devicerunt.

3. PANNONIAE.] Paulus Diaconus ad rem: *Odoacer cum fortissimâ Herulorum multitudine, fretus insuper Tertullingorum* (qui Turcilingi sunt) *sive Scyrorum auxiliis, Italiam ab extremis Pannoniæ finibus properare contendit: qui dum adhuc per Noricorum rura exercitum duceret, cognitâ Severini famâ, Christi Domini servi, qui illis tunc degebat in locis, ad eum, ut sibi benedictionem petiturus, accessit. Qui dum, benedictione perceptâ, ab ejus egredi cellulâ vellet, & caput, ne superliminari ostii, eò quòd proceræ esset staturæ, allideret, inclinasset: à Dei Viro futurorum præscio, mox talia audivit: Vade nunc ad Italiam, vade Odoacer, vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis citò plura largiturus. Hæc*

illæ verba rerum exitu comprobavit. Nam aliquantis post modum annis, totius Italiæ, insuper & Vrbis usus est potestate. Eugippius pariter, in Historiâ S. Severini: *Quâ devotione ante hoc factum quidam Barbari, cùm ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis ad eum intuitu diverterunt: inter quos & Odobachar, qui postea regnavit Italiæ, vilissimo tunc habitu juvenis, staturâ procerus advenerat; qui dum se, ne humillimæ tectum cellulæ suo vertice contingeret, inclinasset, à Viro Dei gloriosum se fore cognovit. Cui etiam vale dicenti: Vade, inquit, ad Italiam vade, vilissimis pellibus coopertus; sed multis citò plurima largiturus.* Otho Frisingensis lib. IV. Chronic. cap. XXX. tradit, fuisse S. Severinum Episcopum Ravennatensium; & juxta radices Comagenis cellulam struxisse, cùm Odoacer in Italiam veniret.

4. TVRCILINGI.] Paulo Diacono Tertullingi. Populus inter alios non admodum clarus: sicuti Rugi, qui mortuo Attilâ petiverunt à Marciano, ut Scandiopolim possent incolere. Vide Iornandem.

5. SCYRI.] Procopius eos Gothicæ originis facit: *Romani verò antea Scyros, Alanosq., & Gothicas alias hujusmodi nationes in societatem adsciverunt.* Scyri exstincto Attilâ, cum Satagariis & Alanis Scythiam Minorem, Inferioremq; Mœsiam acceperunt, ut Iornandes cap. XL. Posteà, cùm in Gothos cum Suevis conjurassent, ita à Gothis fuère repulsi, ut ferè Scyrorum nomen tantùm superfuerit. Idem cap. XLIV. Deinde rursùs hæc natio incrementa sumpsit, & cum Odoacre in Italiam se accinxit.

6. INSVBRES.] Paulus Diaconus: *Ingresso itaque Italiam Odoacre, statim ei apud Liguriæ terminos Orestes Patritius occurrit, qui adversus fortissimam multitudinem nihil se prævalere conspiciens, maximè cùm eum jam quidam suorum deseruissent* (tertiam enim agrorum partem Gothis nondum concesserat) *metu trepidus, intra Ticinum se munitionis fiduciâ conclusit. Mox adveniens cum exercitu Odoacer expugnatam fortiter ingreditur civitatem: vastantur universa rapinis, sævit ubique gladius, divina privataq. ædificia ignis absumit. Captus demum Orestes, ab hostibus Placentiam usque perducitur, ibiq. gladio detruncatur.* Cassiodorus in Chronico ait, fratrem illius Paulum quoque interemptum fuisse.

7. REGIVM.] Vrbs hæc est Æmiliæ, ad Crustulum amnem sita. Ciceroni aliisque Regium Lepidi vocatur. à M. Æmilio Lepido Triumviro, cujus auspiciis in Coloniam fuit conversa. Condita est à Tuscis, à Longobardis & Gothis vastata: postea instaurata, suique juris effecta non diu libertatem retinuit. Nam & Canossaros, Atestinos, Cæsares, Pontifices, Folianos, Scaligeros, Gonzagas, Galeatios, Othobonos, ac tandem Atestinos iterum Dominos Principesq; tulit.

8. ROMA.] Otho Frisingensis lib. IV. cap. XXXI. *Et vide quàm non solùm ortus ejus, sed & finis Babylonico similis apparet Imperio. Illa post non multos annos conditionis suæ gentes cæpit subjicere. Hæc similiter cùm ad robustam venit ætatem, paullatim crescendo, ac primò vicinas urbes subvertendo, pòst ad ulteriora se extendendo, ad totius Orbis pedetentim apicem venit. Sed sicuti nemo repentè fit summus, vel præcipitanter de summo infimus: ita prædicta Vrbs cùm in summo (ut dixi) quo altius in terrâ non potuit, fastigio fuit, & humiliari deberet, cæpit paullatim vires perdere, & quasi jam in senili ætate posita, defectum honoris, quem in robustâ contraxerat ætate, pati. Accessit etiam ad miseriarum cumulum, quæ semper caducarum*

rum

rum rerum interitus est, sedis mutatio sub Constantino facta & sicut ibi Regno ad Medos translato, solo nomine mansit Imperium: sic & isto ad Græcos, atque Francos derivato, Vrbis tantùm antiquæ dignitatis ac nominis manet vestigium. Illa primum ab Arbato Præfecto suo dehonorata est; & post à Cyro etiam subacta. Hæc similiter ab Alarico primùm dehonestata, postmodum ab Odoacro jure Principis possessa est. Sed quia de rerum mutationibus, Regnorumq; immimutionibus, od ostendendos mortalium casus, mundiq; instabiles rotatus, scribere proposui, sicut supra dixisse memini, cùm Roma parturiretur, Babylonia finem accepit: sic & modò dum Regnum Francorum seminaretur, Roma sub Augustulo suo in ultimâ senectute, à conditione suâ ∞. CCXXVII. anno, Barbaris tradita, occasum minatur.

9. IN EXILIVM.] In Lucullanum Campaniæ castrum, tradente Marcellino.

10. STABILIRE.] Odoacer Gothis promissa Orestis persolvit: Italiæ nova tributa ad propulsandos exteros imposuit: Romanis Senatûs auctoritatem, & Consulum dignitatem ademit, ut generosos eorum spiritus contunderet; sed postea restituit: Ecclesiis, & Episcopis honorem suum servavit: Eurico Gothorum Regi partem Galliæ, ab Alpibus ad Rhodanum, quæ huc usq; in Romanâ fuerat potestate, pacis causâ concessit: cum Gundobaldo Rege Burgundionum fœdus percussit: Genserico Vandalorum in Africâ Principi nominis sui terrore extorsit, ut ad se Legatos pacis causâ, & Siciliæ tributario jure obtinendæ, mitteret. Multa præterea præclara toto illo tempore quo regnavit.

11. PELAGIVS.] Præfectus hîc erat Prætorio, & Liguriæ tributum duplicaverat: quo onere Insubres gravati pressique, Epiphanium Ticinensem Episcopum Ravennam miserunt. Feliciter tam sancta cessit Legatio, remissio impetrata est. Videndus Ennodius in vitâ Epiphanii.

HISTORIA.

IN novo statu [1] quies hæc magis fuit rerum, quàm securitas: ad majores calamitates, ludente adhuc fortunâ, populi surrexêre. Post Herulos iterum GOTHI, & ab eodem Danubio moverunt arma, Romano nomini velut noctem illaturi. [2] THEODERICVS acer spiritu juvenis, cùm virtutis præmia à [3] Zenone Imperatore exspectaret, [4] Italiam poposcit, quam debellaret. Data est, & quid nisi in prædam? Barbari tamen, non tanquam ad bellum, sed ad novas sedes profecti, arma simul & fortunas bajulant: ducunt unà liberos conjugesque. [5] Alpium claustra, hoste frustra renitente, penetrant; & hæc prima victoria fuit. [6] Ad Natisonem mox amnem fortuna quid constituisset, explicat. Pellitur Odoacer, nequicquam strenuus, castrisque Herulorum Theodericus potitur. Sic jam quasi Romani desiissent, de Ita-

de Italiâ decernunt Barbari. Interea è Galliâ Æduorum tyrannus Gundobaldus in Liguriam irrumpens, non minori perfidiâ, quàm ſtrage (fœdus enim illi cum Odoacre) longè lateque cuncta populatur. Summam tum quoque calamitatem Vrbs Inſubrum paſſa, niſi quòd capta non fuit. Adverſus vim repentinam ſatis munita, reſtitit: tamen velut in agris everſa, regionis totius incendium deplorabat. Hoſtis quoque non tam belli, quàm latrocinii cauſsâ venerat, pari avaritiâ & metu, ad prædam & rurſus 7 ad fugam paratus. Quia divitias haud potuit, homines rapuit: non ætati, non ſexui pepercit. An graviùs nocere Gothi poterant? Sub vinculis ibant viri & feminæ, pueri & ſenes, trans Alpes ſub Barbaro jugo alienos mox culturi agros. Fato quodam exhauſtam incolis provinciam dixiſſes, quam Gothi incolerent: quippe ſolitudinem invenerunt. Odoacer autem è fugâ 8 Veronam ſe receperat, & collecto exercitu inſequentem à tergo hoſtem novâ, iterumque infelici pugnâ excepit. Semel fuſus frangi faciliùs potuit. 9 Poſt Natiſonem, 10 mox Atheſim, & poſt hunc Abduam majori clade invenit. Tanquam aquæ 11 ſitirent ſanguinem, ad amnes pugnatum eſt, & ut tertiò infelix eſſet Odoacer, fruſtra ad Inſubres fugerat. Vidit igitur Mediolanum Regem ſuum victum, nec defecit: ſic quia fidem coluit, obſeſſum eſt. Verùm difficilius Theoderico fuit, mœnia Inſubrum, quàm caſtra Herulorum capere; clauſos cogere, quàm fugientes diſſipare. His muris ſi crediſſet fortunam ſuam Rex victus, citiùs conſulere rebus poterat. Sed hoſtis victoriæ curſum populi unius pertinaciâ impediri indignatus, cùm & perſequi ſtatim vellet Odoacrem, & nihil non ſuum à tergo relinquere, toto Marte urbi incubuit. Tormenta admota ſunt, & quicquid vis potuit, factum. Ira quoque Barbaris robur dedit, cùm hoſtium ſtragem vel ſuâ quærerent. Ergò neceſſitate preſſi Inſubres, vinci quàm perire maluerunt: & deditionem 12 Laurentius Antiſtes ipſe ſuaſit. Neque ſegniter à reliquis urbibus populiſque ad novum Regem deſcitum. Odoacer Romam profugiens, occluſam & addictam hoſti urbem inve-

invenit. A Ravennatibus admissus, variâ fortunâ excepit [13] vim hostis. Quod mireris, lassavit, & propè fregit. Theoderico tandem, quia pro voto bellum non esset, [14] pax placuit: sed cùm parum esset, in regni duntaxat partem venisse, [15] societatis fidem scelus vicit, interituque Odoacris perfectum est. Sic Gothi Italiæ potiti sunt, & agros, Rege dividente, acceperunt. Quàm grave vulnus Gundobaldus intulerat, tunc apparuit. Suffecit nova advenis terra, & apud Insubres solitudo adhuc erat. Rura arboribus vitibusque spoliata horrorem induerant: sine fruge & segete tam felices torpebant glebæ: cultores non erant. Itaque intercedente [16] Epiphanio Ticinensium, Laurentio Mediolanensium Antistite, captivi è Galliâ postliminio reducti sunt, & fertilitas rediit. Sed quàm pulchrum hoc certamen inter Barbaros! Alter Regum pretium obtulit, alter recusavit. Ille suos esse testatus, quos liberare voluit: hic injuriâ se rapuisse, quos tam benignè reddidit; & sanè magnum accepit lytrum, quia non admisit.

COMMENTARIUS.

1. QUIES.] Nulla enim domi armorum erat materia: foris bella aliqua fuêre. Primum leve; cujus hæc caussa fuit. Iulius Nepos, qui Imperator ante Momyllum fuerat, in Dalmatiâ quietus degebat: hoc otium, Victor & Oliva Comites, cùm ferre non possent, quiescenti in villâ vitam eripuerunt. Arma igitur Odoacer cepit, necémque innocentis manu militari ultus est. De quâ re videndus est præter alios Cassiodorus. Alterum Bellum gravius, quod Paulus Diaconus, lib. I. de Rebus Longobardorum descripsit, cap. XIX. *His temporibus inter Odoacrem, qui in Italiâ per aliquot jam annos regnabat, & Feletheum, qui & Fethia dictus est (Cassiodoro Phæba, Eugippio Fava, & Febanus) Rugorum Regem, magnarum inimicitiarum fomes exarsit. Qui Feletheus illis diebus ulteriorem Danubii ripam incolebat, quam à Norici finibus idem Danubius separat. In his Noricorum finibus Beati tunc erat Severini Cœnobium; qui omni abstinentiæ sanctitate præditus, multis jam erat virtutibus clarus. Qui cùm iisdem in locis ad vitæ usque metas habitasset, nunc tamen ejus corpusculum Neapoli retinetur. Hic, hunc de quo diximus Feletheum, ejusque conjugem cui vocabulum Gisa fuit, ut ab iniquitate quiescerent verbis sanctis monuit: quibus verba pia spernentibus, hoc quod eis postmodum contigit, longè antea futurum esse prædixit. Adunatis igitur Odoacer gentibus quæ ejus ditioni parebant, id est, Turcilingis, Herulis, Rugorumque parte, quos jam dudum possidebat, necnon etiam Italiæ populis, venit in Rugilandiam, pugnavitque cum Rugis,*

ultimâq; eos clade afficiens, Feletheum insuper eorum Regem extinxit; vastatáq; omni Provinciâ Italiam repetens, copiosam secum captivorum multitudinem abduxit. Eugippius in Vitâ S. Severini, Fridericum filium Fethię fugâ elapsum scribit, & post exiguum temporis intervallum ad propria in Rugilandiam revertisse. Quid deinceps acciderit, Eugippius dicat: *Odoacer statim fratrem suum misit cum multis exercitibus Aonulfum, ante quem denuo fugiens Fridericus, ad Theodericum Regem, qui tunc apud Novam Civitatem provinciæ Mœsiæ morabatur, profectus est. Aonulfus verò præcepto fratris monitus, universos jussit in Italiam migrare Romanos. Tunc omnes incolæ, tanquam de domo servitutis Ægyptiæ, ita de quotidianâ barbariæ frequentissimæ deprædationis educti.* Romani enim sub Rugis acerrima patiebantur. Vnde cùm S. Severinus rogaret Gisam, ut Romanos aliquot, vilissimæ servituti destinatos, liberaret, hoc responsi tulit: Oret sibi intra cellam suam Severinus; nobis verò de servis nostris pro arbitrio sinat statuere.

2. THEODERICVS.] Theodemiri Regis Gothorum in Pannoniâ & Norico filius, ex Arilenâ concubinâ, ut Paulus Diaconus auctor est. Illius, inquam, qui fratrem Videmirum ad Occidentis Imperium evertendum adversus Glycerium in Italiam misit; quique sibi Orientis servavit, & Naissum in Illyrico, Heracliam, & Larissam in Thessaliâ, occupavit. A patre filius, pace cum Romanis initâ, obses Constantinopolim missus est. Sed à Leone Imperatore postea cum magnis muneribus remissus. Iornandes autem cap. LV. *Theodericus jam adolescentiæ annos contingens, expletâ pueritiâ octavum & decimum peragens annum, adscitis satellitibus patris, ex populo amatores sibi clientésque consociavit, panè sex millia virorum, cum quibus inscio patre, emenso Danubio, super Babai Sarmatarum Regem discurrit, qui tunc de Camundo duce Romanorum victoriâ potitus superbiæ tumore regnabat, eumq; superveniens Theodericus interemit, familiámque, & censum deprædans, ad genitorem suum cum victoriâ repedavit.* His ita gestis gratus adeò fuit populo, ut eum, patre Theodemiro mortuo, Regni heredem designaverint. Adjungam è Iornande reliqua, cap. LVII. *Theodericum verò gentis suæ Regem audiens ordinatum Imperator Zeno, gratum suscepit, eiq; evocatoriâ destinatâ, ad se in Vrbem venire præcipit; dignoq; suscipiens honore inter proceres sui Palatii locavit. Et post aliquod tempus ad ampliandum honorem ejus in arma, sibi eum filium adoptavit, de suisq; stipendiis triumphum in Vrbe donavit; factúsque est Consul Ordinarius, quod summum bonum, primúmque in mundo decus edicitur. Nec tantùm hoc; sed etiam equestrem statuam ad famam tanti Viri, ante Regiam Palatii collocavit. Inter hæc ergò Theodericus Zenonis Imperio fœdere sociatus, dum ipse in Vrbe bonis omnibus frueretur, Gentemq; suam in Illyrico residentem, non omnino idoneam aut refertam audiret;* ecce Ostrogothi ab Ostrogothis suis interpellantur. Hi enim (verbis Pauli Diaconi loquar) *dum eis per fidei sanctionem prædas agere more solito non liceret, nec tamen ab Imperatore oblata stipendia sufficere possent, cœperunt non minimam egestatis penuriam pati. Execrantur fœdus compositum, vituperant inutilem pactionem, mittuntq; continuò ad Theodericum qui dicerent: quod cùm ipse Græcorum epulis superflueret, illi inopiæ miserias sustinerent. Hortantur ut si suis, filiique consulere velit, citiùs redeat; quatenus ne cuncta gens pessumdetur; & novas ad habitandum sedes exquirant.* Quid Theodericus? *Elegit*, ut

rursùs verba Iornandis exprimam, *potiùs solito more gentis suæ, labore quærere victum, quàm ipse otiosè frui Regni Romani bona, & gentem suam mediocriter victitare; secumq́ deliberans ad Principem ait: Quamvis nihil deest nobis, Imperio vestro famulantibus, tantùm si dignum ducit vestra pietas, desiderium mei cordis libenter audiat. Cumq́ ei, ut solebat, familiariter facultas loquendi fuisset concessa, Hesperia, inquit, plaga, quæ dudum decessorum, prædecessorúmve vestrorum regimine gubernata est, & Vrbs illa Caput Orbis & Domina, quare nunc sub Regis Turcilingorum & Rugorum Tyrannide fluctuat? Dirige cum gente meâ, si præcipis, ut hic expensarum pondere careas, & ibi si adjutus à Domino vicero, fama vestræ pietatis irradiet. Expedit namque, ut ego qui sum servus vester, & filius, si vicero vobis donantibus Regnum, illud possideam: haud ille, quem non nostis, Tyranni jugo Senatum vestrum, partemq́ Reipublicæ captivitatis servitio premat. Ego enim si vicero, vestro dono, vestroq́ munere possidebo: si victus fuero, vestra pietas nihil amittit; imò, ut diximus, lucratur expensas. Quo Audito, quamvis ægrè ferret Imperator discessum ejus, nolens tamen eum contristare, annuit quæ poscebat, magnisq́ ditatum muneribus dimisit à se, Senatum Populumq́ ei commendans Romanum. Igitur egressus urbe Regiâ Theodericus, & ad suos revertens, omnem gentem Gothorum, quæ tamen ei præbuerat consensum, assumens, Hesperiam tendit.* Hic igitur acer ille mihi spiritu juvenis est, quem accuratè & facundè Ennodius in Panegyrico describit, aut potiùs depingit. Nec formam tam felix penicillus prætériit: *Sed nec formæ tunc decus inter postrema numerandum est; quando regii vultûs purpura ostrum dignitatis irradiat.* Nolo omnia: *Quæcumque ornamenta, mundo obsequente, transmissa fuerunt, decorata venerandi genio corporis plus lucebunt. Statura est quæ designet prolixitate regnantem: nix genarum habet concordiam cum rubore: vernant lumina serenitate continuâ: digna manus, quæ exitia rebellibus tribuant, honorum vota subjectis.* Idem nomen in alio Rege, & tamen Gotho, à Sidonio laudatur, lib. I. Epist. II. Sed fuit ille Thorismundi frater, de quo suprà ad Historiam Attilæ.

3. ZENONE.] Leo primus Græcanici sanguinis Imperator Ariadnam filiam Zenoni cuidam copulavit: ex his natum Leonem voluit post se imperare: qui puer adhuc cùm annum præfuisset Imperio, manibus Zenoni Patri Diadema imposuit, teste Aurelio Victore, aliísque novis. Zenon fuit ex Isauris Ciciliæ, humilibus parentibus, & incognitâ villâ ortus: facie & moribus turpissimis. Imperavit decem & septem annis, mortuus Constantinopoli, cùm Odoacer Ravennâ egressus, memorabili certamine superaretur, teste Cassiodoro.

4. ITALIAM.] Paulus Diaconus tradit Theodericum, priusquam in Italiam veniret, Trasillam Gepidarum Regem, quem Trapsilam vocat Sigebertus in Chronico, & Busam Bulgarorum Principem debellasse.

5. ALPIVM CLAVSTRA.] Per Smyrnas, & Pannoniam ad Alpes venerant. Ennodius in Panegyrico, vim copiarum laudat: *Tibi cum Rectore meo Odoacre occurro, qui universas contra eum nationes, quasi Orbis concussorem exciveras. Tot Reges tecum ad Cella convenerant, quot sustinere generalitas milites vix valeret.*

6. NATISONEM.] Hunc fluvium alii Sontium vocant, & ponte transiri poterat, ut videor ex Iornande colligere: nam Theodericum dicit ad pontem Sontium, castra metatum,

tum, ibique ad hominum jumentorumq; corpora reficienda, consedisse. Ipse Theodericus ad Cassiodorum: *Ex quo Deo propitio Sontii fluenta transmisimus, primum Italiæ nos suscepit Imperium*. De hoc conflictu, ita Diaconus: *Primùm juxta Sontium flumen, quod non longè ab Aquileiâ labitur, castra ponens, dum uberrimis, quæ eo loco habentur pascuis, fatigata aliquantum ex itineris longitudine jumenta reficeret; ibi mox ei cum grandi suorum exercitu, totius Odoacer Italiæ viribus occurrit. Quem Theodericus alacriter excipiens, magno superatum prælio postremò in fugam convertit.*

7. AD FUGAM.] Cassiodorus: *Cùm Æmilia & Liguria Burgundionum jussione quateretur gereretq; bellum de civitate furtivum, subitò præsentis Imperii, tanquam solis ortus fama radiavit. Expugnatum se hostis suâ præsumptione congemuit, quando illum cognovit nominatæ gentis esse Rectorem, quem sub militis nomine probaverat esse singularem. Quoties se optavit de finibus suis non exiisse Burgundio, ne Principe nostro pugnaret adverso, cujus licet præsentiam relevatus evaserit, felicitatem tamen præcipitatus incurrit.*

8. VERONAM.] Sunt qui Brenno Gallorum Duci hujus Vrbis originem attribuunt, priusq; Brennonam dictam esse. Annii Viterbiensis Cato, & Sempronius nobili Etruscæ Familiæ VERAE natales hujus Vrbis adscribunt. Gn. Pompejus Strabo, Magni parens, eò duxit Coloniam. Tacitus vocat Coloniam copiis validam. Restituta fuit ab Aurelio Licinio Gallieno Imperatore, & nominata Colonia Augusta Nova Gallieniana, ut liquet ex Arcu antiquo. Ab Attilâ vastata, subjecta Gothis, Longobardis, Francis, & Berengariis: erepta his ab Othone I. Imperioque Romano subjecta. Postea Actiolinus Romaninus, pulso Azone Atestino Prætore, tyrannidem illius invasit: quo mortuo civium suffragiis Scaligeri, titulo Vicariorum, & Principum CXXVIII. annis eidem præfuêre, donec à Galeatiis & Carrariensibus exturbarentur. Veneti tandem huic urbi pacem & felicitatem suo imperio reddiderunt. Luculenta inibi antiquitatis vestigia; & Amphitheatrum propemodum integrum visitur. Mœnia Athesis præterlabitur ac munit. Silius:

Tum Verona Athesi circumflua & undique solers.

Luitprandus, libro II. cap. XI. *Fluvius Athesis, sicut Romam Tiberis, mediam civitatem Veronam percurrit, super ingens marmoreus miri operis miraq; magnitudinis pons est fabricatus: à lævâ autem parte fluminis, quæ est Aquilonem versus, Civitas posita est, difficili arduoq; colle munita; adeò ut si ea pars Civitatis, quam memoratus fluvius dexteram alluit, ab hostibus capiatur, ea tamen possit viriliter defendi. In hujus verò collis summitate pretiosi operis Ecclesia est fabricata, & in honorem Beatissimi Petri Apostolorum Principis consecrata.* Mater fuit multorum clarorum Virorum. Catullum & Macrum Poëtas, Plinium avunculum (hic tamen à Doctissimo Cigalino Comensibus quoque adscribitur) & Vitruvium Architectum Orbi dedit. Ex hac igitur Rex Odoacer, reparatis copiis, iterum in Theodericum movit. Manè pugnatum esse, auctor est Ennodius in Panegyrico: *Cùm primùm Aurora bigis in croceis, ortum jubaris indicavit, cùm de Oceani lymphis Solis flamma surrexit, jam raucum buccinæ concinebant.* Ex eodem colligo Odoacrem primò acriter Theoderici militem pressisse: *Inimicâ Legiones tuæ premebantur instantiâ. Dedisti inertibus fiduciam dum moraris; & hoc credo, provisione casi solùm, ne deberetur multitudini quod vicisti. Protinus adventum*

ventum

ventum tuum indicavit hostibus populus occisorum; executorem prodidit cædis inormitas.

9. POST NATISONEM.] Natiso fluvius est Fori Iulii. Oritur Alpibus post juga Ventionis ad Occasum Solis æstivi Solstitii versus, & LXXX. stadiis prolapsus mediam Fori Iulii urbem secat. Deinde post CXX. ferè stadia Sontio miscetur: & hac causâ nonnulli hoc flumen perperam Sontium appellant. Hodie quoque antiquum nomen obtinet.

10. MOX ATHESIM.] Fluvius est ditionis Tarvisanæ, Italis hodie *L'Adice*, vel *L'Adese*. Tridentinis Alpibus profluit exili lapsu, mox accedentibus multis fluminibus rapido cursu se Tridentum infert, dein Veronam, postea ad portum, quem Fossiones vocant, mari illabitur. A fonte Veronam usque ob rapiditatem est innavigabilis: trabibus tamen, & laricibus abietibusq; compactis nonnulli se committunt.

11. SITIRENT SANGVINEM.] Ennodius: *Qui me veritati nescit obsecutum, Athesis undas videat, tua vi copulatas extitisse cadaveribus; & dum tu faceres gurgites de cruore, in parte aliâ sistebatur impetus fluentorum. Itaq. ne ensibus non sufficeres, pro te & lympha militavit.*

12. LAVRENTIVS.] Laurentius Livius, Episcopus Mediolanensium, carus Symmacho Pontifici, à quo & mirificè laudatus in Synodo III. IV. & V. Romæ. Annis XX. Mediolani præfuit: sepultus in templo S. Hippolyti Martyris.

13. VIM HOSTIS LASSAVIT.] Iornandes: *Odoacer se in Vrbe communivit, indeq. subreptivè noctu frequenter cum suis ingrediens, Gothorum exercitum inquietat: & hoc non semel, nec iterum, sed frequenter, & penè molitur toto triennio.* Molitur, & tandem etiam ingens damnum infert. Paulus Diaconus: *Novissimè noctu in castra corruens, magnâ Theoderici exercitum strage prostravit. Victus ad extremum fortissimè, Gothis resistentibus, in Vrbem confugit.* Fortassis hæc illa fuit Theoderici victoria, cujus meminit Cassiodorus in Chronico: *Odoacer cum Herulis egressus Ravennam, nocturnis horis ad pontem Candidium à Domino nostro Theoderico Rege memorabili certamine superatur.*

14. PAX PLACVIT.] Annitente multùm Ioanne Ravennensium Præsule, qui cum Sacerdotum Collegiis, & Sanctorum Reliquiis Theoderico, cùm Ravennam intraret, occurrit.

15. SOCIETATIS FIDEM.] In convivio, scribente Procopio, Odoacer cum filio & Primoribus, tanquam Theoderico insidias struxisset sævè interemptus est. O iniquam igitur libidinem dominandi! ô periculosum unius sceptrum Regni, si non manu unius geratur! Verè Ennius apud Ciceronem lib. I. Officiorum:

Nulla sancta societas, nec fides Regni est.

Quam sententiam reliqui ferè Poëtæ, vel sequuntur, vel exprimunt. Lucanus lib. I.

Nulla fides Regni sociis, omnisq. potestas
Impatiens consortis erit.

Seneca Agamemnone:

Nec Regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

Statius lib. I. Thebaidos:

— *Sociisq. comes discordia Regnis.*

Ita quidem imbutus Alexander Legatis Darii respondit, tradente Curtio lib. IV. *Si secundus, non par mihi vellet haberi, facerem forsitan quæ petit. Cæterùm nec mundus duobus Solibus potest regi; nec duo summa Regna salvo statu terrarum potest habere.* Ejusdem Scriptoris sententia est, libro X. *Iam fatis admovebantur Macedonum genti bella civilia. Nam insociabile est Regnum.*

16. EPIPHANIO,) Legatus hîc ad Gundobaldum, sanctitatis reverentiâ tantum effecit, ut VI. millia captivorum sine lytro concessa sint. Reliquos qui in prelio capti fuerant, redimi Rex voluit, ne milites deinceps ancipites belli casus perhorrescerent, si nullum è periculis lucrum. E solâ Lugdunensi Civitate CCCC. dimissos, auctor est Ennodius in Vitâ Epiphanii. Theodericus igitur, mox subactâ Italiâ, Zenonis Imperatoris consilio, suæ gentis vestem posuit, & insigne Regii amictûs, quasi jam Gothorum Romanorumque Regnator, sumpsit, ut Iornandes ait. Quæ adjiciam, Cassiodori sunt, in Epistolis. Filias variis Regibus matrimonio copulavit, firmandi Regni gratiâ. Cùm deinde in suspicionem apud Anastasium, qui Zenoni successit, incidisset aversi ab Imperatoribus animi, statim eam legatione diluit. Quid verò attinet omnia persequi? Bulgaros qui in Illyricum, Thraciam, & Pannoniam penetrabant, domuit, misso in eos Petzâ Comite. In Galliam subsidio Gothis venit. Arelate, Arausico, Tolosâ, Massiliâque receptis, cùm multis Francorum, Gallorumque millibus Ravennam rediit: tandemque Galliam & Hispaniam ad ditionem suam adjunxit, eisq; præfectos misit.

HISTORIA.

ATQUE hinc triginta annorum quiete deliniti Insubres, quia oblivisci calamitates potuère, ausi deinceps non timere. Quid tamen est? cessant interdum mala, ne desinant; & perfunduntur meliori rerum aurâ mortales, ut ab intervallo sumant animos, ac redeunti calamitati sufficiant. Fortuna velut flamma est, residere solet, & novo mox incendio erumpit. Sæva est, & ut ampliùs noceat, decipit. Interea Theodericus, 1 quamdiu vegetus, bonus quoque fuit: Postremò deficiens, & tanquam nimiâ felicitate obrutus, graves annos sævitiâ & injustitiâ fœdavit. Symmachum 2 Boëtiumque viros optimos sanctissimosque non contentus Ticinum relegasse, interfecit. 3 Arrianis addictus, pressit Orthodoxos, ipsumque 4 Pontificem Maximum Ravennam evocatum, velut ad terrorem omnium, vinculis, fame, siti maceravit. Minori scelere occidere potuit. Sed 5 feliciùs quoque in carcere Pontifex, quàm Rex in thalamo diem paullopòst obiit. Horrore subito correptus, cùm occisorum à se 6 manes, tanquam præsentes minantesque metueret, impar 7 conscientiæ fuit. Deus ingessit hos stimulos, vindex scelerum: & illatæ mortis pœna tyranno fuit, Nemesi suâ extingui.

COM-

COMMENTARIVS.

1. QVAMDIV VEGETVS, BONVS.] Romanorum enim legibus centum quinquaginta legum capita addidit, Romana suburbia irrigua ut fierent curavit, cloacas refecit, Theatrum Pompeii vetustate propè collapsum Symmachi industriæ commendavit. Vrbis instauravit mœnia, Principumque veterum fabricas, & operam hanc in gloriam suam traxit, ut est in epistolâ Cassiodori ad Sabinianum: *Quis enim dubitet fabricarum miracula, hac provisione servata, & pendenti saxo formatas cameras tegularum tegmine custoditas? ut antiqui Principes nobis meritò debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam juventutem, ut pristinâ novitate reluceant, quæ jam fuerunt vetustosâ senectute fuscata.*

2. BOETIVMQVE.] Hic est Vir ille Illustris, & Patricius, cui Theodericus in hunc modum scripsit: *Hoc te, multâ eruditione saginatum ita nosse didicimus, ut artes quas exercent vulgariter nescientes, in ipso disciplinarum fonte potaveris. Sic enim Atheniensium scholas longè positus introïsti. Sic palleatorum choris miscuisti togam, ut Græcorum dogmata, doctrinam feceris esse Romanam. Didicisti enim quâ profunditate cum suis partibus Speculativa cogitetur; quâ ratione Activa cum suâ divisione discatur; deducens ad Romuleos Senatores, quicquid Cecropidæ mundo fecerant singulare.* Hic est ille Boëtius, qui in exilio sine Amicorum consolatione lætus, potuit vivere, & duos filios Consules vidit. Audite Optimum Virum de se gloriantem: *Poterítne ullius memoria lucis, quantalibet ingruentium malorum mole deleri; cùm duos pariter Consules liberos meos domo provehi sub frequentiâ Patrum, sub plebis alacritate vidi: cùm eisdem in Curiâ curules insidentibus Regiæ laudis Orator ingenii gloriam & facundiæ merui; cum in Circo duorum medius Consulum circumfusæ multitudinis expectationem triumphali largitione satiavi?* In has ærumnas Virum egregium incidisse credo: quia Conisgasti, & Triguillæ Regiæ domus Præfecti conatibus Consul obstiterat, cùm populum avaritiâ suâ vexarent. Præterea quia cum Præfecto Prætorio certamen susceperat, ut Campaniæ, fame adflictæ, subveniretur; quia Paulinum, Virum Consularem Palatinis canibus eripuerat. Summa tamen criminum hæc erat; quòd Senatum Romanum salvum voluisset, & Populum antiquâ incitasset libertate. Addebantur & falsæ litteræ, reliquaq; id genus, quæ nefandis accusationibus serviunt, ut liquet è lib. I. de Consolatione. Ticinum igitur relegatus fuit, bonis publicatis adhuc lætus, quòd salvum socerum Symmachum haberet: *Viget incolumis Symmachus socer, ac suarum securus tuis ingemiscit injuriis: vivit uxor. Quid dicam liberos Consulares, quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel paterni, vel aviti specimen elucet ingenii?* Sed frustra lætus. Postea enim & exilii, & mortis socium habuit. Priscianus Grammaticus in libri de ponderibus atque mensuris exordio hunc Symmachum vocat, *nobilitatis splendore celebratum, ac omni naturæ munere præstantem, omni virtutis luce fulgentem: studiis enim optimarum artium, disciplinarumq; florentem.* Epitaphium Boëtii, Ticini in Æde D. Augustini ejusmodi legitur:

Mæoniâ & Latiâ linguâ clarissimus, & qui
Consul eram, hic perii missus in exilium.

Et

Et quia mors rapuit, probitas me vexit ad auras.
En nunc fama viget maxima, vivit opus.

Asserunt nonnulli, sepulchrum illius in hoc templum à Luitprando Longobardorum Rege translatum fuisse.

3. ARRIANIS.] Arrianorum hæresis cœpit sub Constantino. Sulpitius Severus lib. II. Sacræ Historiæ: *Tum hæresis Arrii prorupit, totumq́; Orbem invecto errore turbaverat. Etenim duobus Arriis, acerrimis perfidiæ hujus auctoribus, Imperator etiam depravatur; dumq́; sibi Religionis officium videtur implere, vim persecutionis exercuit: actiq́; in exilium Episcopi, sævitum in clericos, animadversum in laicos, qui se ab Arrianorum communione secreverant. Quæ autem Arriani prædicabant, erant hujusmodi: Patrem Domini instituendi Orbis caussâ genuisse Filium: eo pro potestate sui ex nihilo, in substantiam novam atque alteram, factum Dominum novum alterumq́;: fuisse autem tempus, quo Filius non fuisset. Igitur hujus mali caussâ, Synodus apud Nicæam ex toto Orbe contrahitur. Trecentis siquidem & duo de-viginti Episcopis congregatis, fides plena conscribitur, hæresis Arriana damnatur, Imperator decretum Episcopale complectitur. Arriani nihil contra sanam fidem retractare ausi, se quoque tanquam acquiescentes, nec aliud sentientes, Ecclesiis miscuerunt: manebat tamen in pectoribus eorum insitum in Catholicos viros odium.* Plura ibidem. Hi sæpè dolo, sæpè etiam viribus Christianam Ecclesiam oppugnârunt. Sæpè Imperatorum amicitiâ nixi, Rem Catholicorum propemodum averterunt, præcipuè cùm ab eorum parte, & Reges, & Episcopi starent. Hæresis ista Oriente non contenta, etiam per Africam, Galliam, Italiam, Illyricum, & Hispaniam pervagata est, omniumque animos blando veneno cepit. Non planè absimilem huic Origenis hæresim fuisse, cùm è voluminibus illius, tum ex Epistola Iustiniani Augusti ad Mennam Archiepiscopum & Patriarcham Constantinopolitanum colligitur. Scribit enim: *Qui tales sunt quomodo possunt in Christianis numerari, eum defendentes hominem, qui ea, quæ Pagani, Manichæi, Arriani sentiunt, tradere studuit: Qui ante omnia in ipsam S. Trinitatem blasphemias ausus est dicere. Patrem majorem esse Filio, Filium S. Spiritu, S. Spiritum aliis spiritibus. Porrò hoc ad impietatem suam addidit, ut diceret, nec posse Filium Patrem videre; nec Spiritum S. Filium: ipsum Filium & Spiritum S. creaturas esse: quodq́; nos sumus ad Filium, Filium esse ad Patrem.*

4. PONTIFICEM MAXIMVM.] Ormisdâ Pontifice Maximo mortuo, successit Ioannes Tuscus Presbyter, qui hîc designatur. Odii verò in Ioannem caussas, è Diacono didici. Verba sunt: *Iustinus* (successor nimirum Anastasii Imperatoris) *ardore Orthodoxæ fidei omnibus satagere cæpit, ut hæreticorum nomen extingueret, statuitq́;, ut ubique eorum Ecclesias Catholicæ Religione consecraret. Quod dum in Italiâ Rex Theodericus Arrianâ lue pollutus audisset, Ioannem Papam, simulq́; cum eo Theodorum, Importunum, atque Agapitum Consulares Viros, aliumq́; Agapitum Patritium Constantinopolim ad Iustinum Principem dirigit; mandatq́; per eos interminitans, ut nisi quantocius hæreticis Ecclesias suas redderet, eosq́; in pace degere sineret, universos Italiæ populos ipse gladio extingueret. Qui pervenientes ad Augustum, cùm ab eo dignè, ut competebat, suscepti essent: magnis eum, de suâ suorumq́; salute solliciti, fletibus postulant, ut suæ legationis seriem, quanquam esset injusta, libenter exciperet, Italiæq́; perituræ consuleret.*

Quorum

Quorum fletibus Iustinus permotus, eis quod petebatur concessit, Arrianósque suo juri reliquit. Et paucis interjectis: *Ioannes Pontifex revertens Constantinopoli, dum cum iis, cum quibus ierat, profectus ad Theodericum Ravennam fuisset, Theodericus ductus malitiâ, quòd eum Iustinus, Catholicæ pietatis defensor, honorificè suscepisset, eum simul cum sociis carceris afflictione peremit.* Anastasius enim, aliique Scriptores tradunt, Iustinum Augustum Ioanni obviàm cum Sacerdotibus, crucibus, cereisque processisse, & ad pedes illius procubuisse: Ioannem die Dominicæ Resurrectionis Missam clarâ voce celebrasse, & in ipsis Sacris, novo & in posterum memorando exemplo Iustinum Insignibus Augustalibus decorasse, contraque ab eo Patenâ, Calice, Pallio aureo gemmatoque donatum. Quæ proculdubio Barbarum Theoderici animum in vindictam stimularunt. Adjungam etiam, quæ Beatus Gregorius in Dialogis de hoc Pontifice memoriæ reliquit, ut singularem Viri sanctitatem admireris: *De quo etiam illud mirabile à nostris Senioribus narrari solet, quòd in Constantinopolitanâ Vrbe, ad portam, quæ vocatur Aurea, veniens, turbis sibi occurrentibus, in conspectu omnium, roganti cæco lumen reddidit, & manu superpositâ oculorum tenebras fugavit.*

5. FELICIVS.] Et verè feliciùs, qui tam constanter vincula, inediam, ac denique mortem sustinuit. Ecce litteras illius ad Italiæ Episcopos: ecce invictum animum, & in carcere liberum: *Hortor vos ac moneo contra Arrianam perfidiam (quæ olim non semel, sed sæpè damnata est, & modò in quibusdam reviviscit) armari gladio Spiritus Sancti; ut eam ita, adminiculante Divinâ gratiâ, opprimere & exstirpare valeamus, ut nec radix ejus in posterum inveniatur. Ecclesias verò Arrianorum ubicumque inveneritis, Catholicas eas divinis precibus & operibus absque ullâ morâ consecrate: quia nos, quando fuimus Constantinopoli, tam pro Religione Catholicâ, quàm & pro Regis Theoderici caussâ negotii, suadente atque hortante, Arrianosq. exstirpante piissimo atque Christianissimo Iustino Orthodoxo Imperatore, quascunque illis in partibus eorum Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas, domino opem ferente, consecravimus. Et quanquam Theodericus eorum peste tactus intrinsecus, & obvolutus extrinsecus, nos & omnem regionem nostram perdere gladio, & igne consumere minetur, nolite tamen propterea deficere.*

6. MANES.] A servo, ut narrat Procopius libro 1. de Bello Gothico, ingentis piscis caput mensæ forte fortunâ illatum erat: quod cùm Rex Theodericus aspexisset, caput Symmachi sibi videre visus est, torvis & minacibus oculis intuentis. Tam fœdo spectaculi prodigio perculsus cohorruit, & morbum accersivit. Sanctus Gregorius, & Paulus Diaconus tradunt, visum apud Liparam Insulam à viro quodam magnæ virtutis Theodericum, à Ioanne Pontifice & Symmacho Patricio deduci; & in Vulcani ollam, quæ ei loco proxima erat, demergi. Hinc fabulam Otho Frisingensis, quâ vulgò dicitur, Theodericum vivum equo insidentem ad Inferos descendisse, natam putat. Procopius lib. 1. de Bello Gothico, affirmat, caput statuæ Regis è sectilibus lapillis compositæ, solutâ compage corruisse, antequàm vitæ finem ille imponeret.

7. CONSCIENTIAE.] Tacitus lib. VI. Annalium: *Insigne visum est earum Cæsaris litterarum initium. Nam his verbis exorsus est: Quid scribam vobis P. C. aut quomodo scri-*

bam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dii me Deæq. pejùs perdant, quàm perire quotidie sentio, si scio. Adeò facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus Sapientiæ firmare solitus est, Si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Alii quoque Scriptores hanc sententiam suffragio suo firment. Iuvenalis Satyrâ XIII.

——— Prima hæc est ultio, quòd se
Iudice nemò nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.

Idem:

——— Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna tamen vehemens, ac multò sævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamanthus,
Nocte dieq. suum gestare in pectore testem.

Sallustius de Bello Iugurthino: *Ex malâ conscientiâ digna timentur.* Cicero pro Milone: *Magnam vim habet Conscientia in utramque partem, ut semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccaverint: & nihil timeant, qui nihil admiserint.* Lucanus lib. VII.

Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies, stringente Senatu,
Illâ nocte premunt: hunc in fera monstra flagellant.
Heu quantum misero pœnæ Mens Conscia donat!

Pythagoras dicere solebat, Virum iniquum graviora à Conscientiâ, quàm cælum, à flagris pati. Apud Curtium lib. VI. sic se excitat Philotas: *Unde & parricida, & proditori tam alti quies somni? scelerati, conscientiâ obstrepente, condormire non possint: agitant eos furiæ, non consummato modò, sed & cogitato parricidio.*

HISTORIA.

AD nepotem [1] ATHANARICUM sceptro devoluto, turbari [2] novis motibus Italia cœpit. Quid mirum? puer regebat, & ille pravo mox æqualium sodalitio in luxum lasciviamque traductus. Mater [3] Amalasuenta, heroïci animi & supra sexum femina, quia dignam [4] Græcis Romanisque elegantiis indolem pueri censuit, enervare dicta est; gravis jam subditis, quia Barbara esse noluit. Etiam in matrem insurgit filius, indignum ratus, ferulâ se contineri, cùm sceptro natus esset. Hinc audacia perversis pueri rectoribus addita: qui, ut pro arbitrio novum haberent Regem, tollere è medio Amalasuentam statuunt. Sed cædis insidias calliditate vicit mulier, & cruenta in auctores consilia regessit.

COM-

COMMENTARIVS.

1. ATHANARICVM.] Hic puer adhuc octennis, ut Procopius ait; vix decennis, ut Iornandes, Regnum Gothorum in Italiâ suscepit. Filius fuit Eutarici, è nobili Amalorum stirpe, & Amalasuentæ, quæ gnata Theoderici fuit. Filiæ pater moriens in mandatis dedit (verba Iornandis sunt) *ut Senatum Populumq́; Romanum amaret, Principemq́; Orientalem placatum semper propitiumq́; haberet.*

2. NOVIS MOTIBVS.] Theodahatus Gothus, è prosapia Theoderici Regis, Latinarum Litterarum, & Platonicorum dogmatum admodum peritus, in Tusciâ potens, nec minùs avarus, possessores vicinosque bonis evolvebat. Hi assiduis rapinis exacerbati, hominem apud Amalasuentam repetundarum postulârunt. Amalasuenta Theodahatum coërcuit, jussitq; ablata restituere. Quam rem perquam iniquo animo tulit; & in vindictam, Iustiniano Tusciam prodere tentavit; imò verò Romæ Iustiniani Legatos rei illius gratiâ convenit. Neque Amalasuenta, filio Gothisque infesta, quievit. Quod extremum est, clàm totam Iustiniano Italiam obtulit. Interea dum hæc aguntur, morbus Athanaricum corripit, quo statim absumptus fuit. Contractam è temulentiâ & lasciviâ ægritudinem Procopius indicat. Non plenos quatuor annos regnasse, auctor Diaconus. Procopius, annos octo.

3. AMALASVENTA.] Aliis Amalasuntha, aliis Amalasiuntha. Filii procurationem suscepit, mulier & prudentiâ, & æquitate, & virili animo prædita. Scribit Procopius, nullum Romanorum pœnâ capitis affectum, aut bonis exutum, hac regnante: quin etiam à Gothis nil damni Romanis illatum. Revocatos & Symmachi, & Boëtii liberos, iisque bona reddita: cum Iustiniano, qui Iustino avunculo successit in Occidentale Imperium, fœdus confirmatum. Theodericum Francorum Regem prælio devictum, in quo ipse Rex occubuit. Burgundiones ad obsequium adductos. Deniq; filium coactum Litterarum ludum frequentare. Sed quantum Litteris faverit, ex hac epistolâ, quam Senatui filii nomine scripsit, cùm Professoribus publica stipendia non persolverentur, licet statuere, apud Cassiodorum lib. IX. Epist. XXI. *Nuper cognovimus Doctores Eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta præmia non habere; & aliquorum nundinatione fieri, ut Scholarum Magistris attributa summa demátur. Quapropter cùm perspicuum sit, præmium artes nutrire, nefas judicavimus, Doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potiùs commodorum incrementis ad gloriosa studia provocandi. Prima enim Grammaticorum Schola fundamentum est Litterarum, mater facundiæ, magistra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis Antiquorum nos cognoscitur juvare consiliis. Hac non utuntur Barbari Reges. Apud legales dominos permanet singularis. Arma enim & reliquæ gentes habent: sola reperitur Eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat. Qua de re P. C. hanc vobis curam, hanc auctoritatem largimur, ut successor Scholæ liberalium Litterarum, tam Grammaticus, quàm Orator, & Iuris expositor commoda sui decessoris, ab eis quorum interest, sine aliquâ imminutione percipiat; ne cogatur de alieno pendere fastigio, cui piaculum est vel horarum vacasse momento.* Amalasuenta, cur non & hodie vivis?

4. GRAECIS ROMANISQUE ELEGANTIIS.] Quid cultus hic possit, frustra jam dico. Ostendit profectò Amalasuenta, etiam in Rege necessarium esse. Operam igitur dedit, ut eruditum haberet filium: & post filium, eruditum quoque elegit regni consortem. Verba ejus sunt, apud Cassiodorum, lib. x. epist. III. & ad hanc ipsam rem: *Accedit his bonis desiderabilis eruditio Litterarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi prudens invenit, unde sapientior fiat; ibi bellator reperit, unde animi virtute roboretur; inde Princeps accipit, quemadmodum populos sub æqualitate componat. Nec aliqua in mundo potest esse Fortuna, quam Litterarum non augeat gloriosa notitia.* Tres igitur è Gothorum senioribus legit, qui Athanaricum in ludum deducerent, & continuò illi adessent. Sed res Gothis displicuit: malebant Regem more Barbarico institui, ut semper via ad prædam, usu gentis, pateret. Tandem cùm puerum mater manu percussisset, Gothi ad se venientem ac tristem conspicati, dictis erigunt. Conventu igitur facto cum Amalasuentâ graviùs expostularunt: *Nec rectè sibi Regem, nec decenter erudiri* (è Procopio hæc oratio est:) *siquidem Litteras, & seniorum instructiones longo intervallo à fortitudine, & magnanimitate abesse, ex his etiam effeminari potiùs animum, & ad timiditatem traduci. Necessarium fore, qui res maximas sit audenter & strenuè aggressurus, & gloriam inde habiturus non mediocrem, præceptoris ut sit formidine liber, & armis ut studeat. Illudq; sedulò dicere, Ne Theodericum quidem ipsum, Gothorum liberos ad ludimagistros mittendos quoquam pacto censuisse. Observatum quoque frequentiùs esse, Haudquaquam eos, quos ferulæ timor jam invasisset, gladios ac lanceas parvi facturos. Vnde par fore ducebant, ut minimè præteriret avum Theodericum, qui tantarum Vrbium Rex factus, nullâ ex parte contigisset Litteras, nec auditas quidem uspiam percepisset. Quocirca Regina, inquiunt, Pædagogos istos missos nunc facito, & Athanarico coævos dato, ut ætate simul floridâ provehantur, proq; lege Barbaricâ ad virtutem & virilitatem impellant.* Quibus impulsa mater, filium Barbaris permisit: qui cum petulcis adolescentibus otio abutetis, temulentiâ & Venere indolem fregit, & contumacem animum matri objecit. Imò Amalasuenta Regiâ excedere jussa fuit. Sed mulier virilis animi minimè deterrita, haud cessit; tresq; Gothos, seditionis antesignanos, honoris specie ablegavit, & postea vario astu sustulit.

HISTORIA.

INTEREA Athanaricus, è vitiis ipsis contractâ corporis tabe, interiit: Regisque priùs nomen, deinde potestas [1] ad THEODAHATUM, qui unus è stirpe Theoderici supererat, translata est. Tantum mulier potuit, quia Regis mater: cui tristius jam erat regno, quàm filio carere. Itaque ut novum Regem in potestate haberet, Theodahatum Regem fecit: & promisit ille, interpositâ fide, solo se nomine usurum. Quid multis? evectus est, ut mox [2] perjurus esset:

nec

nec se putavit Regem, si à feminâ dependeret. Igitur Amalasuenta in 3 Insulam Vulsiniensem, velut carcerem, abducta est: mox, quia sic quoque timeri poterat, strangulata. Tam iniquo autem scelere 3 iram & arma Iustiniani Rex provocavit; nec minori ignaviâ pertimuit. Hinc & Gothis exosus, imperioque exutus, cùm Ravennam fugeret, miseriùs finivit ipse vitam, quàm Amalasuentæ eripuerat.

COMMENTARIVS.

1. AD THEODAHATVM.] Athanarico mortuo, Amalasuenta si regnare vellet, vel saltem Regnantis speciem servare inter Barbaros, Virum debebat & sibi, & Italiæ præficere. Itaq; vocat Theodahatum, ex Amalafredâ Theoderici sorore natum (cujus avaritiam antea castigaverat) & blandâ oratione demulcere exulceratum illius animum contendit: Se in eum egisse acerbiùs, ut Gothis purgatus, dignus Imperio videretur, si filium mori contingeret. Illum solum è Theoderici genere superesse. Ad summam, si in gratiam bonâ fide redire vellet, & nullius bona deinceps abradere, jam Regem futurum: cùm hac tamen exceptione, ut Regis titulum duntaxat gereret, Imperii administrationem, & cætera sibi relinqueret. His auditis Theodahatus per sacra jurat, se facturum quicquid imperasset. Quo jurejurando elusa mulier, & rata antiquas injurias novo beneficio dilui posse, Regem Theodahatum constituit.

2. PERIVRVS ESSET.] Si res dicenda est, pluris regnum quàm fidem fecit. In Amalasuentam insurgens, primùm Gothos, ab eâ relegatos, revocat: hoc deinde auxilio audacior, bonos ac primores plerosque viros, sed Reginæ affines, è medio tollit. Nec adhuc ingratus animus plenis habenis effusus erat, nisi ipsa quoque Regina amoveretur.

3. IN INSVLAM VVLSINIENSEM.] Lacus Tusciæ est: Vulsiniensis à vicino oppido Volsiniorum, quos opulentissimos Etruscorum Florus appellat, lib. 1. cap. XXI. Procopius ad rem, In hoc lacu insulam exiguam, in hac insulâ esse Castellum munitissimum, in quo Amalasuenta adservata fuit; imò in quo periit. In balneo strangulatam fuisse, Iornandes scribit. Mors autem illius, Procopio scribente, graviter & Italos & Gothos affecit.

4. IRAM ET ARMA IVSTINIANI.] Iustinianus Filius Sororis Iustini Thracis, Religioni Christianæ mirum in modum addictus, Sanctæ Sophiæ templum Constantinopoli condidit, & quod mireris, Litterarum, ut volunt, ignarus, Institutiones, & Digesta Iuris Civilis vulgavit. Huic se, suumq; filium, ut Paulus Diaconus ait, Amalasuenta commendaverat; imò Italiam fuerat pollicita. Huic quoque Theodahatus, cùm privatus adhuc esset, Tusciam spoponderat. Quia irrita omnia & vana, Bellum Theodahato Imperator movit, sed tanquam manes Amalasuentæ vindicaturus. Sic sanè justa ira, nec injusta arma visa sunt. Rex autem ut perfidus ita ignavus, cùm pugnare nollet, occisus est.

HISTORIA.

REGNI igitur belliqúe onus VITIGES suscepit, militari tumultu electus. In hunc [1] Belisarius ivit, [2] Italiæque viscera victor percurrens, etiam Mediolano potitus est. Siquidem Insubres Gothorum dominium, quia factionibus turbidum, & bellis cruentum, indignati, fortunam Iustiniani adorabant. Proficiscitur ad Belisarium [3] Dacius Antistes Mediolanensium, nec non primores urbis: fidem obsequiumque polliciti, præsidia petunt. [4] Vix defecerat urbs, militemque Græcum duce Mundilâ admiserat, & [5] obsideri à Gothis cœpta est. Missus à Vitige cum instructis copiis Vraias, novum hostem acriter stringebat. Quippe hac unâ urbe domitâ, aliarum rebellio videbatur levi bello frangi posse. Frenum capiti injici, membra sequi. Sed & auxilia [6] à Theodeberto Francorum Rege venerant. O præproperum defectionis consilium! Mediolanenses, cùm vim sustinuissent, [7] fame victi sunt, & [8] in deditionem venerunt. Sed nulla fides crudelitatem remorata est. Tanquam infra pacta rebelles essent, in homines (neque hîc vindicta stetit,) in muros miserabili penitus strage sævitum. Horreo dicere: interfectorum triginta millia fuerunt. Feminæ, quas ætas aut forma commendaret, in servitutem libidinemque [9] Burgundionibus datæ. Quid ampliùs sævus Mars potuit? mireris à tanto funere resurgere urbem potuisse.

COMMENTARIVS.

1. BELISARIVS.] Ille Persarum & Vandalorum victor triumphatorque, cùm adversus Glimerem, Vandalorum in Africâ Regem, proficisceretur, simulavit se commeatuum caussâ in Siciliam venire, Cataniam capit; Syracusas, & Panormum haud longâ obsidione pressam cum totâ Siciliâ occupat. Quâ Insulâ amissâ, Theodahatus homo Platonicus, & Litterarum disciplinis exercitus, tam vehementer fuit attonitus, ut cum Petro Iustiniani Legato in hunc modum, ut Auctor est Procopius, convenerit: *Imperatori universâ Siciliâ cederet, illiq; auream quotannis trecentarum librarum coronam mitteret. Sibi ut minimè liceret sive sacri, sive Senatorii Ordinis, sine Imperatoris permissu quenquam occidere, vel bona in publicum proscripta redigere; &, siquam fortè ex subditis ad* Patri-

Patriciam dignitatem vellet provehere, ab Imperatore hanc sibi veniam dari posceret: quinetiam Romanus Populus in acclamationibus, ac ipso plausu Imperatoris nomen priùs pronunciaret, deinde Theodahati. Statua praeterea sive aenea, sive aliâ quavis materiâ conflata, nunquam soli Theodahato poneretur, sed utrique semper: Imperatori ad dextram, sibi ad sinistram. Neque vecordis ignaviae homo his se mandatis continuit: adjungit, Cessurum se bonâ fide Imperatori Principatum, si praedium aliquod, è quo mille ducentos aureos caperet, daretur. His laetus Imperator, remittit Legatum, pluraq; concedit, quàm Rex rogaverat. Interim prope Salonas in Dalmatiâ, Mundus στρατηλάτης Iustiniani cum filio Mauritio à Gothis, licet in fugam versis, caeditur. Quae fama propensum ad perfidiam Theodahatum permovit. Nam sicuti antea inhonestâ trepidatione jugum acceperat; ita feroci confestim audaciâ projecit. Oratorem ludibrio habuit, & liberiùs loquentem morte terruit, custodiâque detinuit. His cognitis Iustinianus Belisarium celerrimè jubet Italiam petere. Is Syracusis & Panormo valido praesidio firmatis, Messanâ Rhegium trajecit, nominisque sui terrore timidum quemlibet ad se trahit. Venit igitur inter alios ad Belisarium Ebrimirus Gothus, gener Theodahati, qui postea ad Patriciam dignitatem evectus est. Hunc Evermorem vocat Iornandes, aitque cum exercitu adversus Belisarium missum esse.

2. ITALIAEQVE VISCERA.] Per Brutios Lucanosq; duxit exercitum, deinde Neapolim obsedit. Stephanus Neapolitanorum Legatus negabat rectè Belisarium facere, quòd Neapolim priùs quàm Romam obsideret: hac enim captâ, reliquas urbes, & ipsam Neapolim deditionem paraturam. Cui Belisarius: Se ipsorum totiusq; Italiae libertatem moliri: Gothi verò vel si ad se transirent, honestissimo loco futuros; vel si domum concederent, impunè id iis licere. Quod si has, inquit, conditiones spernitis, & lenitas mea vobis est odio, scitote me pro hoste habiturum, quicunque se mihi primùm objiciet. Stephanum facilè in sententiam suam, cùm oratione, tum muneribus & ingentibus promissis adduxit: sed Pastor, & Asclepiodotus Rhetores, Gothisque conjunctissimi, deditionem impediebant. Belisarius verò, comperto per aquaeductum in moenia accessum esse, quadringentos statim milites immisit, Vrbemque occupavit. Per hunc eundem fortassis aquaeductum Alfonsi Regis milites introducti à vetulâ quadam fuerunt, ut auctor est Iacobus Bracellius, in Historiâ Genuensi. Theodahatus interim, neque militem, neque copias contrahere, ignavus, & fortasse Philosophiae deliciis immersus desidere: quâ inertiâ in suspicionem Gothis venit, tanquam Iustiniani Rem Gothorum quiescendo proditurus. Iornandes ait, suspectum fuisse, cùm Gener se Belisario dedidisset. Conveniunt igitur, & Vitigem, non Amalorum familiâ clarum; sed obscuro sanguine natum, Regem levant; virum tamen bello, quod Theodericus adversus Gepidas apud Sirmium gesserat, clarum. Ipse Vitiges de sua electione sic ad Gothos universos manu Cassiodori scripsit: *Vnde Auctori nostro gratias humillimâ satisfactione referentes, indicamus parentes nostros Gothos inter protinctuales gladios, more majorum, scutorum supposito, Regalem nobis contulisse, praestante Deo, dignitatem, ut honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Non enim in cubilibus angustis, sed in campis latè patentibus electum me esse noveritis; nec inter blandien-*

blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepantibus sum quaesitus: ut tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenita Regem sibi Geticus populus inveniret. Theodahatus verò, ut strenuus esset, è Musǽo suo mox progressus, ad fugam se accinxit. Sed ab Optare ignava ea celeritas impedita fuit. Breviter, Theodahatus instar victimæ cecidit, filiusque Theodesclius custodiâ detentus est. Vitiges interim Lenderem, hominem prudentissimum, Romæ præficit, ipse Ravennam contendit; & Mathasuentam, filiam Amalasuentæ, Theoderici Regis neptem, sibi in matrimonium sociat. Dum nuptias celebrat, Romani Fidelium Mediolanensem ad Belisarium mittunt, nunciantque, Se paratos, militem Iustiniani in Vrbem admittere. Gothi ex Vrbe se Ravennam recipiunt. Apuli interea, Calabri, multique populi, & oppida ad Belisarium deficiunt. Vitiges his auditis, toto impetu in hostem ivit: & quâ confidentiâ! Obvium Sacerdotem interrogat, num Romæ sit Belisarius? veritus ne fugâ sibi elaberetur. Belisarius verò ponti Tiberino, qui inter Narniam & Romam est, turrim præsidiumque imponit, ut hostilis ferocia hac morâ retardetur: confligere enim, non decreverat, nisi novis copiis auctior robustiorque. Milites tamen Belisarii multitudine Gothorum territi, pontem deserunt. Ille ignarus eorum quæ acciderant, adsumptis mille ex Vrbe equitibus, ad pontem properat, inciditque in transeuntes Gothos: conserit manus; & dum incautiùs dimicat, à transfugis agnitus, ingenti vi jaculorum petitus, in discrimen venit: sed armigerorum & satellitum virtute liberatur. Gothorum mille ceciderunt, Romanorum pauci; sed aliqui bello præstantes. Romani redeuntibus portas occludunt, veriti ne cum Belisario etiam Gothi, qui illius vestigiis inhærebant, irrumperent. Ille se sub murum & citeriorem fossæ partem recipit; & cùm diu multumque incassùm Romanorum opem implorasset, convertit impetum in Barbaros. Hi rati alias ex Vrbe copias Belisario subsidio venisse, fugam capessunt: quo edito facinore Belisarii miles intromissus fuit. Mox reversi Gothi, Romam obsident, omnia Vrbi vicina incendio absumunt. Ea tamen, licet acerbâ fame premeretur, crebrisque stratagematibus tentaretur, lassavit Vitigem, ac tandem cum triginta millium strage rejecit. Anno continuo obsessam fuisse, auctor est Paulus Diaconus: Iornandes mensibus quatuordecim. Belisario inter hæc è Græciâ supplementum, mille sexcentorum militum venit. Quâ manu Vitigem crebrò lacessit, multisq; præliis atterit; & nequid Belisarii virtutibus obstaret, iterum mille octingenti equites in subsidium veniunt. Fiunt igitur induciæ. Portum & Centumcellas relinquunt Gothi. Sed hoc tempore Mediolano venit Dacius Archiepiscopus. Vitiges autem cum reliquis copiis Ravennam pervenit; plerasq; urbes munit, ac tandem Ariminum obsidet, & Fortunam magis irritat.

5. DACIVS.] Eustorgio Secundo successit, Quincto Concilio Constantinopolitano interfuit, libros Annalium scripsit. Præsul Mediolanensium annis viginti duobus fuit. Sepultus in templo S. Victoris.

6. VIX DEFECERAT.] *Belisarius,* scribente Procopio, lib. II. de Bello Gothico, *his qui ad se Mediolano venerant, Isauros Thracésque mille dedit. Isauris Bunem præfecit, Paulum Thracibus; omnium imperium Mundilæ detulit. Is cùm cæteris imperaret, è scutatis Belisarii satellitibus nonnullos secum duxit. Cum illis erat Fidelius, jam*

Præfectus

Præfectus Prætorio, qui comes idoneus visus est; quia apud Insubres plurimum valebat. Cùm igitur è portu Romano solvissent, Genuam pervenerunt, postremam Thusciæ urbem, in transmissu ad Gallias & Hispanias sitam. Ibi relictis navibus, factoq; per continentem itinere, progrediebantur, navium lembis in plaustra positis advectisque, ut Padum sine morâ trajicerent. Quò demum trajecto, cùm Ticinum venissent, cum Gothis obviàm prodeuntibus, manus conferunt. Erant autem hi barbarorum proculdubiò præstantissimi, & multitudine abundabant. Nam Gothi, qui ea tunc incolebant loca, cùm rerum suarum pretiosissima quæque in eo oppido conderent, prævalidum inibi præsidium è delectis reliquerant. Pugnâ igitur Romani superiores fuêre, & actis in fugam hostibus, plerósque ex his obtruncant: dum verò reliquos persequuntur, ferè oppidum occupârunt. Nam instantibus in tergo Romanis, vix portas claudere potuerunt. Dum igitur se reciperent Romani, Fidelius orandi gratiâ sacram in proximo Ædiculam ingressus, abeuntibus cæteris, solus relinquitur. Equo deinde inscenso, cœpit alios subsequi: sed ille fatigatus subsedit, & Fidelius solo affligitur, quem Gothi mox conspicati (nam prope muros ceciderat) fruitatim obtruncant. Cujus interitum, ubi Romani, & Præfectus Mundilas intellexêre, tanti Viri casum sunt commiserati. Mediolanum contendunt, & sine prælio Civitate, & totâ Liguriâ potiuntur.

7. OBSIDERI A GOTHIS.] Tradit idem Procopius, Mundilam hanc obsidionem non exspectasse, neque annonæ fuisse sollicitum; imò copias suas Comum, Novariam, & ad reliquas vicinas urbes, custodiæ causâ misisse, servatis tantùm trecentis militibus; eoque compulsum, armare cives, & vigiliis lassare.

8. A THEODEBERTO FRANCORVM REGE.] Cùm Belisarius rem in Siciliâ gereret, Iustinianus ejusmodi litteras Francorum Regibus in Galliam scripsit: *Nostra ditionis Italiam Gothi per vim ceperunt: neq; restituere hanc nobis decreverunt; sed injuriâ intolerandâ nos afficiunt. Quapropter hos exercitus adversus eos mittere compellimus. Æquum verò est, ut nobis in hoc bello auxilio sitis: nam & mecum rectiorem de Deo opinionem habetis, & Arrianorum errores rejicitis.* Adjunxit ingentem pecuniam, pollicetúrq; majorem, si strenuè rem gererent. Quibus illecti Franci bellum se gesturos promptè promittunt. Ita Procopius lib. 1. sed 11. explicat, quomodo fidem purgent Franci, & quo prætextu Vitigi auxilia miserint: *Vitiges maximas copias Mediolanum mittit: cui & Francorum dux Theodebertus* (memor adhuc fortassis Galliæ à Gothis nuper concessæ) *mille virorum suppetias misit; non tamen Francos, sed Burgundiones, ne videretur Imperatoris confœderati rebus injurias attulisse. Hi namque suâ sponte, non Theodeberti jussu, adversus Romanos se venisse ferebant.* Nunc, omissâ Mediolani obsidione me ad Burgundiones converto; ut dicam, qui, quales, & quomodo in Galliam venerint. Nam & hîc eorum fit mentio, & anteà Gundobaldi eorum Regis facta est. Burgundiones igitur Germani sunt. Plinius lib. IV. cap. XIV. *Germanorum genera quinque: Vindali, quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones.* Alii fabulantur, hunc populum è Scythiâ primùm venisse ad Vistulam, indéq; in Germaniæ interiora transiisse: atque ita in corpus nomenque novæ gentis adscitum: habitasse ad ripam Rheni, ubi Capellatium erat, nunc verò, ut quibusdam placet, Palatinatus, & Marchionatus Badensis. Sed hos refutat Cluverius, & à primâ origine Gothis olim fuisse conterminos; hæsisse tunc temporis vult Burgun-

diones

diones in Chattorum agris, circa Castellum & Mattium. Non omiserim tamen Marcellinum. Is libro XVIII. *Post sepimenta fragilium Penatium inflammata, & obtruncatam multitudinem hominum, visosq́ cadentes multos, aliosq́ supplicantes, cùm ventum fuisset ad regionem cui Capellatii, vel Palas nomen est, ubi terminales lapides Alemannorum & Burgundionum confinia distinguebant, castra sunt posita.* Et libro XXVIII. *Bellicosos, & turba immensæ viribus adfluentes, ideóque metuendos finitimis universis* appellat. Mamertinus Panegyrista tradit eos, Alemannorum agros, invitis illis, non citra sanguinem occupasse. Orosius libro VII. cap. XXXII. distinctè: *Valentinianus Saxones, gentem in Oceani littoribus & paludibus inviis sitam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus, eruptionem magnâ mole meditantem, in ipsis Francorum finibus oppressit. Burgundionum quoque novorum hostium nomen novum: qui plusquam LXXX. millibus, ut fertur, armatorum ripæ Rheni fluminis insederunt. Hos quondam, subactâ interiore Germaniâ à Druso & Tiberio, adoptivis filiis Cæsaris, per castra dispositos, ajunt, in magnam coaluisse gentem; atque ita etiam nomen ex opere præsumpsisse: quia crebra per limitem habitacula constituta, Burgos vulgò vocant: eorumq́ esse prævalidam & pernitiosam manum, Galliæ hodieq́ testes sunt, in quibus præsumptâ possessione consistunt.* Eadem ferè Paulus Diaconus, & Isidorus. Censura hîc iterum videnda Cluverii; qui, non Tiberii, sed Probi demum temporibus, teste Zosimo, lib. I. insedisse Burgundiones Rheni ripam contendit. Luitprandum Ticinensem non omitto: is, libro III. cap. XII. Superbos, & voraces, ut tunc mores erant, Burgundiones appellat: *An Burgundionum voracitatem atque superbiam ignoratis? Ipsam enim nominis etymologiam despicite. Burgundiones ideò dictos, quoniam cum Romani, Orbe devicto, ex gente hac captivos ducerent multos, constituerunt eis, ut extra Vrbem domos sustollerent; à quibus paullò post à Romanis expulsi sunt ob superbiam. Et quoniam ipsi domorum congregationem, quæ muro non clauditur, Burgum vocant, Burgundiones, quod est, Burgo expulsi à Romanis appellati sunt. Ego autem Burgundiones eos, quasi Gurguliones appello, vel quòd ob superbiam toto gutture loquantur; vel quod verius est, quòd edacitati, quæ per gulam exercetur, nimis indulgeant.* Hi sæpè Rhenum transgressi, tandem in Galliâ Sequanâ, duce & Rege Gaudesolo, sedes fixerunt. Illi qui in Germaniâ remanserant, crebris impressionibus ab Hunnis exagitati sunt: de quibus Socrates libro VII. Historiæ Ecclesiasticæ: *Gens quadam est Barbara, trans Rhenum incolens, quos Burgundiones vocant. Isti vitam otiosam semper agunt. Sunt enim fabri ferè omnes, & in eâ arte vitæ sumptus tolerant. His Hunnorum semper imminens natio, fines eorum vastabat, complures sæpenumerò trucidans.* Post agros suos incensos, rebusque desperatis, ad divinam opem confugerunt; fortiores, imò feliciores, postquam Christiana Sacra amplexi sunt. Itaque, cùm Optarum Regem Hunnorum cibi aviditate diruptum, & Hunnos carere duce comperissent, facto impetu, tantâ felicitate pugnarunt, ut hostium decem millia occiderint, cùm ipsi duntaxat trium millium numerum in aciem duxissent, ut suprà dixi, cùm stirpem Attilæ traderem. Attila verò, ubi ad Hunnorum Imperium venit, Burgundiones sibi subjecit: & hi sunt, qui in campis Catalaunicis contra Romanos, & Aëtium steterunt.

Sido-

Sidonius:

——— *Subitò cùm rupta tumultu*
Barbaries, tota in te transfuderat arctos
Gallia: pugnacem Rugum, comitante Gelono,
Gepida trux sequitur: Scotum Burgundio cogit.

Qui verò in Galliâ Sequanâ habitabant, ab Aëtio obtriti fuerunt (ut Paullus Diaconus refert;) sed supplicante Gundicario Rege, pacem impetravêre. Steterunt pro Romanis, cùm Rhenum Attila transmitteret, in quem forteforturâ inciderant: atque eâ pugnâ Gundicarius cum omnibus ferè copiis deletus est. Galliâ verò nunquam fuêre ejecti. Romanis enim rebus labantibus, se facilè tutati sunt. Regnante Gundobaldo, impressionem in Liguriam fecerunt, ut supra narravi & explicavi, multisque hominum millibus Italiam evacuârunt. Magnum sanè aliquando eorum Imperium fuit: nam & partem Vallis Pœninæ, Sedunosque, Sabaudiam, Lugdunum, Viennam, aliasque urbes complectebatur. Francorum Regibus tandem paruerunt. Etenim occiso Gundicario Rege, quem nonnulli Gundiochum vocant, cùm filii illius Gundobaldus, Gundegisillus, Hilpericus, & Gothomarius in quatuor Tetrarchias regnum partiti fuissent, ortâ inter eos simultate, Gundobaldus & Gundegisillus, icto fœdere, in Hilpericum & Gothomarium juniores fratres arma moverunt, & collatis signis utrumque obtruncaverunt. Liberis quoque masculis securi percussis, vitam filiabus Hilperici indulserunt. Major natu Cronia, in monasterium secessit. Hothildis, excellenti formâ & regiâ indole puella, in aulâ Gundobaldi fuit nutrita, & Clodoveo Francorum Regi in matrimonium data. Hæc paternę cædis memor, maritum ad ultionem parentis stimulavit; qui sponsæ suæ è vestigio morem gerens, trucidato Gundegisillo, Gundobaldum eò compulit, ut fateretur beneficio Francorum se Regnum suum obtinere. Huic successit Sigismundus cum fratre Gundemaro. Sigismundum Holdomirus Aurelianensium Princeps bello victum, in puteum cum liberis præcipitem misit. Sed Gundemarus tam insigni injuriâ stimulatus Holdomirum bello aggressus est, & profligavit. Postea Hothilde instigante, ab Holtario Suessonum, & Hildeberto Parisiensium Regibus Augustoduni obsessus fuit, & captâ urbe jugulatus. Hoc modo regnum Burgundionum ad Francos venit. Deinde Reges iterum gentilitios habere cœpit. Nam Hugo, qui Carolo Calvo Elisam filiam in conjugem dederat, Rex Burgundiæ & Arelatensis constitutus, habuit & alteram filiam, quam Gerhardo Comiti Rossylonis junxit. Erat hic natione Burgundus, nepos Gundobaldi quondam Regis, qui mortuo Hugone diu contra Carolum Calvum se munivit: pulsus postremò, septem annis carbonariam exercuit, & tandem Provincialium fide & auxilio, ablutis sordibus, purpuram induit. Nonus ab isto Rex Rudolphus Chunrardo Regi Germanorum se subjecit, & cùm sine liberis fato concederet, Regni diadema, cum lanceâ Christi, cæterisq; insignibus Burgundiæ, Henrico Bajoariorum, Saxonum, Suevorum, Francorum, Sclavorumque Regi transmisit. Idcircò Germanorum Imperatores sæpè se Reges Arelatenses in diplomatibus scripsêrunt. Regnum igitur hoc variè discerptum fuit, tandemque in Ducatum, & Comitatum divisum. Gunthardus Poëta scitè omnino limites antiquos Regni describit:

Hæc adeò tellus à sedibus incipit illis,
Quà Basiléa suos vicino flumine muros
Alluit, & Rhenum venientem læta salutat:
Innumerósque tenens populos, hinc Gallica rura
Mordet, & hinc rigidis scopulosæ rupibus Alpis
Arctatur, tractuq́. mari protenditur usq́.
Quà rapidus primas Rhodanus maris influit undas,
Quaq́. caput Regni, sedesq́. fuisse vetusti
Fertur Arelatum Priscorum Curia Regum.
Teq́. sibi jungens æquo Provincia fine,
Nomen apud veteres Regni titulúmque gerebat,
Cujus Arelatum sedes, & finis ab illâ
Parte ferebatur, donec suprema voluntas
Regis Rudolphi Regnis accedere nostris
Jussit, & antiqui detraxit nomen honoris;
Vt jam non Regnum, sed sit bona portio Regni.

9. FAME VICTI.] Quam eò faciliùs obsidio Gothorum intulit, quia ingens hoc anno fuit annonæ caritas. In Piceno L. millia hominum inediâ interierunt; & plerique cùm genu in terram nixi, avellere herbas niterentur, inventi fuerunt moribundo ore humum verberare. Refert Procopius, septemdecim viros, à duabus feminis interfectos & devoratos esse, ut singuli ab eisdem hospitio excepti fuerant. Dacius quoq; Episcopus Mediolanensis tradit, in Liguriâ matres, famis impotentes, rabiem in pueros exercuisse. Eidem Dacio (credo antequàm Mundilas Mediolanum occupasset) in hunc modum, jussu Vitigis, Cassiodorus scripsit: *Sanctitatem vestram petimus, ut de horreis Ticinensibus & Dertonensibus panici speciem, sicuti à Principe jussum est, tertiam pensionem esurienti populo ad* XXV. *modios distrahi sub nostrâ ordinatione faciatis.*

10. IN DEDITIONEM.] Belisarius, ubi percepit Vraiam cum Barbaris Mediolanum obsedisse, Martinum & Vliarem cum non spernendis copiis misit. Illi apud Padum moras nectunt, ignaviâ & metu pleni. Mediolanenses Paulum Romanum ad hos mittunt, qui depositis vestimentis, cùm Padum tranasset, Martinum & Vliarem in hunc modum (è Procopio dicam) est allocutus: *Nec justè, nec pro dignitate gloria vos geritis. Etenim tuendarum rerum gratiâ huc missi, verbis duntaxat nobis opem fertis; re verò ac factis Hostibus vires accumulatis. Mediolanum, amplissima civitas, quæ cæteras Italiæ urbes, ut magnitudine, ita & hominum copiâ ac reliquis fortunæ bonis facilè superat, quódque vel inprimis dicendum est, adversus Germanos & Barbaros alios propugnaculum est, imò pro obice totius Imperii Romani velut exposita; partim antehac per Mundilam, nunc per Imperatorium exercitum prodita, magnum in discrimen incidit, cùm & obsessa ab hostibus, acriter infestetur, & vobis in ipsâ necessitate sit neglectui. Quantâ quidem injuriâ Imperatorem affeceritis, dicere nunc intermitto: non enim id angustiæ temporis sinit, cùm tempestivum potiùs deposcat Vrbi subsidium, quamdiu spei aliquid superest. Vestrum igitur est, Mediolanensibus in discrimine constitutis confestim adesse. Quod si longiore negligentia usuri estis; illi quidem acerbissimis fortasse pœnis fatum suum excipient: vos autem Imperatoris vires hosti prodetis. Nam proditores jure non solùm sunt nuncupandi, qui portas hostibus patefaciunt; sed longè magis, qui obsessis & amicitiâ conjunctis, ferre dum auxilium queunt, id tamen vel periculum veriti, vel quia otium quàm negotium malunt, negligunt.* Movit modicùm ignavos animos oratio; sed dum Paulus ad Vrbem, illi ad antiquum ingenium redeunt; & ut moram excusent,

cusent, scribunt Belisario, Padum non posse transmitti, impedientibus Gothis. Ille Narseti mandat, ut copias cogat, & obsessis auxilio sit. Narses Ioannem Iustinumque mittit. Ioannes cùm ex Æmiliâ movet, in ægritudinem incidit: miles ægroto Duce non progreditur. Quid fit? dum illi tam segniter rem gerunt, Mediolanum, ornamentum Italiæ, imò præsidium, prô dolor! perit.

II. BVRGVNDIONIBVS DATAE.} Nimirum ut gratiæ illis pro initâ belli societate redderentur. Nunc quæ gesta fuerint, antequam Vitiges caperetur, Historiæ caussâ, è Procopio paucis perstringam. Iustinianus accepto Narsetis & Belisarii dissidio, Narsetem revocat. Hic est ille Narses, Eunuchus clarissimus, qui in Gothorum perniciem postea reverteretur. Vitiges ut Belisarium ab obsidione Ravennensi averteret, ad Bacchem Longobardorum Principem mittit legatos; sed is amicus esse Romanis maluit. Mittit in Persas ad Chosroem Regem; sed Iustinianus Persarum conatus impedivit. Auximum interea obsidet Belisarius: Cyprianus Iustinusq; Fesulas. Vitiges obsessis non audet auxilio venire, ne medius inter utrumque exercitum dubiam aleam subeat. Franci certiores facti, Gothos assiduis cladibus debilitatos, ratique se posse magnam hac occasione partem Italiæ occupare, Alpes penetrant. Centum millia hominum auspiciis Theodeberti Regis ducebantur: Gothis placidi, donec Padum trajicerent; deinde hostes, uxores eorum immolare cœperunt. licet enim Christum colerent, priscæ tamen Religionis cultum servabant, hostiisque humanis utebantur. Feliciter perfidiâ usi, Gothos fraude castris exuunt; & cùm solis bovillis carnibus vescuntur, Padiq; aquam bibunt, vexari dysenteriâ incipiunt; quod gravius bellum erat. Hoc morbo, & Belisarii quoq; epistolis deterritus Theodebertus, copias in Galliam reduxit. Fesulani & Auximani sedec… dedunt. Ravennam diligentiùs obsidet Belisarius; excludit omnem commeatum; quinetiam per hominem, nummis corruptum, publica urbis illius horrea incendit. Sitiges Gothus, qui Alpibus præerat, se cum omni multitudine Romanis tradit. Imperator Dominicum & Maximinum Legatos ad Vitigem mittit, Galliam Transpadanam offert, cum dimidiâ Regiæ opulentię parte. Belisarius ne impediretur gloriæ cursus, tergiversari cœpit; sibiq; scriptum, nullas conditiones cum Barbaris firmandas esse, Legatis asseruit. Gothi, cernentes res suas fato jam novo Domino destinari, Belisario Italiæ Imperium offerunt. Ille rem variè deducit, donec Vitigem vivum, & in vinculis habeat. Diaconum hîc non audio, qui Vitigem in fugâ comprehensum à Ioanne Sanguinario asserit. Romani tantam hanc gloriam Belisario inviderit, & fortissimum omnique Diadematis affectatione majorem virum Constantinopoli iniquè criminantur: novas res moliri. Imperator, his perceptis, Belisarium revocat, non tam lividorum calumniis, quàm Bello Persico motus.

HISTORIA.

VITIGE verò [1] Constantinopolim [2] à Belisario abducto, [3] novus etiam horror Italiam corripuit: pro Gothis

L 3 ILDO-

ILDOBALDVS, & mox [4] TOTILAS pugnavit. Bone Deus, quâ fortunâ! [5] Romam ipsam acri obsidione cepit, imò, ut diutius sæviret, tecta domosque diruit, & quod reliquum erat civium, ejecit. Vrbem incolis, an incolas urbi eripuerit, dubites. Sed redeunt Romani, & jam, quasi vivere alibi non possent, ruinas occupant. Ergò has quoque, iterato bello, expugnat Totilas, & Conditoris nomen post Romulum affectans, [6] Romam instaurat. Quid amplius? [7] Narseti, qui [8] Herulos, Hunnos, & [9] Longobardos in auxilium Romanis ducebat, occurrens, [10] ignoravit in Eunucho virum esse. Quippe circa [11] Appenninum [12] prælio victus interiit, cùm suo ipse velut funeri ante pugnam [13] equestri spectaculo prælusisset.

COMMENTARIVS.

1. CONSTANTINOPOLIM.] Vrbs est ad Bosphorum Thraciç διαπρεπεστάτη, *maxime insignis:* ante Lygos dicta, Auctore Plinio, libro v. cap. 11. Condita fuit, Tullo Hostilio regnante, ut Cassiodorus scribit. Byzantium à Byzante, filio Ceroëssæ, teste Eustathio in Dionysium; vel à Byzante præfecto Megarensium. Iustinus tamen ejus originem ad Pausaniam Regem Lacedæmoniorum refert, libro IX. Ejus verba hîc ponam; quoniam urbis fortunam usque ad Philippi Macedonis tempora repræsentant: *Bellum toti Græciæ inferre statuit. Ad cujus emolumentum egregiè pertinere ratus, si Byzantium nobilem & maritimam urbem, receptaculum terrâ mariq; copiis suis futurum, in potestatem redegisset. Eandem claudentem sibi portas obsidione cinxit. Hæc namque urbs condita primò à Pausaniâ Rege Spartanorum, & per* VII. *annos possessa fuit. Deinde variante victoriâ, nunc Lacedæmoniorum, nunc Atheniensium juris habita est. Quæ incerta possessio effecit, ut nemine quasi suam auxiliis juvante, libertatem constantiùs tueretur.* Sic Plinio *oppidum liberæ conditionis*, appellatur. Postea Romanorum rebus surgentibus, sese iis applicuit, & adversus Reges Macedonum, auxilia tulit. Sed audiamus Legatos in duodecimo Annalium Taciti: *Byzantii, datâ dicendi copiâ, cùm magnitudinem onerum apud Senatum deprecarentur, cuncta repetivêre, orsi à fœdere, quod nobiscum icerant, quâ tempestate bellavimus adversus Regem Macedonum, cui ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum. Missas posthac copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, & Piratico bello adjutum Antonium. Memorabantq; quæ Syllæ, aut Lucullo, aut Pompejo obtulissent. Mox recentia in Cæsares merita, quando ea loca insiderent, quæ transmeantibus terrâ mariq; ducibus, exercitibusq; simul vehendo commeatu opportuna forent.* An plura? Tanti erit, situm Vrbis videre: *Namque arctissimo inter Europam Asiamq; divortio, Byzantium in extremâ Europâ posuêre Græci; quibus Pythium Apollinem*

linem consulentibus, ubi conderent Urbem, redditum Oraculum est: Quærerent sedem cæcorum terris adversam. Eâ ambage Chalcedonii monstrabantur; quòd priores illuc advecti, parum prævisâ locorum utilitate, pejora legissent. Quippe Byzantium fertili solo fœcundoq; mari: quia vis piscium Ponto erumpens, & obliquis subter undas saxis exterrita, omisso alterius littoris flexu hos ad portus defertur. Unde primò quæstuosi & opulenti, pòst magnitudine onerum urgente, finem aut modum orabant, annitente Principe. Quid factum? tributa in quinquennium remissa. Vide etiam quæ Lipsio ad hunc locum annotata. A Severo deinde, & Antonino ita aucta cultaque fuit, ut Antoninia (ita videre est in antiquis numismatibus) appellaretur. Non tamen felicitas illius his terminis se continuit: Nova & Secunda Roma tandem etiam nomine evasit; breviter, Caput Orientis. Tradit Eustathius, illam à Constantino Magno etiam Anthusam fuisse nominatam: sed Constantinopolis vocabulum prævaluit. Multis verò sæculis Imperii in Oriente sedes mansit, neque etiam post sceptri illius ruinam, priscam majestatem exuit. Nam Mahumetes Secundus, Anno ∞. CCCC. LIII. obtruncato Constantino Palæologo Imperatore, eam non tam victor, quàm habitator intravit: cujus exemplo omnes deinde Turcarum Principes inhæserunt. Petrus Gyllius singulari libello hanc Urbem, nec non & Bosphorum Thracium descripsit.

2. A BELISARIO ABDUCTO.] Belisario intranti triumphare non licuit. Illi, inquam, Belisario, qui aliquoties Regnum Italiæ mordicus rejecerat; illi, qui, cùm Ildobaldus, Rex Gothorum creatus, sponderet se purpuram positurum, adseruit, se Iustiniano superstite Regis nomen non invasurum; qui etiam multas exprobrationes à Gothis sustinuit, & se voluntarium mancipium passus est appellari. Sed denegatus triumphus, ei majori fuit gloriæ: quotidieque triumphavit. Etenim cùm in publicum prodiret, Vandalorum, Gothorum, Maurusiorum, & civium ingens multitudo gloriosum Virum comitabatur. Accedebat & formæ venustas, & corporis excelsa statura, humanitasque mirifica, quæ fortissimum Ducem spectantibus conciliabant. Vitigem, ut Paulus Diaconus auctor est, Patricium creavit Imperator; & administrationem juxta Persarum terminos ei attribuit.

3. NOVUS ETIAM HORROR.] Gothi, cùm intellexissent Belisarium revocatum, nova cœperunt moliri. Ad Vraiam, è sorore Vitigis genitum, in Picenum contendunt. Creatus Rex Ildobaldus, Theudatis Visigothorum Principis affinis, nonnullis Theudibaldus. Is tum erat Veronæ. Vbi rescivit se Regem nuncupatum, bonum factum putavit, Regnum iterum Belisario offerre. Quod ubi invicti animi Vir respuit, Ildobaldus, quamvis vix mille armatorum duceret, & unum dumtaxat in Piceno reliquum esset oppidum, non projecit animos; & virtuti fortuna favit. Liguriam, & Venetorum regionem recuperavit. Iuvabat quoque Alexandri, successoris Belisarii, avaritia, quæ totius Italiæ benevolentiam propemodum ab Imperatore avertit. Breviter, Ildobaldi res tantum incrementi sumpserunt, ut Vitalium ingentibus Herulorum copiis fretum, prælio apud Tarvisium devicerit. Sed quid est? felicitatem istam muliebres æmulationes interruperunt. Vxor ejus, quia lineis vestibus induta, ab opulentissimâ Vraiæ conjuge irridetur. Illa & paupertatis suæ, & irrisionis pudore

dore stimulata, maritum precibus lacrymisque in Vraiæ necem impellit. Mulier spoliata conjuge, vindicem amatorem adhibuit: is verò Ildobaldum obtruncavit. Gothi Araricum quendam (qui Diacono Erarius) genere Rugum, in locum sufficiunt. Sed mors & illum statim invidiæ eripuit.

4. Mox Totilas.] Ildobaldum ejus affinis, insignisque solertiæ & prudentiæ vir, secutus est. Hunc Badiulam quoque dictum affirmat Paulus Diaconus: qui singulari fortitudine Rem Gothicam restituit, orsus à Veronâ, quam Marchianus Romanis prodiderat. Res autem sic se habet: Intromissus Artabazes, vir bello egregius, cum centum militibus delectis, totâ nocte expectabat Romanum exercitum, cujus duces de prædâ, nondum partâ, inter se litigabant; & dum hac avaritiâ impediti rixantur, Totilas Vrbem recuperat. Ausus etiam castra castris jungere, fœdè tandem Romanos proterit. Hac fortunâ alacer, victore utitur exercitu, Florentiamque obsidet. Sed coactus recedere, Cæsennam, & Petram recipit, trajectoque Tiberino amne, in Samnites movet; Beneventum munitissimum oppidum, in potestatem redigit, murosq; diruit, ne aliquando Byzantini exercitûs foret receptaculum. Potitur & Cumis, feminasque Patricias sine pretio dimittit. Intelligebat nempe, bella non tam ferro, quàm clementiâ & benignitate feliciter geri. Brutiis postea, Lucanis, Apuliâ, totâque Calabria victor fruitur. Neapolim obsidione premit. Subsidio igitur Maximus è Siciliâ mittitur, homo non minùs ignavus, quàm reliqui, qui in Italiâ militabant. Illam Totilas, cùm inexspectatus è classe egredientibus supervenisset, non spernendam militum manum protrivit. Maximus autem hac clade perterritus, statim cum navibus Syracusas fugit. Conon & reliqui, qui Neapolim defendebant, iterum ignavissimum hominem evocant: & cùm haud longè ab Vrbe classis staret, pro Totilâ pugnavit Æölus, & universas naves ita dissipavit, ut Demetrius, unus è Præfectis classis, vivus caperetur, qui perductus ad Totilam, fauces laqueo subdidit; & sic protrusus ad muros, suorum calamitatem enarrare jussus fuit, deditionemq; suadere. Accessit & Totilæ ipsius ad obsessos oratio, minis blanditiisque mixta. Summa erat, ut vellent salvi esse. His rebus attoniti cives, Vrbem dedunt. Rex devictis cibum præbet; sed parcè, & ne satientur, inque morbos aviditate incidant. Hoc modo, cùm clausis etiam portis, aliquot dierum spatio famelicos aluisset, cuique liberum abitum concedit; imò commeatum, ac viaticum adjungit. Vrbis muros diruit, ut Romani animadverterent, se malle aperto Marte, quàm muris in eos experiri. Et ne aliquam virtutem in viro militari requiras, capite plectit unum è suis, quòd virginem per vim constuprasset. Romani duces contrà Vrbem exhauriunt, & litteris confitentur ignaviam: impares nempe se Totilæ esse, nisi novæ ab Augusto copiæ accedant. Quid fit? Belisarius redit: ad Hydruntum applicat. Totilas adulterinis litteris explorat vires Belisarii, quas ubi haud magni momenti esse cognoscit, Tibur occupat; Romanos deinde prope Auximum noctu pellit, Firmum & Asculum capit, Spoletum sibi subjicit, Perusiam cùm vivo Cypriano nequit occupare, corrumpit armigerum, qui dominum suum pecuniæ posthabuit. Interea subsidia Belisario veniunt: his Totilam infestare contendit. Sèd primo conflictu quin-

quingenti cum ipsis ducibus Valentino, & Phocâ ad internecionem deleti sunt. Frumentum, quod auspiciis Vigilii Pontificis è Siciliâ Romam vehebatur, pariter intercipit; & cùm Valentinus Episcopus, Præfectus Classi, mendacio interpolaret orationem, præcîsis manibus, pœnas dedit, atque ita dimissus est. Romæ verò tam acri fame laborabatur, ut in cibum, urticæ, purgamenta, canes, gliresque cederent: cùm tamen Bessa & Conon Præfecti avarissimi, conditum frumentum Romanorum Primatibus ingenti pecuniâ venderent. Belisarius Valentini Episcopi fortunâ non deterritus, eandem viam tentavit, ac ducentis navibus invectus Tiberim, Romam frumentum intulisset, nisi & Bessæ vecordiâ, & Isaacis temeritate fuisset impeditus. Sed inquies, siccine Totilas, quem nobis clementem benignumque Principem suprà prædicasti, Episcopum Silvæ Candidæ Valentinum, ambabus manibus truncat? Hoccine mitis animi signum? Mi Lector, comperio hunc Regem solis habuisse Sacerdotibus clausam misericordiam, & Religioni Catholicæ haudquaquam favisse. Arrianismus fortassis, vel alia quæpiam æquè impia opinio, hanc crudelitatem fecit. Beatus Gregorius libro III. Dialogo XI. pleraque immania illius in Antistites recenset: *Vir quoque vitæ venerabilis Cerbonius, Populonii Episcopus, magnam diebus nostris sanctitatis suæ probationem dedit: nam cùm hospitalitatis studio valdè esset intentus, die quâdam transeuntes milites hospitio suscepit, quos Gothis supervenientibus abscondit, eorúmque vitam ab illorum nequitiâ custodiendo, servavit. Quod cùm Gothorum Regi perfido Totilæ nunciatum fuisset, crudelitatis immanissimæ vesaniâ accensus, hunc ad locum, qui octavo hujus Urbis milliario, Merulis dicitur, ubi ipse cum exercitu sedebat, jussit deduci, eumq́ in spectaculo populi ursis ad devorandum projici. Sed illæsus perstitit Episcopus: nam ursus è caveâ emissus sanctissimi viri pedes lambit. Cujus rei hi qui tunc præsentes fuerunt, adhuc nonnulli supersunt; eámque cum omni illic populo se vidisse testantur.* Et Dialogo XXXV. *Comes qui eidem exercitui præerat, ad Regem Totilam nuncios misit, exquirens quid de Episcopo* (Perusinæ civitatis) *vel populo fieri juberet. Cui ille præcepit, dicens: Episcopo priùs à vertice capitis usque ad calcaneum corrigiam tolle, & tunc caput ejus amputa: omnem verò populum, qui illic inventus est, gladio extingue. Tunc idem Comes venerabilem virum Herculanum Episcopum, super Urbis murum deductum, capite truncavit, ejúsque cutem jam mortui à vertice usque ad calcaneum incidit, ut ex ejus corpore corrigia sublata videretur: móxque corpus illius extra murum projecit.* Item Dialogo XII. *Fulgentius Episcopus, qui Utriculensi Ecclesiæ præerat, Regem crudelissimum Totilam infensum omnimodò habebat. Cúmque ad easdem partes cum exercitu pervenisset, curæ fuit Episcopo per clericos suos xenia ei transmittere, ejúsque furoris insaniam, si posset, muneribus mitigare. Quæ ille, ut vidit, protinus sprevit, atque iratus, suis hominibus jussit, ut eundem Episcopum sub omni asperitate constringerent, eumq́ ejus examini servarent.* Ita factum: nam *eum uno loco stare præceperunt, eique in terrâ circulum designaverunt, extra quem pedem tendere nullo modo auderet.* Mitis igitur Totilas in alios fuit, ut crudelitas in viros Divinos excusaretur: & hoc quasi velamento usus, ferociæ impietatíque suæ litavit. Cæterùm Marte plenus, hoc unum spectavit, quomodo vinceret. Sed breviter ego ista in Historiâ: Commentarius, ne modum excedat, timere jam incipio.

5. ROMAM IPSAM.] Vrbs gravi penuriâ alimentorum pressa, Totilæ à quatuor Isauris proditur. Procopius ait Portâ Asinariâ intromissum: Paulus Diaconus, portâ Ostiensi. Totâ nocte suos continuit, veritus insidias. Paulus caussam hanc fuisse tradit, ut parceret Romanis, eoque clangorem continuò buccinâ edidisse. Milites viginti obtruncati, cives sexaginta. Sed quid? demus sævire voluisse Totilam, & Pelagii supplices preces non admissas: haud invenisset gladius, quo ruberet. Quingenti enim cives dumtaxat in Vrbium Vrbe reliqui erant, iique omnes fame emaciati. Occupatam verò diruere in animo victor habebat: sed Belisarii litteris fuit deterritus, quas è Procopio hic adjungam: *Vrbium ornamenta, ædificiáque construere, sapientum, & civiliter viventium fuit inventum: quæ verò ad pulchritudinem exstant velle delere, insipientium proculdubiò est, & eorum, quos minimè pudet malignioris naturæ monumentum posteris relinquere. Roma Civitatum omnium, quæ sub Sole sunt, maxima & magnificentissima est: non enim virtute unius constructa est, nec brevi temporis spatio in hanc magnitudinem surrexit; sed Imperatorum multitudo, Civium copia, temporis diuturnitas, divitiarum & potentiæ & magnitudo cogere potuerunt ex universo Orbe opifices, qui hanc Vrbem talem tantámque posteris relinquerent. Tuis ergò minitationibus videris mihi ævo injuriam facere: quandoquidem & Præcessoribus Virtutis memoriam sis dempturus, & posteris tantorum operum spectaculum. Hæc cùm ita se habeant, velim intelligas, duo esse necessaria: aut victus hoc bello succumbes, aut victor me superabis. Si vincis, & Romam demoliris, non alterius Vrbem, sed tuam delebis; quam si servas, possessione cæterarum rerum reddes opulentiorem. Si verò contingat me esse victorem, Roma servata gratiam tibi apud victorem conciliabit: quâ deletâ nullus tibi clementiæ locus relinquetur; quin potiùs omnes mortales meritas te luere pœnas, pro destructâ tam egregiâ Vrbe existimabunt.* His litteris perlectis, mutavit sententiam, misitque Legatos ad Belisarium, Se Vrbem incolumem servaturum. Sed Vrbis fatum mirare. Cùm Totilas Ravennam pergit, Belisarius Romam recuperat. Redit Totilas, & frustrà Vrbem oppugnat: quo eventu, Gothi exasperati, Totilam contumeliis incessunt: illius præposterâ clementiâ Romam stare; & frustrà oppugnationibus terreri, cùm eam valida hostium manus insideat, queruntur. Breviter, Gothi repulsi se Tibur inde contulerunt. At mox Iustinianus Imperator Belisarium, periculis Belli Persici tum ingruentibus, ex Italiâ revocat. Redit igitur Totilas, quasi absente Belisario feliciùs Romam aggressurus. Diogenes Dux fortissimus, ad Vrbis custodiam cum tribus millibus hastatorum relictus, gnaviter rem gerit: sed quasi in fatis esset, Romam ab Isauris prodi posse, iterum ex eâdem quidam gente portâ Capenâ hostem intromittunt: idq; ut tutiùs fieret, Totilas, egregius doli architectus, naves duas mittit in adversum Tiberim, eisque peritos aliquot buccinatores imponit, qui ingenti edito clangore, Romanos ad illam partem Vrbis defendendam exciebant. Vacuam igitur Capenam nactus, proditorum operâ feliciter Romam ingreditur, & ingentem cùm militum, tum Civium stragem edit. Fugiunt omnes, & ipse quoque Diogenes. Paulus, genere Cilix, quia elabi aliter non poterat, molem Adriani cum quadringentis equitibus occupat. Sed fames pro Totilâ pugnavit: quâ profectò expugnata Arx fuit, priusquam dederetur.

6. IN-

6. INSTAVRAT.] Caussas reddit Procopius, lib. III. Belli Gothici: *Miserat, ad Francorum Principem Totilas legatos, qui filiam in uxorem rogarent: sed repudiati, hoc responsum tulere: Totilam Italiæ Imperatorem neque esse, neque fore; quia nec Vrbis possessionem potuisset servare: quin ex parte à se dirutam iterum hostibus occupandam reliquisset. Quo responso Totilas permotus, statim jussit commeatus in Vrbem importari, imperatáq; instaurari omnia, quæ vel igni absumpta, vel imminuta fuissent, Romanosq;, & Patricios, omnesq; quos in Campaniam antea miserat, revocavit.*

7. NARSETI.] Antequam Narses summæ rei præficeretur, Tarentum, Rhegium, & Ariminum in Gothorum venêre potestatem; Sicilia tota devastatur; Corsica, & Sardinia capiuntur. Ancona obsidetur; sed Ioannis virtute, qui navali prælio victor, triginta quatuor longas Gothorum naves dejecerat, liberatur. Post hæc, venit Fl. Narses V. C. Exconf. Magister utriusque militiæ, qui pro Iustiniano Augusto Italiæ Imperium sedecim annis tenuit. Hunc ut natione Armenium fuisse credam, faciunt hæc Procopii verba: *Isaacum Armenium, Aratii & Narsetis germanum fratrem mittit cum exercitu.*

8. HERVLOS.] Procopius lib. III. *Herulæ præterea gentis supra tria millia equitum secuta, Hunnorumq; ingens manus.*

9. LONGOBARDOS.] Idem Procopius: *Andages Longobardorum Dux duo millia & quingentos è suis delectos Narseti in auxilium misit, subsidiariosq; alios ad tria millia, eosq; bellicosos.*

10. IGNORAVIT.] Ignoravit & Vsdrilas, Ariminensis Præfectus, qui ejusmodi litteras ad Romanos misit: *Omnia vos complexi rumoribus, & imaginatione umbratili universâ Italiâ potiti, ultráque humanum modum insolescentes, terreri hac viâ Gothos posse existimatis. Ravennæ nunc consedistis, tanquam hostes sic falli possint: & ut Barbarorum ignavissima turba in locis minùs decentibus tempus teritis. Eja agite, celerrimè omnes consurgite, ac bellica opera attingite: ostendite vos Gothis, neque spe longiore suspensos nos detinete, qui jam spectaculum id expetimus.* Post aliquot dies inconsideratiùs, & planè sicuti scripserat, in Romanos irruens, cecidit, caputque illius præcisum, imò Narseti allatum fuit. Corippus Africanus lib. III. de Laudibus Iustini, staturâ & formâ insignem Narsetem scribit fuisse:

Eminet excelsus super omnia vertice Narses
Agmina, & Augustam cultu præfulgurat aulam,
Comptus Cæsarie, formâque insignis & ore:
Aureus omnis erat, cultúque habituq; modestus,
Et morum probitate placens, virtute verendus,
Fulmineus, cautus, vigilans noctésque diésque
Pro rerum Dominis. ———

11. APENNINVM.] E Procopio dicam: *Totilas audito hostes Ariminum transivisse, Tusciam omnem, Romanos conquirendo emensus, ad Apenninum pervenit, ibiq; castris locatis propè vicum, quem Taginam vocant, constitit. Huc etiam Romanorum exercitus duce Narsete advenit, & ab hostium castris stadiis centum in ipsâ planitie mansit, quæ propinqua est ei loco, in quo Romanorum tradunt Imperatorem Camillum potitum victoriâ adversus Gallos: ob cujus cladis memoriam, vel ad hæc nostra tempora Gallorum Busta, locus hic dicitur: nam & adhuc tumuli interfectorum visuntur.* Apenninus verò

mons est, qui perpetuo ductu Italiam secundum longitudinem in duo latera secat: ita dictus, vel ab Api, qui totam olim regionem subjugavit; vel à Pœnis, ut nonnulli tradunt, qui Hannibale Duce in Italiam irruperunt. Plinius lib. III. cap. V. *Apenninus mons Italiæ amplissimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum.* Silius Italicus illius altitudinem Alpibus æquat:

Alpibus æquatum tollens caput Apenninus.

12. PRAELIO VICTVS.] Sex millia Gothorum hac pugnâ cecidêre; reliqua turba in fugam versa. Ipse Totilas quinque militibus stipatus aufugit; cujus vestigiis Asbadus Gepes inhærens, Regem fortè captivum erat adducturus, nisi à Scipuardo, comite Totilæ, in pede fuisset vulneratus. Fugâ emensis octogintaquatuor stadiis, cùm ad locum Capras nomine pervenissent, è vulnere accepto Magnus Totilas moritur, penultimus Gothorum Princeps, anno XI. Regni sui.

13. EQVESTRI SPECTACVLO.] Duo millia equitum exspectabat Totilas, & eâ de caussâ protrahere prælium nitebatur. Itaq; rem non parvi momenti ratus, si se hostibus, quis quantusq; esset ostenderet, processit ante omnes in campum, indutus armis auro cælatis, & veste purpureâ: vehebatur equo miræ magnitudinis, cujus ornamenta erant pariter aurea, cœpitq; rei bellicæ peritiam ostentare. Primò equum vario modo calcanbus concitans, in orbem freno agiliter agit, deinde telum in auras aptè vibrat, & id ipsum in terram delatum, momento temporis exceptum excutit, idemq; per manus alternatim transfert; se verò super equum supinat, vicissim ad terram, & in latera inclinans. atque his ludicris ad multum diei ex industriâ tempus extraxit. Quid etiam? ad Romanos mittit: colloqui se cum Præfecto velle, priusquam prælium iniretur. Quod Narses recusavit, ratus, se deludi. His ita peractis, venerunt illa duo millia equitum, ut tradit Procopius, unicus ferè hujus belli Scriptor, & pugnatum est.

HISTORIA.

ET tamen fuit in [1] TEIA Rege, quod post Totilam timeretur. Ille in ultimâ Gothorum fortunâ animos pugnantibus addens, sic se objecit hosti, [2] tanquam solus exercitum faceret: ultimusque Regum priùs vitam, quàm diadema posuit. Vt pugna speciosa, sic quoque [3] mors fuit: caput extincti hastæ infixum; quid nisi virtutis Gothos admonuit, & simul vindictæ? Tantâ pertinaciâ secundo tertioque die pugnatum est, ut par strages, æqua victoria esset. A semiviro duce vinci Gothos puduit. Et quid ni tamen membra capite destituta caderent? Lassa utrinque feritas, conditiones pacis admisit: & quia [4] periculosum, cum desperatis ultrà pugnare, fœdere, quàm ferro pacisci Narses maluit.

Liber-

Libertas Gothis concessa, & agri, quos possiderent. Ergò è castris, & 5 ex ipsâ Campaniâ (hìc certamen fuit) longo agmine Mediolanum, Ticinumque Gothi petiêre: & ab hoste in terram converso ferro, vitæ subsidia sudore, non sanguine parare cœperunt, alieno si non jugo, certè imperio obnoxii.

COMMENTARIVS.

1. IN TEIA.] Qui è prælio integri, & Totilæ superstites, cùm his qui in Piceno munitiones custodiverant, trajecto Pado, Regem sibi Tejam constituunt, virum in re militari præstantissimum. Is, ut diademate insignitus est, Francos ingenti pecuniâ ad sui defensionem allicere nititur, sed frustrà. Narses certus Cumis thesaurum Totilæ valido præsidio asservari, hujus potiundi cupidus, urbem obsidet. Tejas, desperatis Francorum auxiliis, variis itinerum ambagibus Narsetem deludit: per maritimam oram in Campaniam venit, fluvium Draconem tormentis turribusque munit, duos solidos menses crebris præliis Romanos lacessit: & dubia fuit victoria, donec ultima, & fatalis Gothicæ genti pugna bellum finiret.

2. TANQVAM SOLVS EXERCITVM FACERET.] Addam, quid Procopius, qui his bellis interfuit, de eâdem pugnâ censeat: *Mihi hoc loco operæpretium est hanc postremam pugnam describere, quæ ob præstantem viri unius virtutem quammaximè proculdubio facienda est, & nullo Heroüm certamine inferior habenda; in quâ Tejas mirum fortitudinis specimen dedit.* Addit etiam, primum eum ante aciem stetisse; multos Romanorum facto impetu obtruncasse, clipeum telis innumeris præfixum satelliti tradidisse, alterumque poposcisse; duodena pila scuto affixa gestasse: atque ita diei quadrante pugnando perstitisse.

3. MORS FVIT.] Cùm pugnaret, contigit inferiorem pedis partem nudari; quæ telo mox icta, generosissimo viro lethum attulit.

4. PERICVLOSVM CVM DESPERATIS.] Ioannes Vitalianus, ut est apud Procopium, sic Narsetem monuit, *Ne prælium iniret cum devotis morti hominibus; néve irritaret audaciam, quæ in vitæ desperatione exoritur. Satis esse debere ad gloriam viris prudentibus, victoriam ex hoste retulisse: nimia autem velle, interdum in jacturam converti.* Tacitus lib. III. Historiarum: *Antonius docuit adhuc esse Vitellio vires, ambiguas si deliberarent; acres, si desperassent.* Porcius latro in Declamatione: *Gravissimi sunt morsus irritatæ necessitatis.* Virgilius quoq; lib. II. Æneidos:

— *Moriamur, & in media arma ruamus.*
Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Et pergamus auctoritates has cumulare: Curtius lib. V. *Vndique ergò Macedonum armis fulgentibus, ancipiti malo oppressi, memorabile tamen prælium edunt. Vt opinor, ignaviam quoque necessitas acuit, & sæpè desperatio spei caussa est. Nudi complectebantur armatos, & ingenti corporum mole secum ad terram detrahentes, ipsorum telis plerosque fodiebant.* Idem lib. IX. *Pugnabat pro Rege primum celebrati nominis fama, deinde desperatio, magnum ad honestè*

moriendum incitamentum. Onosander in Strategico, cap. XXXVIII. *Cùm desperatis periculosum, & arduum certamen est*. Ovidius lib. II. de Ponto:

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Porrigit ad spinas, duraq; saxa manus.

Denique mea ipsius citare verba audeo, è lib. v. hujus Historiæ, ubi de Hungaris à Berengario ad angustias redactis scribo: *Et quid aliud actum, quàm ut laniena, aut servituti destinati robur sumerent; & fusuri sanguinem, in rabiem ignaviam commutarent? Sanè acuit necessitas vires, & jam pugnare quàm se dedere omnes malunt, ne inulti aut cadant, aut miseri sint. Bone Deus, quàm ancipites bellorum exitus! prodeunt ultro in prælium, jam plus quàm Barbari, tantumq; desperatio potuit, ut hostilem exercitum, ultimum Italiæ nervum, fœdissimâ clade protriverint.*

5. Ex ipsa Campania.] Campania ab ortu Silaro fluvio, ab occasu Liri, ad Meridiem Mari Tyrrheno, ad Septentrionem Samnitium montibus terminatur. Unum fertilitatis argumentum est, quòd Antiquis Felix vocetur. Florus libro I. capite XVI. *Omnium non modò Italiæ, sed toto Orbe terrarum pulcherrimâ Campaniæ plaga est. Nil mollius cælo, nil uberius solo, nil hospitalius mari: denique bis floribus vernat: ideò Liberi Cererisq; certamen dicitur. Hic illi nobiles portus, Cajeta, Misenus, & tepentes fontibus Bajæ: Lucrinus, & Avernus, quædam maris otia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuvius, Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Neapolis, Herculanium, Pompeii, & ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas Romam Carthaginemq; numerata.* Strabo tradit, nonnullis Campaniæ locis zeam eodem anno iterum seri, panicum tertiò, & postea olerum semina, in eodem arvo.

ERYCI PUTEANI

HISTORIÆ INSUBRICÆ

LIBER II.

BREVIARIUM.

NOVA *Francorum, & Alemannorum, illisq; pulsis, Longobardorum Irruptio. Post Narsetem Exarchi in Italiâ. Mediolano Alboinus potitur: sed Ticini sedem Regni collocat. Rosimundæ scelus. Clepho successit, & quia sævus, mox interiit. Interregnum. Autharis deinde electus, & veneno extinctus. Theodelinda uxor ejus Agilulfo nubit, sic iterum Regina. Agilulfo filius Adalvaldus suffectus. Hujus sororem Gundebergam Ariovaldus connubio sibi junxerat, sic quidem sceptro dignus. Eo mortuo, Gundeberga novis nuptiis Rotharim Regem facit: qui ut armis auxit Regnum, ita legibus stabilivit. At filius Rodoaldus, quia otio deditus, ad vitia prolapsus est, ac libidine periit. Aripertus deinde diadema, sed non diuturnum capit: cujus gnati Pertharitus & Gundebertus, simul Reges, & mox inter se hostes. Gundebertus à Grimoaldo, qui Regnum invasit, interfectus: Pertharitì fortuna. Constantis Imperatoris in Grimoaldum expeditio. Lupi rebellio. Hunni Stratagemate rejecti.*

HIS-

HISTORIA.

EXTINCTA jam Italiæ bella, mitioribus videbantur fatis locum facere; cùm subito classico omnia inhorruerunt. Novæ (mirum!) & ex ipsis velut Galliæ nivibus, flammæ: si furori crederes, ipsum quoque fretum transgressuræ: tanquam parum esset, terram jam exhaustam corripere. Valido impetu 1 Franci & 2 Alemanni irruunt: & 3 occasione belli, ad arma Gothi revertuntur. Sed hi tamen (4 exigua quies quantum potuit!) robur in agris reliquerant. Semel subactos, sive mitigatos, resurgere fortuna noluit; sed & Transalpini 5 exercitûs vota retardavit. 6 Variis igitur cladibus tres simul populi attriti, tandemque Italiâ pulsi, reliquêre sedes, quas Longobardi raperent.

COMMENTARIUS.

1. FRANCI.] Gens Germaniæ nobilissima, quam Romani Imperii excidium possis appellare. Origo variis opinionibus cruciata fuit. Quid dicam? Populi plerique inter Rhenum & Albim in unum coivisse corpus videntur, novoque nomine *Franci* dicti sunt. Conspirârunt verò, ut communi ope se Romanis opponerent, cùm singuli ac divisi vincerentur. A libertate igitur suo idiomate Franci, & hinc Franconiâ; quod nomen in reliquiis gentis prope Mœnum adhuc durat. Francos deinde Gallia occupata habuit, quasi Germaniam recipiens; Imperiumq; ex Italiâ ad se traxit. Vani igitur, qui Trojanos, vel etiam Antenoridas hîc nobis fingunt. Scilicet,

——— dat cuncta vetustas
Principium Phrygibus.

Volunt etiam nonnulli Atticâ linguâ Francos appellatos, quasi Latinè *ferreos* diceres. Nugæ. Germanos fuisse, etiam ab antiquo lingua indicat, quemadmodum è Legibus Salicâ & Ripuariâ non obscurè cognoscitur: ex Eginharto quoque, in vitâ Caroli Magni, ubi de mensibus, & ventis agit: qui cùm antea vel Latinis, vel Barbaris nominibus appellarentur, Germanici facti sunt. Ad mores quod attinet, viriles ac prorsùs militares erant: quos, & simul vestem habitumq; Sidonius describit, Panegyrico ad Majoranum:

Ad frontem coma tracta jacet, nudataq; cervix
Setarum per damna nitet, tum lumine glauco
Albet aquosa acies, ac vultibus undique rasis,
Pro barbâ tenues perarantur pectine cristæ.
Strictiùs adsutæ vestes procera coërcent
Membra virûm, patet iis arctato tegmine

gmine poples,
Latus & angustam suspendit Baltheus alvum.
Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagæ præscisse locum, clypeósque rotare,
Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas,
Inq; hostem venisse priùs puerilibus annis.
Est belli maturus amor, si fortè premantur
Seu numero, seu sorte loci, mors obruit illos,
Non timor: invicti perstant, animóque supersunt
Iam propè post animam. ———

Ex Agathiâ, lib. 11. Historiæ Gothicæ, hæc etiam dicam: *Huic nationi tenuis est & neglectior armatura, & quæ non variâ indiget opificum arte. Non thoraces, non ocreas norunt: plerisque in bello detecta sunt capita, perpauci casside operti, armis decertant; sed pectore nudato, & tergis usque ad infimos renes, amiculo præterea partim lineo, partim è corio succincti & tibias tegunt. Equis haudquaquam utuntur, præter paucos admodum, ut qui patrio more pedestri in pugnâ coaluerant. Itaque exerciti egregiè sunt. Ensis à femore lævo, ex latere scutum dependet: arcus, funda, & tormenta ejusmodi, cateráque tela saxum torquentia insueta sunt. Sed dolabras, securésque ancipites gestant, & brevia pro patriâ consuetudine tela, quæ ipsi ancones vocant, & quibus res magnas, cùm opus est, gerunt; ac tunc præsertim, cùm pede collato decertant, aut in hostem incurrunt.* Eadem ferè Procopius: sed nationem mortalium perfidissimam vocat. In eandem sententiam Salvianus Massiliensis: *Mendaces, qui perjurium genus sermonis putant, non criminis.* Gregorius Turonensis, sub Dagoberto Rege Episcopus, ait: *Et Francos bipennem gestasse, quam Francescam vocabant.* Addam Clementem, qui vitam Caroli Magni descripsit: *Erat antiquorum Francorum ornatus, calciamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciolæ æstivales vermiculatæ, & subtus eas tibialia ac coxalia linea, quamvis ex eodem colore, tamen artificiosissimo opere variata. Super quæ & fasciolas in crucis modum intrinsecus, & extrinsecus, antè, & retrò, longissima illa corrigia tendebantur. Deinde camisia cilicia, posthæc baltheus spata colligatus. Quæ spata primò vaginâ, secundò corio qualicunque, tertiò linteamine candidissimo, cretâ lucidissimâ roborato, ita cingebantur, ut per medium cruciculis eminentibus ad peremptionem gentilium denudarentur. Vltimum habitus eorum erat pallium canum, vel Sapphirinum, quadrangulum, duplex, sic formatum, ut cùm imponeretur humeris, antè & retrò pedes tangeret, de lateribus verò vix genua contegeret. Tum baculus de malo arbore nodis paribus admirabilis, rigidus, & terribilis cuspide manuali ex auro vel argento, cum cælaturis insignibus præfixo portabatur in dextrâ. Quo habitu lentus ego, & testudine tardior, cùm in Franciam nonnunquam venirem:* Sed nolò plura. Aureliano Cæsari primò negotium cum Francis fuit, cùm illi Rhenum transire conarentur, ut Flavius Vopiscus auctor est: *Apud Moguntiacum, tribunus legionis sextæ Gallicanæ, Francos irruentes, cùm vagarentur per totam Galliam sic afflixit, ut trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub coronâ vendiderit.* Deinde sub Floriano, Probo, Proculoque se quoque moverunt. Maximiano & Diocletiano Imperantibus, trajecto Rheno, in Nerviis, & Treviris, permissu Cæsarum, sub tributo consederunt, & quieti fuêre usque ad Iuliani & Valentiniani Imperium. De quâ re ita Ammianus Marcellinus scribit, libro

XXVII. *Valentiniano postea ad culmen Augustale evecto, Melobaudis Regis auspicio, & Saxonum auxilio, nova Francorum manus ex interiore Germania excita, Rhenumq; transgressa, dum Cæsar Marcomannico Sarmaticóq; bello apud Illyricum detinetur, littoralem Belgicæ oram occupavit:* Tandem sub Honorio à Stilicone domiti fuerunt. Claudianus in Panegyrico:

Miramur rabidis hostem succumbere bellis,
Cùm solo terrore ruant? nunc classica Francis
Intulimus, jacuère tamen: nos Marte Suëvos
Contudimus, queis jura damus. Quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania servit.
Cedant Druse tui, cedant Trajane labores.

Sed cùm Hunni, Rege Attilâ, Gallias devastassent, res cœpit Francorum crescere. Vnde Sidonius Apollinaris:

Francus Germanum primùm, Belgamq; secundùm
Sternebat, Rhenumq; ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & utroque superbus in agro.

Occupatâ Belgicâ, mox Celticam sibi adjecerunt. Hunibaldus auctor est, *Devictorum Gallorum comam, in signum servitutis, à Francis detonsam fuisse.* Deinde Ægidio & Sangrio Galliarum præsidibus debellatis, magnam Lugdunensis Galliæ partem sui juris fecerunt. Gothi verò Aquitaniam; at Burgundiones Narbonensem Sequanæque partem Romanis tum temporis adimebant. Sed illi in Aquitaniâ profligati, in Hispaniam abiverunt, reliqui servire Francis coacti, in unam cum illis gentem coaluerunt. Hinc, ut scribit Procopius, Gothorum res, regnante Theoderico, iterum in Galliâ floruit; sed cùm à Belisario Vitiges acriter premeretur, neque posset loca, quæ in Galliâ Gothi tenebant, servare, revocavit Martiam præfectum, & Galliam Francis concessit: hac tamen conditione, ut in belli societatem secum venirent. Alemannos quoque non tulerunt in Galliâ residere, eosque insigni prælio attriverunt: atq; ita totâ paullatim regione potiti sunt, permittente Iustiniano. Procopius lib. III. De Bello Gothico id refert: *Galliarum partem suæ quondam ditionis, in hujus belli principio Gothi Germanis* (id est Francis) *tradiderant, cùm minùs se posse existimarent Romanis simul & Germanis resistere. Id sanè factum non modò Romani non interpellarunt, sed ut Gallias sibi Germani haberent, Iustinianus ultrò permisit. Non enim illi has tutò se possessuros rebantur, nisi & Imperator Decreto suo confirmasset.* Et paucis interjectis: *Aureum nummum nativo Galliarum metallo Reges cudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri solent, imagine; sed suâ impressum. Persarum siquidem Imperator, etsi ad arbitrium argenteum numisma facit; aureo tamen non illi fas est imponere effigiem; nec Barbarorum Princeps alius quispiam id facere ausit.* Laudat Francos mirificè Agathias: *Francorum natio Italiæ proxima, & terminis juncta. Veteres autem hos esse Germanos dixère, quod utique ex eo sat liquet. Nam circa Rhenum hi habitant, & huic proximas incolunt terras, Galliarumq; maximam possident partem; non propriam, sed ut occupatam. Habent præterea Massiliam urbem, Ionum olim coloniam. Hanc enim Phocenses quondam, per Medos sedibus abacti, coluerunt, Dario Hystaspis filio, Rege Persarum regnante: nunc verò Græcâ ex urbe reddita Barbara est. Nam patrio illa rejecto & prisco vivendi modo, imperantium utitur institutis: tametsi*

etsi videatur hoc tempore non admodum pristinâ dignitate defectior: nimirum cùm Germani haudquaquam sint, ut plurimi barbarorum, pastores; sed Romanorum Politiâ & institutis utuntur, iisdemq; legibus vivunt, & in conventibus faciendis, & nuptiis celebrandis eadem statuunt: sunt quippe hi omnes Christiani, & rectissima inter cateros opinionis. Habent praterea per civitates Antistites, Sacerdotésque; festos insuper haud secus ac nos peragunt dies. Et sanè hi mihi, etsi caterà barbari, moribus tamen videntur quàm optimis praditi, & maximum in modum civiles; nec quicquam habent, quod à nobis faciat alienos, prater vestitûs barbariem, & vocis innata sonum linguaq;. Quos equidem tum ob eorum virtutes, tum ob aquitatem & concordiam, mirum in modum admiratione ac laudibus prosequor & magnifacio. Nam etsi antehac sapè, & nostris his quidem temporibus, in Principes tres plurésque eorum sit partitum Imperium, nunquam tamen invicem bella suscepisse constat, nec civili Patriam sanguine inquinasse. Faxit Deus, ut & hodie elogio isto digni sint!

2. ALEMANNI.] Francos Germanos esse dixi: nunc cum Cluverio Alemannos dicam Gallos esse. Nimirum hi illi, primâ origine, qui, scribente Tacito, De Moribus Germanorum, decumates agros inter Rhenum Danubiumq; exercuerunt, à Marcomannis ac Sedusiis relictos: illi, inquam, qui è Galliâ in Germaniam tempore Augusti transgressi sunt. Verba Taciti adjungo: *Non numeraverim inter Germania populos, quamquàm trans Rhenum Danubiumq; consederint, eos, qui decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum, & inopiâ audax, dubia possessionis solum occupavêre. Mox limite acto promotisq; prasidiis, sinus imperii, & pars provincia habentur. Vltrà hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu incohant.* Hi igitur Alemanni, quia confluxerant, appellati. Ac tempore quidem Caracallæ nomen istud fuit: cùm verò à Tacito ad Caracallam centum numerentur anni, ac interea nullæ legantur incolarum mutationes; de gente ipsâ, cui nomen tribuitur, nulla controversia superest. Quid tamen Stephanus? Ἀλαμανοὶ ἔθνος Γερμανοῖς πρόχωρον: *Alamani*, sive Alemanni, *gens est Germanis finitima*: non ergò Germanica. Quid Eustathius in Dionysium? Alemannos Germanis προσχώρεις scribit, candidosque esse. Quid Agathias? Alemanos, si Asinio Quadrato fides, *convenas ac miscellaneos homines esse, idq; manifestum ipsâ appellatione fieri.* Quomodo? *Al* omnem significat, *Man* hominem. Quasi hominum multitudinem dicas undique collectam. Gens bellicosa omnino fuit, & postea pro Germanicâ habita, certè appellata. Mœnum quoque transgressa extendit fines, ut videre est apud Ammianum Marcellinum lib. XVIII. & alibi. Caussam cur in Italiam venerit, ex Agathiâ pariter disco. Gothi namque, mortuo Tejâ, ad Theodibaldum Francorum Regem Legatos auxilia imploratum misere. Sed is, cùm in juvenili ætate, & parùm generosus, & belli imperitus esset, noluit militiæ laboribus involvi. Erant eo quidem tempore Germani fratres, Leutharis & Butilinus (quem Sigebertus & Sanctus Gregorius lib. I. Dialog. cap. II. Bucellinum, Gregorius Turonensis libro III. cap. XXXII. Bucellenum appellant) germani, inquam, fratres erant, qui apud Francos tantùm potentiæ erant consecuti, ut Alemannis præessent. Quid tamen est? Contra Regis voluntatem cum iis societate junctâ, exercitum partim ex Alemannis, partim ex Francis ad duo &

septuaginta millia lectissimorum hominum confecêre. Adjungit iis tertium ducem, nomine Amingum, Sigebertus, pariterque Paulus Diaconus, lib. II. De Rebus Longobardorum, cap. II.

3. OCCASIONE BELLI.] Nam Gothi, ut narrat Agathias, licet clanculò faverent Francis, Romanis se tamen amicos simulabant, donec prope Parmam Fulcaris Herulorum Dux, qui, pro Narsete stabat, cum copiis occideretur: tum demum apertè fœdera ruperunt, satius rati bellare, quàm Æmiliam, Liguriamq;, & proxima loca colere.

4. EXIGUA QUIES.] Alcibiades, ut est apud Thucydidem, lib. VI. Atheniensibus: *Hæc Civitas si erit in otio, consenescet: at per certamina assiduè proficiet; & scientiam se tutandi, non loquendi habebit.*

5. EXERCITUS VOTA.] Agathias libro I. *Leutharis ergò, & Butilinus ubi primùm exercitus contra Romanos ducere cœperunt, magnâ ambo spe erecti erant, tanquam non ampliùs in eo statu mansuri. Narsem enim exercitus ducem, ne primum quidem impetum sustinere posse credebant; omnem verò Italiam unà cum Siciliâ in ipsorum potestatem venturam. Mirari verò se Gothos dicebant, si tantoperè homuncionem thalamo & umbratili deliciosaq; vitæ assuetum, nihilq; masculum & virile præ se ferentem reformidarent.*

6. VARIIS CLADIBUS.] Nam prope Ariminum duo millia Francorum cum magno damno in fugam à Narsete versa sunt. Scribit Sigebertus, speciem lanceæ in cælo tunc temporis apparuisse, à Septentrione in Occidentem directam. Deinde cùm Leutharis domum reverti decrevisset, in Piceno gravem cladem ab Artabano & Vldache Hunno accepit: captivi etiam sine custodiâ relicti, cum omni ferè prædâ, quam ex Apuliâ & Calabriâ ille coëgerat, in proxima castella aufugerunt. Neque his terminis se calamitas continuit: nam dux ipse Leutharis rabie & insaniâ percitus periit; omnesque illius copiæ pestilenti morbo absumptæ sunt. Butilinus verò in Campaniâ cum triginta millibus occubuit, vix octoginta è Romanis desideratis. Omnes circa Capuam campi sanie ac cruore perfusi fuerunt; & proximus amnis multitudine cadaverum oppletus exundavit, teste Agathiâ. Guido & Agnellus Ravennates hanc quoque Historiam tractaverunt: sed Agathias Vir Clarissimus, quia hoc tempore vixit, majori fide dignus est.

HISTORIA.

DUM hæc aguntur, Narses, rebus tam feliciter gestis, ut victoriæ fructum omnibus communicaret, [1] tollere passim belli damna cœperat: è ruinis alibi ruderibusque urbes educere, alibi populos egestate pressos sublevare. Prorsùs, ut magis illustraret victoriam, [2] benignus & liberalis. Cùm hostes non essent, calamitatibus bellum indixit. Plus jam erat, erigere Italiam, quàm vicisse. Ergò Mediolanensibus animi, & paullatim vires rediêre. Ad urbem ipse Narses venit: mœnia reparat, templa condit. Tum quoque ejusdem

dem jam plùs quàm viri auſpiciis Religionis res compoſitæ, & [3] Summi Pontificis auctoritas apud Inſubres ſtabilita. Dignus Italiâ erat, qui tam clementer ac piè præerat. [4] Sed tanquam his artibus affectaret Regnum, à [5] Iuſtino Imperatore Conſtantinopolim [6] evocatus. Acceſſit & Auguſtæ Sophiæ convicium: utpotè quæ in Gynæcéo & lanificii penſo ſe operâ ejus indigere ſcriberet, utíque velle. Quid ni generoſum pectus petulantia mulieris irritaret? Vt major jam feminis videretur ille Gothorum victor, incurrere ſcelus maluit, quàm ſuſpicionem delere ſceleris; perdere Italiam, quàm relinquere. Ordiar, inquit, tramam, quam vires Imperii non retexent. [7] LONGOBARDOS igitur, eo tempore militiâ formidabiles, [8] è Pannoniâ [9] advocat: eorum Regi ALBOINO Italiam in prædam ſpondet, aditu obtentuque facilem; quippe viris vacuam, & à recenti adhuc [10] calamitate languentem. Bone Deus, quantò faciliùs vocantur Barbari, quàm pelluntur! Tanti quoque erat, à Narſete incitari. [11] Audiunt, ſe accingunt, & [12] conceſsâ Hunnis Pannoniâ, conjuges, liberos, fortunaſque [13] transferunt. Putares Gothos redire. Narſes, quia cum gloriæ detrimento conjunctam vindictam [14] ſerò deprehendit, captum temerè damnat conſilium. Qui profligârat bellum, novæ calamitatis auctor audiebat: & major offenſa proditæ Italiæ erat, quàm ſervatæ gratia fuerat. Itaque dum inter iram ac pœnitentiam hæret, animum crucians, morbo ac dolore [15] interiit. Pulchrè mori potuit, ſi non debellaſſet hoſtes, ut induceret.

COMMENTARIVS.

1. TOLLERE PASSIM.] Gloriæ æmulatione ſtimulatus Narſes, noluit Beliſario inferior videri. Sed ſi res dicenda eſt: *Fuit*, ut Paulus Diaconus libro II. cap. III. de Rebus Longobardorum, *vir piiſſimus, in Religione Catholicus, in pauperes munificus, in recuperandis Baſilicis ſatis ſtudioſus, vigiliis & orationibus tantum ſtudens; ut plùs ſupplicationibus ad Deum profuſis, quàm armis bellicis victoriam obtineret*. Addit enim Nicephorus, eum Sanctiſſimæ Virgini tantum adhibuiſſe cultum, ut ab illâ tempus committendi prælii exſpectaret: neque antè in aciem deſcenderet, quàm ab eâ ſignum rei gerendæ accepiſſet. Hæc eadem Eva-

grius lib. IV. cap. XXXIII. Bina templa in Rivo alto Insulâ exstruxit; quorum unum S. Theodoro Martyri, alterum S. Geminiano Confessori, Mutinensium quondam Antistiti, dedicavit. Infinita præterea opera instauravit: pontem quoque in Aniene, quem Totilas everterat, cum geminâ Inscriptione; quarum una hæc est:

IMPERANTE. D. N. PIISSIMO. AC TRIVMPHALI. SEMPER IVSTINIANO. PP. AVG. ANN. XXXVIIII.
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS EX. PRAEPOSITO. SACRI. PALATII EX. CONS. ATQVE. PATRICIVS POST. VICTORIAM. GOTHICAM IPSIS. EORVM. REGIBVS. CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE PROSTRATIS. LIBERTATE. VRBIS ROMAE. AC. TOTIVS. ITALIAE RESTITVTA. FONTEM. VIAE. SALARIAE. VSQVE. AD. AQVAM. A NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO. DESTRVCTVM. PVRGATO FLVMINIS. ALVEO. IN. MELIOREM STATVM. QVAM. QVONDAM. FVERAT. RENOVAVIT.

Altera:

Quàm bene curvati directa est semita pontis,
Atq; interruptum continuatur iter!
Calcamus rapidas subjecti gurgitis undas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia vestra Quirites,
Et Narsim resonans plausus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum subdere mentes,
Hic docuit virûm flumina ferre jugum.

2. BENIGNVS ET LIBERALIS.] Rectè Onosander in Strategico, cap. XXXVIII. *Qui urbe aliquâ potitus, sese illi acerbum & molestum exhibet, aut civium facultates diripiendo, aut cives ipsos interficiendo pulsandóve; aliarum quoque civitatum affectum ita alienat, ut & bellum perdifficile, & victoriæ spem desperandam præparet.* Idem cap. XLII. *Posteaquam omnia feliciter & ex animi sententiâ cesserint, fine bellicis negotiis imposito, caveat Imperator, ne ob res secundas elatior, aut gravior videatur; sed placidus sit atque benignus: néve fastum minaci ac truculento vultu præferat; sed civilem atque amabilem benevolentiam comiter omnibus exhibeat. Illa enim invidiam & livorem gignunt, ista æmulum amorem conciliant.* Ovidius III. Fastorum:

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ;
Et faciles motus mens generosa gerit.

3. PONTIFICIS AVCTORITAS.] Pelagius Pontifex, cùm niteretur Maximianum Ravennatum Episcopum, & alium quendam nomine Thracium ad Romanæ Ecclesiæ auctoritatem revocare, misit Petrum Presbyterum, & Projectum Notarium, cum litteris, eosq; Narseti commendavit. Verba epistolæ Pelagianæ sunt: *Idcircò nunc de iis, quæ vobis præsentibus ibi fieri stupemus, fiducialiter apud gloriam vestram duximus conquerendum. Thracius siquidem & Maximianus, nomina tantum Episcoporum habentes, & Ecclesiasticam ibi unitatem perturbare dicuntur, & omnes Ecclesiasticas res suis usibus applicare, in tantum, ut contra unum Maximianum usque ad nos per tam longum iter, necessitate compellente, quidam infatigabiliter venientes, preces offerant. Ob quam caussam Petrum Presbyterum Sedis nostræ, & Projectum Notarium ad eadem loca duximus destinandos; ut ea quæ Canonicis statutis à prædictis Speudo-Episcopis compererint commissa, vel dignâ debeant*

ibi

ibi ultione compescere, vel eosdem ad nos usque perducere. Et ideò salutantes paterno affectu gloriam vestram petimus, ut præfatis, qui à sede nostrâ directi sunt, in omnibus præbeatis auxilium; nec putetis alicujus esse peccati, si hujusmodi homines comprimantur. Posteà ab Honorato Archiepiscopo Mediolanensi Paulinus contra vetera exempla sacratus fuit: quâ re permotus Pelagius, iterum ejusmodi litteras ad Narsetem misit. *Date operam, ut qui ab Apostolicâ Sede se sejunxerunt, ad piissimum Principem sub dignâ custodiâ dirigantur. Recolere enim debet Celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit, tempore illo, quo Istriam & Venetiam Tyranno Totilâ possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non antè tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, quàm ad Clementissimum Principem exinde retulissetis; & quid fieri debuisset, ejus iterum scriptis recognovissetis, & inter ubique ferventes hostes Ravennam tamen, & is qui ordinabatur, & is qui ordinandus erat, providentiâ culminis vestri deducti sunt. De Liguribus, Veneticis, & Istris Episcopis quid dicam? quos idonea est Excellentia vestra, & ratione, & potestate reprimere, ne dimittatis in contemptum Apostolicarum sedium de suâ rusticitate gloriari; cùm, siquid eos de judicio universalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam Indictionem actum est, fortè movebat, ad Sedem Apostolicam (quod semper factum est) electis aliquibus è suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerint, & non clausis oculis Sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergò dubitare, hujusmodi homines principali, vel judiciali auctoritate comprimere: quia regula Patrum hoc specialiter constituerunt; ut siqua Ecclesiastici officii persona, cui subjectus est, restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur, atque damnetur. Quod si fortè & hoc contempserit, & permanserit divisiones faciendo & schismata, per potestates publicos opprimatur.* Paruit Narses Pontifici, qui propterea ab Episcopis illis à piorum communione secretus fuit, ut liquet ex epistolâ ejusdem Pelagii: *Relegentes litteras Excellentiæ vestræ de injuriâ, quam vobis iniquorum hominum præsumptio ingessit, valdè doluimus: sed quia scimus, occulto Dei judicio animam vestram, etsi per aliorum iniquitatem & superbiam, à contaminatione schismatis custoditam, egimus Omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari consuevit. Nec enim sine illius providentiâ factum esse credendum est, ut insensati & perversissimi homines usque ad hoc prosilirent, ut suam divisionem, Catholicam esse credentes Ecclesiam, à suâ vos pollutione prohiberent. Sic enim per misericordiam Dei, etiam nescientibus illis, hoc factum est, ut à Schismaticorum communione erui, Catholicæ, quam diligitis, servari vos contigisset Ecclesiæ.*

4. SED TANQVAM HIS ARTIBVS.] Paulus Diaconus, lib. III. cap. V. De Rebus Longobardorum: *Narses omni Gothorum gente devictâ, cùm multum auri, sive argenti, seu cæterarum specierum divitias acquisivisset, magnam à Romanis, pro quibus multa contra eorum hostes laboraverat, invidiam pertulit. Qui contra eum Iustino Augusto, & ejus Conjugi Sophiæ in hæc verba suggesserunt, dicentes: Quia expediverat Romanos Gothis potiùs servire, quàm Græcis, ubi Narses Eunuchus imperat, & nos servitio premit: & hæc piissimus noster Princeps ignorat. Aut libera nos de manu ejus; aut certè & Civitatem Romanam, & nosmetipsos gentibus tradémus. Cumq; hoc Narses audisset, hæc breviter retulit verba: Si malè feci cum Romanis, malum inveniam. Tunc Augustus adversus Narsetem commotus.* Hæc aliter à Con-

Constantino, libro de Administran. Imperio traduntur, cap. XXVII. imò ab Irene Augustâ exasperatum Narsetem scribit. Audiamus: *Temporibus Imperatricis Irenes missus Patricius Narses, tenebat Beneventum, & Papiam; Romam autem Papa Zacharias Atheniensis. Cùm verò bella gererentur in tractu Papiensi, Narses Patricius pecunias, fisco ex pacto solvendas, in milites erogabat. Itaque ordinarius Constantinopolim reditus mitti non potuit: sed nova inde pecunia à Narsete petebantur. His auditis Imperatrix Irene, iráque accensa, fusum illi & colum misit, cum litteris, quibus scribebat: Accipe hac, qua tibi conveniunt, nere enim te aequiùs judicavimus, quàm armis uti.*

5. IVSTINO IMPERATORE.] Hic Iustiniano è sorore Vigilantiâ nepos fuit, maritus Sophiae, neptis Theodorae Augustae: ad quarum nomina Corippus Africanus Grammaticus versu egregiè allusit:

Mater consilii placidis VIGILANTIA *vestris*
Semper inest oculis: quamq; omni pectore gestas,
Alma Augusta tui consors SAPIENTIA *Regni:*
Tu quoque IVSTITIAE *nomen de nomine sumens,*
Frena regendorum retines firmissima Regum.

Sacro verò Diademate à Iustiniano aegrotante insignitus: facili admodum ingenio, & ad gratiam hominum liberalitate promerendam natus. Foedus cum Persis pepigit, tributo sublato, quod Romani iis pendere solebant. Posteà avarus, & Senatorum spoliator, in haeresim Pelagianam; & nequid deesset mali, in amentiam prolapsus, Tiberium Caesarem in Imperium asscivit, periitque pedum dolore. Videndus Paulus Diaconus, Appendix Aurelii Victoris, aliique recentioris notae.

6. EVOCATVS.] Sigebertus in Chronico affirmat, Narsetem Patriciatu exutum fuisse: alii proscriptum referunt.

7. LONGOBARDOS.] Hic ille Germaniae populus est, qui dignus tandem Italiâ, partem à se nominavit. Tanquam novi Insubres, veterem instaurant gentis gloriam, & fundato non minùs legibus, quàm armis Regno, indigenae fiunt. Longobardi, inquam, aliis Langobardi, & loquelae compendio hodie Lombardi, quasi μακροπώγωνες. Nomen Paulus Diaconus explicat, lib. I. Historiae Longobardicae, cap. IX. *Certum tamen est, Longobardos ab intacta ferro barbae longitudine appellatos. Nam juxta illorum linguam* Lang, *longam*, bard, *barbam significat*. Rursùs, distinctiusque lib. IV. cap. XXIII. ubi & vestitum videas: *Moditia* (veteres Moguntiacum appellabant) *Regina Theodelinda sibi palatium condidit, in quo aliquid & de Longobardorum gestis depingi fecit: in quâ picturâ manifestè ostenditur, quomodo Longobardi eo tempore comam capitis tondebant. Siquidem cervicem usque ad occipitium radentes nudabant, capillos à facie usque ad os demissos habentes, quos in utramque partem in frontis discrimine dividebant. Vestimenta verò eis erant laxa, & maximè linea, qualia Anglosaxones habere solent, ornata institis latioribus, vario colore contextis. Calcei verò erant usque ad summum pollicem penè aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Posteà verò coeperunt hosis uti, super quas equitantes tubrugos birreos mittebant*. Peregrina, ut vides, vocabula ista sunt, & fortassis corrupta, Germanis faciliùs, quàm Italis intelligenda. Vt à nomine ad originem gentis veniam, Taciti lubet verba in medium proferre, De Moribus Germanorum: *Longobardos paucitas nobilitat; quòd pluribus & valentissimis nationibus*

bus cincti, non per obsequium, sed præliis & periclitando tuti sunt. Nationes istæ valentissimæ, ut ostendit Cluverius, Semnones erant, Hermunduri, Cherusci, aliiq;. Sed his tamen omnibus pares Longobardi, nonnullis etiam subsidio. Sic Italus, Cheruscorum Rex, à suis pulsus, ope Longobardorum restitutus est, scribente eodem Tacito, lib. XI. Annalium: *Magno inter Barbaros prælio victor Rex: dehinc secundâ fortunâ ad superbiam prolapsus, pulsusque, ac rursùs Langobardorum opibus refectus, per læta, per adversa res Cheruscorum affligebat*. Tantum igitur potuit unus ille populus, quem Albis & Viadrus fluvii tum quidem continebant. Cis Albim quoq; protulit sedem aliquando, rursusq; amisit, ut è Strabone discimus. A Tiberio *fractos Longobardos, gentem Germanâ feritate ferociorem* Vellejus scribit. Somnia igitur & figmenta sunt, quæ à medii ævi Scriptoribus obtruduntur: inter quos agmen quidem ducunt Paulus Diaconus & Sigebertus. Sed illum hic sequitur: ille, quia Longobardus, fidem invenit. An refero? E Scandinaviâ, tanquam remotior locus ad nobilitatem quoque faciat, Longobardos educunt, ac tum temporis Vinulos fuisse dictos: sub tempora Theodosii demum in Germaniam è mari trajecisse, nomenque tum novum à prolixâ barbâ sortitos: si & hoc placet, ab uxoribus, quæ solutos crines in faciem, ad barbæ similitudinem demiserant. Sed quid istud? sub tempora Theodosii? At Ptolemæus, qui antecessit, imò ante hunc Tacitus, & ante Tacitum Strabo ac Paterculus Longobardos & nominant, & in Germaniâ collocant. Posteà igitur, ut breviter dicam, Patriæ finibus egressi, lætiusque quærentes solum, Pannoniam, occupârunt. Bellicâ virtute clari, & tanquam Italiam mererentur, à Narsete (quem tamen videntur aliqui hoc crimine absolvere) vocati sunt. Veniunt, feliciter pugnant, & post Gothos Regnum moliuntur.

8. E PANNONIA.] Pannonia, quę non unam in Italiam gentem infudit, maximæ Scriptorum parti in Superiorem & Inferiorem dividitur. Sunt, qui Primæ, Secundæ, Ripensis, Ripariensis, Amantinæ, Sirmiensis, Saviæ, Sabariæ, Cibaliensis, & Valeriæ meminerunt: quæ vocabula cur persequar? Pannoniæ Superioris pars hodie præcipua Austria, nequaquam sic à Francis appellata, quòd esset Regnorum ad Orientem velut limes, ut quidam existimant. Nam Austria Francorum sita fuit ad Rhenum, dictaque postea Austrasia; quo nomine amisso, videntur hi Pannones id sibi servasse; quæ Lazii opinio est. Primaria hîc Vrbs, Vienna, Antiquis Vindebona, & Iuliobona, & Fabiana dicta. Rexerunt Austriam primò, Comites Babebergenses, qui ab Othone Secundo Marchiones, & à Frederico Duces creati: quorum stirpe emortuâ, Ducatus ad Rudolphum Habspurgensem, posteà Cæsarem, & perpetuis Annalibus memorandum, pervenit. Pannonia Inferior, & Secunda Proconsularis dicta, ad Ortum Tibiscum habet amnem; ad Occasum Austriam, Moraviam, & Stiriam; ad Septentrionem Poloniam & Russiam; ad Meridiem Savum amnem. Coluerunt hanc regionem primi Pannones, qui, an Pæones dicti fuerint, alii viderint. Pannones autem, ut Dioni placet, nominati, quòd tunicas manuleatas ex centonibus quibusdam & pannis (ita appellant) patrio more coaptant. Invaserunt posteà Gothi, deinde Hunni, & his pulsis, Longobardi; queis emigrantibus in Italiam, iterum Hunni successerunt. Hos Carolus Magnus debellavit, provinciamq; sui juris fe-

cit. Sed, ne sic quidem quiescere potuit. Nova tandem Barbarorum manus, qui se Hungaros vocabant, irruit, & universam Regionem invasit. Ab hisce Hungaria dicta, quæ nobilissimis fluminibus clara est: Tibisco, Arabone, Dravo, Savo, & ipso fluviorum patre Danubio. Quinquaginta quoque Comitatibus est insignis.

9. ADVOCAT.] Hisce ferè verbis Narses usus est, scribente Constantino, lib. de Administrando Imperio, cap. XXVI. *Visuros esse pro vetere verbo, terram melle & lacte abundantem, & quâ neq; Deum habere meliorem existimaret.* Imò, ne verbis tantùm ageret, multimoda pomorum genera, ut est apud eundem Constantinum, & Paulum Diaconum, lib. II. cap. V. aliarumque rerum species, quarum Italia ferax est misit, ut Longobardorum animos alliceret. Nec res exemplo caret. Livius enim, lib. V. sic de Gallis scribit: *Eam gentem, traditur famâ, dulcedine frugum, maximéq; vini novâ tum voluptate captam, Alpes transiisse.* Additq; Aruntem Clusinum in Galliam invexisse vinum illiciendæ gentis caussâ; ut uxorem à Lucumone corruptam ulcisceretur. Sapienter igitur Flavius Aripertus XVII. Longobardorum Rex: qui neque bonæ notæ vinum exterarum gentium Legatis propinabat, neque ullas unquam delicias mensæ adhibebat, plebeio etiam ornatu corpus tegens; nequis Italiæ insidias moliretur.

ALBOINO.] Alboinus Andoini filius, primus Longobardorum in Italiâ Rex, quem Paulus Diaconus, lib. I. cap. XXVII. *Virum bellis aptum, & per omnia strenuum:* item, *famosissimum* appellat. Virtutis caussâ Clotharius Francorum Rex Clotsuindam ei filiam in matrimonium sociavit. Prælio Chunimundum Gepidarum Regem vicit, & suâ manu interemit: cujus deinde filiam Rosimundam, Clotsuindâ jam extinctâ, uxorem duxit. Periit Veronę insidiis & scelere mulieris, patris necem vindicantis, anno Christi, ut Sigonius computat, IↃ. LXXIV. Kalendis Octobris, postquam in Italiâ annos III. menses VI. regnasset. Filiam unam ex Clotsuindâ uxore Albosindam reliquit, quæ Ravennam à Rosimundâ abducta est.

10. CALAMITATE LANGVENTEM.] Præter bellum pestis Italiam vastaverat. Nonnulla ad hanc rem è Diacono excerpam: *Cœperunt etiam nasci in inguinibus hominum & aliis delicatioribus locis glandulæ in modum nucis, seu dactyli, quas mox subsequebatur febrium intolerabilis æstus: ita ut in triduo homo extingueretur. Sin verò aliquis triduum transegisset, habebat spem vivendi. Erat autem ubique luctus, ubiq; lacrymæ. Relinquebantur domus desertæ habitatoribus, solis catulis domum servantibus: peculia sola remanebant in pascuis, nullo astante pastore. Cerneres pridem villas, seu castra repleta agminibus hominum, posteà verò fugientibus universis, cuncta esse in summo silentio. Fugiebant filii, cadavera insepulta parentum relinquentes: parentes obliti pietatis, natos relinquebant æstuantes. Siquem fortè antiqua pietas perstringebat, ut vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus; & dum obsequebatur, perimebatur; dum funeri obsequium præbebat, ipsius funus sine obsequio manebat. Videres sæculum in antiquum redactum silentium. Nulla vox in rure, nullus pastorum sibilus, nullæ insidiæ bestiarum in pecudibus, nulla damna in domesticis volucribus. Sata transgressa metendi tempus, intacta exspectabant messorem, vinea amissis foliis, radiantibus uvis illæsa manebat, hieme appropinquante.* Videndus & D. Gregorius, lib. IV. Dialogorum, cap. XXVI. ubi mira, & sine nauseâ legenda historia

historia refertur.

11. AVDIVNT, SE ACCINGVNT.] Procopius, aliam hujus transmigrationis occasionem tradit: Andusem nimirum cùm aliquot millibus Longobardorum in Italiam adversus Gothos ab Augusto missum esse; qui cùm soli fertilitatem ac amœnitatem perspexissent, ex illo tempore cœpisse acriter Italię inhiare. Horum adventum multa ostenta portenderunt. Paulus: *Continuò apud Italiam terribilia noctu signa visa sunt: hoc est, igneæ acies in cælo apparuerunt, eum scilicet qui posteà effusus est sanguinem coruscantes.* Eadem Otho Frisingensis, lib. v. cap. v.

12. CONCESSA HVNNIS.] *Eo scilicet ordine* (verba sunt Diaconi) *ut si quo tempore necesse esset reverti, sua rursùs arva repeterent.*

13. TRANSFERVNT.] Plusquam viginti millia Saxonum, cum uxoribus & liberis in societatem assumpserunt, in quorum sedes Suevi à Francorum Regibus missi fuêre. Hæc Paulus, lib. II. cap. VI. Item cap. XXVI. *Certum est, tunc Alboinum multos secum, ex diversis, quas alii Reges, vel ipse ceperat, gentibus, in Italiam adduxisse. Vnde usque hodie eorum in quibus habitant vicos, Gepidos, Bulgares, Sarmatas, Pannonios, Suevos, Noricos, sive aliis ejusmodi nominibus fuisse appellatos.* Pomponius Lætus tradit, sub Alboino ducenta millia hominum fuisse. *Habitaverant in Pannonia*, ut cum Diacono adhuc dicam, *annis quadraginta duobus. Iter ingressi mense Aprili, Indictione I. postridie Paschatis, cujus festivitas eo anno juxta calculi rationem, ipsis Kalendis Aprilibus fuit; cùm jam à Domini Incarnatione anni IↃ. LXVIII. essent evoluti.* Fuit igitur Littera Solaris G: annus ipse Bissextilis. Quemadmodum ex Indigitamentis meis facilè est computare: quæ jam parata sunt.

14. SERO DEPREHENDIT.] Ioannes enim Pontifex Neapolim ad eum venit, rogavitque, ne titulum liberatæ Italiæ hoc facinore deformaret: plus turpitudinis fore, accitis Longobardis, quàm gloriæ, devictis Gothis: injuriam Romanorum sibi & universæ Italiæ supplicanti condonaret. Breviter, tantum effecit, ut Narsetem Romam adduxerit. Videndus Anastasius Bibliothecarius.

15. INTERIIT.] Diaconi verbis, lib. II. cap. XI. *Corpus positum in locello plumbeo, cum omnibus ejus divitiis Constantinopolim est perlatum.* Magnas hic Eunuchus divitias possedit, quæ postea in Tiberii (Iustino is successerat) liberalissimi Imperatoris manus pervenerunt. Sed modum è Paulo, lib. III. cap. XII. didici. Ait ille: *Narses quoque Patricius Italiæ, cùm in quadam civitate intra Italiam domos magnas haberet cum multis thesauris ad supra memoratam urbem Constantinopolim advenit: ibiq; in domo suâ occultè cisternam magnam fodit, in quâ multa millia centenariorum auri, argentiq; reposuit, interfectisque omnibus consciis, uni tantummodò seni, hæc per juramentum ab eo exigens, commendavit. Defuncto verò Narsete supradictus senex ad Cæsarem Tiberium veniens, dixit: Si, inquit, mihi aliquid prodest, magnam rem tibi Cæsar dicam. Cui ille, Dic, ait, quid vis; proderit enim tibi, si quid nobis profuturum esse narraveris. Thesaurum, inquit, Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Cæsar Tiberius gavisus, mittit usque ad locum pueros suos. Præcedente verò sene, hi sequuntur attoniti, pervenientesq; ad cisternam, deopertam ingrediuntur: in quâ tantum auri vel argenti repertum est, ut per multos dies vix à deportantibus potuisset evacuari. Quæ ille penè omnia secundum suum morem erogatione largifluâ dispensavit egenis.* Fortè

quæres, Cur Diaconum jam ſolum propemodum producam? Mi Lector, tanta ſterilitas hujus barbariei eſt, ut præter unum Paulum, Warnefridi Longobardi filium, Diaconum Forojulienſem, vix alii ſuperſint, qui Longobardica tractaverint. Sed hic verè, & ut fucum omnem abeſſe credas, incultè, barbarèq; Res geſtas Longobardorum perſcripſit. Si tempora tamen reſpicio, clarus erat tam rudi ſæculo, quiſquis Paulum potuit imitari. Sed præter hanc Hiſtoriam, Eutropium, Adelbergæ rogatu, auxit, multa carmine conſcripſit, & infinitos Hymnos Eccleſiæ edidit. Leonem Oſtienſem audi, lib. I. cap. XVII. *Captâ Papiâ Urbe, cùm Regi Carolo pro ſuâ prudentiâ carus admodum & familiaris factus eſſet Paulus, accuſatus eſt ab invidis apud Regem, quòd ex affectu Deſiderii, illi pararet inſidias. Quem cùm Rex comprehenſum adduci ad ſe juſſiſſet, interrogat, an vera ſint, quæ de illo dicerentur. Tum ille conſtanter ſe domino ſuo fideliſſimum aſſeveravit, &, in eadem fide, quoad viveret, perſeveraturum. His auditis, Rex irâ ſuccenſus, juſſit incunctanter manus abſcindi. Sed continuò mutatâ ſententiâ, memor illius ſagacitatis atque prudentiæ, ſuſpiranſq; : &, ſi, inquit, ei manus abſcindimus, ubi tam elegantem ſcriptorem reperire poterimus? atque ad Proceres converſus, quidnam de tali viro agendum eſſet percunctabatur: illi eruendos illi oculos monebant, ne ullas adverſus Regem litteras ſcriberet. Et ubinam, ait ille, vel quando talem reperiemus Hiſtoricum? Illi verò Regis clementiam propenſamq; ad virum pietatem attendentes, ſuaſerunt, ut illum apud Diomedis Inſulam exilio relegaret. Sicq; factum eſt.* Ibi cùm annos aliquot exulaſſet, venit ad Arichim Beneventi Ducem, & poſtea in Caſſinenſe monaſterium ſe contulit. Quo audito, Carolus Rex carmine illi hanc vitam congratulatus eſt, voluitque totis remis in gratiam Pauli redire. Verſus ſunt:

Hinc celer egrediens, facili mea charta volatu
Per ſilvas, colles, valles quoque perpete curſu
Alma Deo chari Benedicti tecta require,
Eſt nam certa quies feſſis venientibus illuc.
Hic olus hoſpitibus, piſcis, hic panis abundat,
Lætus amor, cultus Chriſti ſimul omnibus horis,
Pax pia, mens humilis, pulchrâ & concordia fratrum.
Dic Patri, & ſociis cunctis ſalvete, valete.
Colla mei Pauli gaudendo amplecte benignè
Dicito multoties: ſalve Pater optime, ſalve.

HISTORIA.

INTEREA Longinus [1] Exarchi titulo armatus venit: & Græcanicum nomen, Imperatoris auctoritatem indicabat. Munere uſus eſt: [2] ſtatum Italiæ ordinat, urbes præſidiis firmat, copias in promptu habet, impetum Longobardorum excepturus. Fama gentis terrorem incuſſerat, & tanquam ultimo incendio obruenda provincia, contremuit. Victa metu, imparem bello ſe confeſſa eſt, & Longini quoque conatus

natus retardavit. Itaque victoriæ desperatio prima clades fuit, dum sine obstaculo 3 Alpes patent. Hinc 4 Aquileia capta, reliquæ circumquaque urbes 5 ad deditionem compulsæ. Et leniter adhuc vincebant Barbari, quasi molliori cælo ad humanitatem traducti: sedem quærebant, non stragem, Attilæ vestigia magis, quàm exempla secuti. Et tamen quocumque ibat ille 6 sine crudelitate victor exercitus, 7 fuga incolarum erat. Insubres demum suo quodam fato ausi resistere, mœnia hosti objecêre: sed animos vires secutæ non sunt. Alboinus 8 Brixiâ, 9 Bergomo, 10 Laude, 11 Como celeri fortunâ expugnatis, 12 Mediolanum aggressus est. Populus, Antistite licet, Optimatibusq; destitutus, bellum excipit. Priùs tamen (& hæc clementia Regis fuit) minis, quàm armis tormentisque urbs oppugnata, cùm severitatem timeret hostium, fidem amplexa est. Et quanti hanc deditionem Barbari fecerunt! quasi tota Italia capta esset, victorem salutant Alboinum, 13 hastamque, Regium pro more gentis insigne, eidem tradunt. 14 Ticino mox admota sunt castra, & toto frustrà triennio hæserunt: tantæ molis fuit capere urbem, quæ Longobardorum Regia esset. Sed Alboinus, ne unius oppidi labore belli fortunam consumeret, parte copiarum circa muros relictâ, Æmiliam, 15 Tusciam, atque Vmbriam percurrit. Facile bellum mitem quoque victoriam fecit. Inde Ticinum regressus, & indignatus, plùs unam urbem, quàm provinciam non unam posse, vertit ad ferociam animum, & cruentus voto, internecione se deleturum quantum intra mœnia esset hostium juravit. Sed scelus omine impeditum, obstrictasque religione minas vis numinis dissolvit. Victam ecce urbem Regi security ingredienti, in ipso portæ limine 16 equus procubuit, hæsitque: non stimuli, non verbera quadrupedem movebant. Sed & ampliùs spectatores admiratio defixerat. Tunc nescio quis divinitus suggerens, Aditum, inquit, ô Rex, clementiâ aperi, & parce populo, quem lanienæ destinasti: crudelem te fata nolunt. Cùm ille annueret promitteretque, equus spontè exiliit, & jam meliorem quoque benigno decreto Victorem invexit.

Sanè Regiæ virtutes in hoc viro erant, & Italiâ dignæ. Is, cùm rebus firmatis, nullius hostis arma timeret, conjugis Rosimundæ fraude & scelere interiit. Iræ caussa: [17] è cranio patris, marito propinante, biberat; adeoq; [18] contumeliæ impatiens fuit, ut adulterii flagitio vindictam quærens, mœchum & parricidam mox admiserit conjugem, tam libidine audax, quàm cæde nefaria. Sed quæ incesti matrimonii fides! [19] Ravennam cum conjuge & thesauro Regio profecta, cùm ad [20] tertias novo scelere adspiraret nuptias, cruento propemodum adhuc marito infectum veneno poculum [21] porrigit: è quo & ipsa coacta bibere, punivit facinus quod commiserat.

COMMENTARIVS.

1. EXARCHI.] Hæc dignitas à Iustino Imperatore fuit constituta. Quicquid primo impetu Longobardi invadere non valebant, hoc omne ei cessit. Sedes hujus potestatis fuit Ravennæ, duravitque variâ fortunâ annos CLXXXIII. Breviter, quisque Exarchus, vices Imperatoris in Italiâ sustinebat: & tantâ auctoritate, ut Pontifex, Romæ creatus, ab eo confirmaretur. Quindecim fuêre, qui hunc honorem gesserunt, quorum Primus, Fl. Longinus Patricius V. C. annis XV. Secundus, Fl. Smaragdus, ab Imperatore Mauritio missus, annis III. & posteà iterum annis IX. Tertius, Romanus, ab eodem Imperatore missus, annis XI. Quartus, Fl. Callinicus, missus ab eodem Mauritio, annis IV. Quinctus, Fl. Ioannes Lemigius, ab Imperatore Heraclio, annis IV. Sextus, Eleutherius, Heraclii Cubicularius, annis III. Septimus, Isaacius, ab eodem Heraclio missus, annis XXIII. Octavus, Theodorus Calliopa, missus ab Imperatore Heraclio, annis VIII. & posteà iterum annis XXXVI. Nonus, Olympius, ab Imperatore Constante juniore missus, cui erat Cubicularius, annis III. Decimus, Ioannes Platon, ab Imperatore Iustiniano Iuniore Augusto missus, annis XV. Vndecimus, Theophylactus, à Tiberio Absimaro missus, annis VIII. Duodecimus, Ioannes Tizocopus, à Iustiniano Iuniore missus, annis II. & mensibus aliquot. Decimustertius, Scholasticus, ab Anastasio Artemio missus, annis X. Decimusquartus, Paulus, ab Imp. Leone Tertio missus, annis II. Decimusquinctus, Eutychius, ab eodem Leone missus, annis XXIIII. & ordinem clausit. Nam Aistulphus Rex Ravennâ, & omni tum exarchatu Græcos exuit.

2. STATUM ITALIAE.] Sustulit Consulares, Correctores, Præsidesque, & singulis singulos civitatibus Duces imposuit, variosq; Iudices assignavit. His temporibus cœperunt Præfecti, Magistri militum vocari; Iudices, Sacellarii; Quæstores, Chartularii.

3. ALPES PATENT.] Scribit Paulus lib. II. cap. VIII. *Alboinum montem ascendisse, è quo partem Italiæ posset contemplari, & hac caussâ montem*

montem illum, Regis fuisse appellatum.

4. AQVILEIA.] Idem Paulus, lib. II. cap. X. *Aquileiensi Civitati, ejusq; populis praerat Beatus Paulinus Patriarcha, qui Longobardorum barbariem metuens, ex Aquileiâ ad Gradi Insulam confugit, secumq; omnem sua thesaurum Ecclesia deportavit.* Quid? Helias posteà Patriarcha, cùm Gradum reliquorum exemplo incoleret, à Pelagio Pontifice obtinuit, ut Ecclesiæ Aquileiensis Sedes Gradum transferretur, & exinde Gradensis Ecclesia, in orâ Venetâ, Istriæque tractu Ecclesiarum mater fuit appellata.

5. AD DEDITIONEM COMPVLSAE.] Paulus, lib. II. cap. IX. *Indeq; Alboinus, cùm Venetia fines, qua prima est Italia provincia, sine aliquo obstaculo, hoc est, Civitatis vel Castri, Forojuliani terminos introisset, perpendere cœpit, cui potissimùm primam provinciarum, quam ceperat, committere deberet. Gisulphum, ut fertur, suum nepotem, virum per omnia idoneum, qui tunc quidem Strator erat, quem linguâ propriâ Marpahin appellant, Forojuliana civitati, & toti illi regioni præficere statuit. Qui Gisulfus non priùs se regimen ejusdem civitatis & populi suscepturum edixit, nisi ei quas eligere voluisset Longobardorum pharas, hoc est, generationes, & lineas tribueret. Factumq; est: & annuente sibi Rege quas optaverat Longobardorum prosapias præcipuas, ut cum eo habitarent, accepit: & ita demum Ductoris honorem adeptus est. Poposcit quoque à Rege generosarum equarum greges, & in hoc quoque liberalitate Principis exauditus est.* Gisulfus igitur primus Dux fuit Forojuliensium: & postea plures per Italiam Duces à Longobardis constituti. Nam mox & Taurini, & Spoletani, & Beneventani, Duces acceperunt, qui tanquam Satrapæ essent. Lex iis erat, ne suo successorem diligendi arbitrio potestatem haberent: sed is in concilio totius Gentis diceretur.

6. SINE CRVDELITATE VICTOR.] A clementiâ & liberalitate laudatur. Paulus lib. II. cap. XII. *Cùm ad fluvium Plavem venisset, ibi ei Felix Episcopus Tervisiana Ecclesia occurrit: cui Rex, ut erat largissimus, omnes sua Ecclesia facultates postulanti concessit, & per suum pragmaticum postulata firmavit.*

7. FVGA INCOLARVM.] Ad paludes, quas Olius, Serius, & Abdua amnes tum fecerant, ubi hodie Crema est; quem locum fugientium Dux Cremes munire cœperat. Præterea ad Insulam Larii lacûs, quæ hodie Comacina. Honoratus quoq; Archiepiscopus Mediolanensium, Genuam confugerat; quemadmodum paullò pòst magis ostendam.

8. BRIXIA.] Vrbs Transpadana, à Gallis Cenomanis condita, auctore Livio. Vrbs vetusta, dives, populosa. Garcia fluvius, quem nonnulli Melum vocant, eam secat. Catullus:

Flavus quem molli percurrit flumine Mela,
Brixia, Verona mater amata mea.

Coloniam eò deduxit Cn. Pompeius Strabo. Cæsar civitatis eam jure donavit. Radagisus Gothorum Rex incendio vastavit, Attila evertit; sed posteà anno Christi CCCCLII Imperante Martiano, refecta. A Longobardis, & Francis possessa. Deinde ab Othone Saxone Cæsare, anno CIↃ. CXXXVI. libera Imperii civitas facta: rursùs ab Henrico direpta, muris & privilegiis exuta Nunc Venetæ ditionis est.

9. BERGOMO.] Ab iisdem Gallis hoc etiam oppidum conditum. Et sunt tamen qui Græcam originem affectent, & *Pergamum* dictum

dictum adstruant. Ambitus ejus hodie cum suburbiis longè maximus. Incolæ sermone ridiculi, ingenio acuti. *Reipublicæ Bergomatis* mentio in Saxo antiquo, qui ad S. Fausti visitur. Ducatûs titulo sub Longobardis floruit. Deinde, cùm sui juris Urbs facta est, quemadmodum & aliæ, servire cœpit, & in variam fortunam venit, nunc hujus, nunc illius imperio obnoxia. Nam & Turrianos nostros, & Galeatios, & Scaligeros, & Suardos, & Picininos, & Malatestas, & Sfortias dominos sustinuit. Hodie Venetis paret.

10. LAUDE.] Plinio *Laus Pompeia* vocatur, à Gn. Pompeio Strabone, ut quidam existimant. Nonnulli putant *Laudem novam* à Cicerone appellari. Chronica Mediolanensium à *Laudo* Mediolanensi dictam tradunt. Sed ipsa, scribente Plinio, Gallos Bojos sibi conditores facit. Hanc quam hodie videmus Laudem, Fredericus Ahenobarbus tertio lapide à priscæ Laudis ruinis condidit, anno CIↃ. CCVII. Nam funditus eam Mediolanenses everterant. Sensim igitur crevit, & libera, suique juris, sub tutelâ Imperii fuit. Posteà cùm Gibellinorum & Guelforum insaniâ tota laceraretur Italia, ad Vestarinos, & Turrianos pervenit. Hac tempestate agnoscit Mediolanum, & libertatem putat, Hispaniæ subesse.

11. COMO.] Urbs est ad Larium lacum, à Gallis condita, ut Trogus; ab Orobiis, ut Plinius auctor est. Coloniam fuisse, sed vastatam; à Pompeio Strabone Colonos restitutos, à Scipione tria millia hominum addita, à Cæsare quinque, in quibus quingenti erant Græci, qui nomen *Novi Comi* Urbi indiderunt, è Strabone scimus. Appianus verò, lib. II. de Bello Civili, ipsum Cæsarem conditorem facit, eumque voluisse Cives Romanos esse, qui in eâ Magistratum gererent. Sunt qui tradant, eam ab Anselmo Pusterulâ, Archiepiscopo Mediolanensium, excisam; Urbem verò, quam jam videmus cancri specie, ab eodem conditam. A Gothis, Longobardis, Francis ad Imperatores tandem pervenit; fuitque libera, donec Ruscorum & Vitanorum factiones orirentur. His temporibus Hispaniarum Monarchę obedit, naturæ & Antiquitatis elegantiis instructa, quam, si Plinius viveret, adhuc delicias suas vocaret. Meas, cùm in Italiâ agerem, fuisse, etiam nunc profiteor; & cogitatione Larem Clarissimi Viri PAULI CIGALINI, hospitis mei, interdum viso, quem mihi inter alios Amicos, Nobilissimæ Humanitatis Vir RAPHAEL MONTORFANUS conciliârat.

12. MEDIOLANUM.] Non sine voluptate hanc Urbem vel nomino, vel scribo. Ad rem Paulus, lib. II. cap. XXV. *Alboinus igitur Liguriam introiens, Indictione tertiâ, III. Non. Septemb. sub temporibus Honorati Archiepiscopi, Mediolanum ingressus est*. Paullò pòst: *Honoratus verò Archiepiscopus Mediolanum deserens, ad Genuensem urbem confugit*. Ab Urbe etiam hac deditâ (quod notandum est) Epocha Regni Longobardici numeratur. De quâ re videndus Sigonius.

13. HASTAMQUE.] Fuit verò & hasta aliquando Romanorum insigne Regium, teste Iustino, lib. XLIII. *Per ea adhuc tempora* (nimirum cùm Sabinæ raperentur) *Reges Hastas pro diademate habebant, quas Græci σκῆπτρα dixère. Nam & origine rerum pro Diis immortalibus veteres hastas coluerunt: ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hasta additur*. Quin etiam nonnulli Romam à Syriacâ voce *romach*, quæ Latinis hasta est, deducunt; ajuntque, etiam

nomen

nomen Quiris priscis Latinis hastam fuisse, à quo cives Quirites dicti, ut à Romà Romani; quod nihil aliud quàm hastati: bono omine, ut Vrbs, quam habitura esset aliquando Regiam Majestatem, vel solo nomine in sui primordio testaretur.

14. TICINO.] Vrbs quarto lapide supra Ticini ostium sita. Papia nonnullis, ut & hodie, vocatur: in nummo quodam argenteo, Flavia Papia. Antiqui Scriptores, Ticinum semper scribunt. Conditam asserit Plinius, lib. V. cap. V. à Levis & Maricis Liguribus; alii à Gallis, Bojis, & Cenomanis. Romano succumbente Imperio, magnis fuit cladibus affecta ab Attilâ; deinde ab Odoacre, Herulorum Principe; postea Gothis Longobardisque subacta, sedesq; Regni lecta. Theodericum Gothorum Regem hîc Palatium struxisse, eoque usum Alboinum, auctor est Paulus, lib. II. cap. XXXVII. Longobardis à Carolo Magno profligatis, Italiæ Regibus paruit, usque ad Othonem I. Augustum, à quo confractâ Berengarii potentiâ, restituta libertati: cujus tuendæ, anno ∞. CCLIX. Præsuli Ravennati se commisit. Regnante Rodulfo, tota fuit ab Hungaris igne deleta. Tradit Frodoardus, eam Ecclesias XLIII. tùm habuisse. Luitprandus, postquàm multùm incendio ingemuit, suam præfert Papiam Romæ: *Papia copiosa & appellatur & cernitur: non solùm quippe vicinas, sed & longè positas præcellit opibus civitates. Quid alias memorem? cùm ipsa insignis, & toto Orbe notissima Roma hac inferior esset, si pretiosa Beatissimorum Apostolorum corpora non haberet.* Nacta deinde Principes suos Turrianos, Langusсos, Beccarias: tandem in potestatem Vicecomitum, & Sfortiarum venit. Postremò, cùm universâ Insubriâ Carolo Quincto cessit. Castrum in eâ à Ioanne Galeatio Vicecomite constructum, hodie semirutum. Plura Bernardus Saccus (ô mihi venerabile in IO. BAPTISTA, Viro Clarissimo, & Senatui Mediolanensi à Secretis nomen!) Vrbem hanc describens: quæ postquam Palladi consecrata est, totam potuit provinciam duraturâ gloriâ exornare. Sanè amo hanc Academiam, in quâ Clarissimos Viros MASSINIVM & FARNESIVM nuper colui; illum Iuris, hunc litterarum mystam.

15. TVSCIAM.] Varia olim nomina habuit, quæ frustrà commemoro: post alia verò Tyrrhenia, Etruria, & Tuscia deniq; à Sacrificiorum religione dicta fuit: verâ laude flos Italiæ & ingeniorum. Ab Oriente Tiberim & Latium; ab Occidente Macram & Liguriam; ad Meridiem Mare Inferum; ad Septemtrionem Apenninum, ubi Vmbria Galliæque pars, habet. Hujus fertilitatem Marcianus ut celebraret, sacram Soli dixit. Gentem habuit Divinationibus, auguriis, & religioni deditam: sed eam pietatem Dionysius suo ævo scribit ita exolevisse, ut cunctarum nationum negligentissimi in sacris haberentur. Inde Romam fasces, trabeæ, sellæ curules, annuli, phaleræ, prætextæ, togæ pictæ, tunicæ palmatæ, paludamenta, & triumphalia ornamenta traducta sunt. Inclinantibus Romanorum rebus, variè à Gothis, Longobardis, & Hungaris fuit afflicta, divisaque. Hodie etiam plures dominos agnoscit: Pontificem, Regem Hispaniæ, Genuenses, Marchiones nonnullos, & Sceptris natam Familiam Medicæam, quæ majorem illius partem obtinet.

16. E CRANIO PATRIS.] Cranium Chunimundo à se interfecti, in poculum Alboinus commutârat. *Quod genus poculi* (Paulum expri-

exprimo, lib. I. cap. XXVII.) *apud eos Scala dicitur: lingua verò Latina patera vocatur*. Nos verò hodie Belgæ eodem vocabulo utimur, & *Scalis* solemus vota salutis in conviviis circumferre. Idem Paulus de eodem poculo, lib. II. cap. XXVIII. *Cùm in convivio, ultrà quàm oportuerat, Veronæ latus resideret, poculo quod de capite Cunimundi Regis, soceri sui fecerat, Reginæ vinum dari præcepit: atque eam ut cum Patre suo latanter biberet, invitavit. Hoc necui videatur impossibile, veritatem in Christo loquor. Ego hoc poculum vidi die festo Rachisium Principem, ut illud convivis suis ostentaret, tenentem.* De hoc Rachisio scribo ipse, lib. III.

17. EQVVS PROCVBVIT.] Non possum sine auctoritate Scriptoris Longobardici hoc prodigium præterire. Libro II. cap. XXVII. *Cùm Alboinus per portam, quæ dicitur Sancti Ioannis, ab Orientali urbis parte introiret, equus ejus in portæ medio concidens, quamvis calcaribus stimulatus, quamvis hinc inde hastarum verberibus casus, non poterat elevari.* Cætera quid prosequor? E Longobardis unus Regem clementiæ admonens, Civibus, inquit, verè Christianis parce, & ingredieris. Quid? venia data est, & tanquam numini equus obediret, surrexit. Etiam hodie, ad memoriam prodigii, in frontispicio portæ Historia labentis Alboini picta cernitur: quâ & egomet aliquando oculos, Mediolano Ticinum excurrens, oblectavi.

18. CONTVMELIAE IMPATIENS.] Pauli verbis, lib. II. cap. XXVIII. totam hanc Historiam expediam: *Rosimunda dolorem compescere non valens, in mariti necem, patris funus vindicatura, exarsit: consiliúmque mox cum Helmige, qui Regis Scilpor, hoc est armiger, & collactaneus erat, ut Regem interficeret, iniit. Qui Reginæ persuasit, ut ipsa Peredeum, qui erat vir fortissimus, in hoc consilium adscisceret. Peredeus cùm Reginæ, suadenti tantum nefas, consensum adhibere nollet, illa se noctu in lectulo suæ vestiariæ, cum quâ Peredeus stupri consuetudinem habebat, supposuit; quò Peredeus, rei nescius, perveniens, cum Reginâ concubuit. Cumq; illa, patrato jam scelere, ab eo quæreret, quam se esse existimaret, & ipse nomen amicæ quam esse putabat, nominasset, Regina subjunxit: Nequaquam, ut putas; sed ego Rosimunda sum, inquit. Certè nunc talem rem Peredee perpetratam habes, ut aut tu Alboinum interficies, aut ipse te suo gladio extinguet. Tunc intellexit malum quod fecit, & qui sponte noluerat, tali modo in Regis necem coactus assensit. Rosimunda, cùm se Alboinus meridie sopori dedisset, magnum in Palatio silentium fieri præcipiens, omnia alia arma subtrahens, spatam illius ad lectuli caput, ne tolli aut evaginari possit, fortiter colligavit, & juxta consilium Peredei Helmigem interfectorem omni bestiâ crudeliorem introduxit. Alboinus subitò de sopore experrectus, malum quod imminebat intelligens, manum citus ad spatam porrexit, quam strictiùs religatam abstrahere non valens, apprehenso tamen scabello suppedaneo, se cum eo per aliquod spatium defendit. Sed heu, proh dolor! Vir bellicosissimus, & summæ audaciæ, nihil contra hostem prævalens, quasi unus de inermibus interfectus est; uniusque muliercula consilio periit, qui per tot hostium strages bello famosissimus extitit. Cujus corpus cum maximo Longobardorum fletu & lamentis, sub cujusdam scalæ ascensu, quæ Palatio erat contigua, sepultum est. Fuit autem staturâ procerâ, & ad bella peragenda toto corpore coaptatus.*

19. RAVENNAM.] Nam Helmigem, qui & regnum moliebatur, occidere nitebantur Longobardi, nece Clarissimi Regis stimulati.

Statímque, Pauli adhuc verbis dicam, *Rosimunda Longino Præfecto Ravennæ mandavit, ut citiùs navim dirigeret, quæ eos suscipere posset. Longinus tali nuncio lætus affectus, festinanter navim direxit, in quam Helmigis cum Rosimundâ jam conjuge noctu fugientes, ingressi sunt, abducentésque secum Alsuindam, Regis filiam, omnem velociùs Longobardorum thesaurum Ravennam transtulerunt.*

20. TERTIAS.] Avaritiam, an libidinem accuses? Longinus Exarchus Rosimundam suis nuptiis, ad hoc scelus impellebat: & mulier priùs Regina, jam nesciebat Ravennæ vivere, nisi imperaret.

21. PORRIGIT.] Egredienti è balneo Helmigi fatalem potionem obtulit. Ille ubi percepit mixtum veneno vinum se bibisse, evaginato gladio, Circem suam haurire reliquias compulit. Ita scelera in auctorem solent redundare.

HISTORIA.

ALBOINO successit [1] CLEPHO, sævus moribus, & quia ultrò asscitus ad regnum, superbus. Primùm in populo, jam domito & subjecto, quæsivit hostes, ut affligeret; qui potentiâ vel opibus excellerent, aut pulsi, aut necati: & jam crudeliùs regebat Clepho, quàm Alboinus vicerat. Prorsùs alter cepisse tantùm provinciam visus est, alter jugum imposuisse. Mox, cùm sævitiam Rex novus domi fatigasset, bello in hostes erupit. [2] Tanetum oppidum, ac deinde [3] Forum Cornelii expugnat, quod exstructâ arce communitum, mutato nomine Imola vocari cœpit. Verè traditum est, durare violenta non posse. Vix menses duodeviginti regnum tenuit, & suis omnibus gravis, à puero familiari interfectus est.

COMMENTARIVS.

1. CLEPHO.] Diacono Cleph scribitur. Sigeberto Cleb, aliis Clephis, præcipuæ inter Longobardos Nobilitatis, & ob hanc etiam caussam electus. Vxor ei Messona fuit, scribente Paulo, Onuphrius Ansanem vocat. Creatus Ticini, circa Kalend. Octob. anno Christi IƆ. LXXIV. Regnavit annum I. menses VI. Occisus à servo suo, circa Kal. Aprilis, IƆ. LXXV. Ticini, ubi & sepultus. Filium reliquit Autharim, cui, post interregnum decem annorum, sceptrum consignatum est.

2. TANETVM.] Oppidum inter Parmam & Regium, eodem ferè hodie nomine. Livius lib. XXX. Tanetum vicum appellat: Plinius lib. III. cap. XV. Tanetanos.

3. FORVM CORNELII.] Oppidum est Romandiolæ, sive Flaminiæ, ad ripam Saterni fluminis situm. Incolas illius Foro-Cornelienses Plinius appellat. Conditorem multi Cornelium Syllam ferunt, pauci Trojanum quendam. Longobardis

ex Italiâ profligatis, venit in potestatem Bononiensium: sub quibus variè ab Alidosiis, Manfredis, & Galeatiis habitum, tandemque mitissimo tranquillissimoque Romanorum Pontificum imperio subjectum fuit.

HISTORIA.

HINC triginta Duces, an Tyranni? [1] Vrbes singulæ specie libertatis oppressæ sunt: & sic tamen, quod mireris, res Longobardorum [2] incrementum sumpsit. [3] Mauritius Imperator, Iustino [4] Tiberioque animosior, Italiam vindicaturus, armis consiliisque pressit Barbarorum ferociam, Smaragdo Exarcho; sed paullò pòst acriùs erupturam. Quia & à [5] Childeberto Francorum Rege vis imminebat, non jam pro regno, sed pro salute Longobardi surrexêre. Itaque quod utilissimum rebus visum, abrogato Ducibus imperio, [6] unius rursùs potestatem amplexi, [7] creare Regem maluerunt, quàm accipere; suo, quàm alieno, pacis militiæque sacramentum jurare.

COMMENTARIVS.

1. VRBES SINGVLAE.] Paulus lib. II. cap. XXXII. *Vnusquisque ducum suam civitatem obtinebat. Zabanus Ticinum, Vallaris Bergomum, Alahis Brixiam, Eoinus Tridentum, Gisulfus Forum Iulii. Sed & alii extra hos in suis Vrbibus triginta Duces fuerunt.* An igitur triginta sex? ita & Onuphrio placet: sed hoc loco Alboinus omissus, qui inter Duces Mediolano præfuit. Sed hi quidem, ut quisq; ingenio usus est, barbariem in veteres incolas effuderunt: sævi imprimis adversus nobilitatis præcipuos, & Religionis Mystas; ut ad se divitiâs omnes tam sacras quàm profanas traherent: quâ immanitate offensi Saxones, Italiâ excesſêre. Iidem Duces, quia infeliciter Franciam tentaverant, totam belli molem in Longinum Exarchum, nec non in Vrbem ipsam Romam converterunt. Cùm & Mauritium, & Francos universos timerent, in unius iterum potestatem Rempublicam transtulerunt.

2. INCREMENTVM.] Quippe Alpinas omnes civitates sibi subjecerunt, Galliamque devastarunt. Inde reversi, Sutrium, Ortum, Tudertum, Polimartium, Ameriam, Perusiam, Luceolos, & Classem urbem, Ravennæ vicinam, ad deditionem adduxerunt, scribente Paulo. Quinetiam Romam obsederunt; sed crebris imbribus ab Vrbe tandem repulsi sunt, ut in Appendice Aurelii Victoris.

3. MAVRITIVS.] Gener Tiberii, genere Cappadox, manu strenuus, Armeniorum, Persarum, Scytharum, & Hunnorum victor. Annis viginti Imperio præfuit, & tandem à Phocâ, statore Prisci Patricii,

cii, & posteà centurione limitis Scythici, cum liberis & conjuge trucidatus. Ab hoc Phocâ, ut scribit Paulus lib. IV. cap. XXXVI. Pontifex Bonifacius obtinuit, ut Sedes Romanæ Ecclesiæ, Caput omnium Ecclesiarum, quemadmodum reverà erat, declararetur. Ecclesia igitur Constantinopolitana jussa est, ut sic dicam, Matri cedere, & hoc titulo abstinere.

4. TIBERIO ANIMOSIOR.) In Occidente enim Tiberius nil memoriâ dignum gesserat, si excipias; quòd Romanis obsessis semel frumento subveuerit. Beda ait, hunc Principem majorem laudem pietatis, quàm militaris prudentiæ tulisse. Egregius tamen fuit: nam in Oriente Persas profligavit, eosq; intra fines suos, receptâ Mesopotamiâ, compulit, ut auctor est Paulus. Sed in eâ re fuit Mauritio inferior, quòd & Orientem, & Occidentem complecti non valuit.

5. CHILDEBERTO.] Hunc Regem L. millibus Solidorum Imperator Mauritius in Longobardos emerat, ut auctor est Paulus, libro III. cap. XVI. Cujus negotii certiores facti Longobardi, duodecim ad Mauritium Legatos, totidemque ad Guntranum, Childebertumq; Francorum Reges misère: partim ut pacem cum Imperatore facerent, partim ut amicitiam sibi Regum conciliarent. Amicitia verò ista tributo XII. millium Solidorum, ut tradit Annonius, impetrata est. An plures igitur tum temporis Francorum Reges? Quatuor, iique fratres, Clotharii filii: quorum primus Aripertus apud Parisios, Guntranus Aureliis, Childebertus inter Senones, Sigebertus Metis sceptra tenuerunt.

6. VNIVS RVRSVS POTESTATEM.] Aristotelis Politica sententia est, & passim usurpata: Πρώτη καὶ θειοτάτη ἡ βασίλεια: *prima & divinissima Regia Dominatio*. Nimirum ex Homerico præcepto,

——— εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.
——— *Herus unicus esto,*
Vnicus & Princeps.

Seneca lib. II. De Beneficiis, Brutum censet, *in aliis rebus magnum, in hac vehementer errasse, nec ex institutione Stoicâ se gessisse; qui Regis nomen extimuit, cùm optimus Civitatis status sit sub justo Rege.* Aliquid etiam in Elementis meis Basilicis notavi: hæc vide.

7. CREARE REGEM.] Paulus lib. III. cap. XV. *Ob restaurationem Regni, Duces, qui tunc erant, omnem substantiarum suarum medietatem Regalibus usibus tribuunt; ut esse possit, unde Rex ipse, sive qui ei adhærerent, ejusq; obsequiis per diversa officia dediti alerentur.* Eum censum tertio anno allatum in Palatium fuisse, scribit Iacobus Gualla.

HISTORIA.

1 AVTHARIS, Clephonis filius, insignia accepit, & difficillimo tempore egregiè tutatus est, majestatem quoque regiam 2 FLAVII cognominis adoptione commendans. Vt Regnum firmaret, 3 Iustitiam coluit: cùm armis hostilibus urgeretur, primum tamen vitiis bellum intulit. 4 Furta, rapinæ, cædes severissimè vindicatæ; nulla violentia, nullæ

insidiæ, nisi in hostem. Sic domi victor, nullam foris cladem timuit. Felices jam sub tali jugo Insubres, nisi majori velut morbo religio vacillasset. Sed frustrà humana constant, ubi divina turbantur; & pessimus ille morbus est, qui à capite promanat. Christiana sacra, sed cum errore, Rex amplexus, Arrii opinionem imbibit,[5] imò propagavit; summum numen coluit, ut tamen impius esset: sic verò & strenuè rem gessit, ut insidiis peteretur. Childebertum in se emptum, & jam effusum,[6] semel muneribus, iterumque, quia amplius Imperator dederat,[7] armis repulit: nec fortunam dimittens, citeriorem mox[8] Italiam pænè omnem Insubribus adjecit. Quiescere tamen Franci non potuêre: tanquam proximâ clade irritati, in Italiam redeunt,[9] copiisque divisis, agros passim populantur. In novâ trepidatione tertium[10] victoriæ genus Autharis commentus est, non pugnare. Suos ubique mœnibus clausit, impetum hostium sustinuit, levique morâ enervavit. Sparso per campos Francorum exercitui gravis Autumnus fuit; & qui arma Longobardorum adhuc non senserant, morbis vexati: stragem dysenteria, & in fugam simul reliquias copiarum dedit. Autharim igitur prospero successu rerum, recentibusque[11] Theodelindæ, Regiæ è Boïco sanguine puellæ,[12] nuptiis frustrà lætum, repentè[13] veneni insidiæ sustulerunt.

COMMENTARIUS.

1. AUTHARIS.] Rheginoni Otharius vocatur. *Erat,* Pauli verbis, lib. III. cap. XXXIX. *Iuvenili ætate floridus, statura decens, candido crine perfusus, & satis decorus aspectu.*

2. FLAVII COGNOMINIS ADOPTIONE.] Familia Flaviorum apud Romanos non admodum illustris fuit: sed postquam Vespasianus suâ ad Imperium virtute pervenit, à Reatinis, Comiteque Herculis, uti in omni novâ fortunâ assolet, antiquitas generis deducta est. Suetonius utrumque confirmat: *Gens Flavia, obscura illa quidem, ac sine ullis majorum imaginibus; sed tamen Reipublicæ nequaquam pœnitenda.* Et alibi: *Conantes quosdam originem Flavii generis ad Conditores Reatinos, comitemque Herculis, cujus monumentum exstat Viâ Salariâ, referre, irrisit.* Domitianum *Vltimum Flavium* appellat Iuvenalis. Nos etiam de FLAVIA DOMITILLA, ejusdem & nominis, & sanguinis Heroïnâ, imò, quòd gloriosius est, Martyre, Observatiunculam nuperrimè conscripsimus; imagine, ut sic dicam, pellecti & invitati,

cati, quam in Sardâ ſculptam cultiſſimæ eruditionis, & amici mei IO. IACOBVS, & PHILIPPVS CHIFFLETII, ille ex Archiatris Regiis, hic Protonotarius Apoſtolicus, & Sereniſſimæ Hiſpaniarum Infanti in Oratorio Regio à Sacris, ſervant: Viri in eo potiſſimùm occupati, ut ſciant pulcherrima, faciant optima, & eximiâ virtute doctrinaque clariſſimam Majorum ſuorum famam extendant. CHIFFLETII ſunt, & hoc ſatis, ut Regum Principumq; affectu digni judicentur: laudandi cum Flaviis, quia in flaviſſis ſuis omnem Flaviorum Antiquitatem,& quicquid præterea rarum eſt, poſſident. Ad Longobardos quod attinet,non ab illis Romanis,ſive Reatinis,Flavii cognomen aſſumpsêre; ſed potiùs ab Imperatoribus, qui poſteà rei Romanæ præfuerunt. Horum ferè primus fuit Conſtantinus Magnus: qui in antiquis monumentis ita legitur: IMP. CAES. DIVI CONSTANTII F. M. AVRELIVS VALERIVS FLAVIVS CONSTANTINVS, MAXIMVS, VICTOR, AC TRIVMPHATOR, PIVS, FELIX. Reliqui illius inhæſerunt exemplo, & cognomen FLAVIVM, in titulos nominaque ſua tranſtulêre: Faſtos producam, & ſeriem Flaviorum recenſebo.

IMP. CAESAR FL. IVLIVS CONSTANTIVS, PIVS, FELIX.

IMP. CAESAR FL. VALERIVS CONSTANS, PIVS.

IMP. CAESAR FL. MAGNENTIVS, PIVS.

IMP. CAESAR FL. IVLIVS CONSTANTIVS, PIVS.

IMP. CAESAR DIVI CONSTANTII SENIORIS N. FL. CLAVDIVS IVLIANVS, PIVS.

IMP. CAESAR FL. IOVINIANVS VARRONIANI F. PIVS.

IMP. CAESAR FL. VALENTINIANVS, PIVS.

IMP. CAESAR DIVI VALENTINIANI F FEL. PIVS.

Breviter, omnes uſque ad Momyllum Auguſtulum Oreſtis Patricii filium, cum quo Populi Romani Imperium Occidentale exſtinctum eſt, ſe FLAVIOS appellârunt. Longobardi igitur, quamvis Reges ſe ſcriberent, ne tamen viderentur Auguſtis quondam Occidentalibus inferiores, cognomine eorum aſſumpto, Flavii dici voluerunt.

3. IVSTITIAM.] Hac virtute, ut Macrobius ait: *Vir bonus primùm ſui, atque deinde Reipublicæ rector efficitur.* In Aphoriſmis noſtris lib. I. Politicorum Ariſtotelis, cap. II. *Civili Societate opus, ut homo tandem homo ſit; imò Iuſtitiâ opus, quæ virtus maximè Civilis eſt. A Iuſtitiâ autem judicia ſunt, felicitatis, velut munimenta; quæ leges opponunt moribus,& cives legibus obnoxios reddunt.*

4. FVRTA, RAPINAE.] Paulus lib. III. cap. XV. *Erat hoc ſanè mirabile in Regno Longobardorum: nulla erat violentia, nulla ſtruebantur inſidiæ, nemo aliquem injuſtè angariabat, nemo ſpoliabat, non erant furta, non latrocinia; unuſquiſque, quò libebat, ſecurus ſine timore pergebat.*

5. IMÒ PROPAGAVIT.] An dicam? Feſto Paſchæ, cùm ſacro lavacro operam Sacerdotes veteri Eccleſiæ ritu impenderent, juſſit omnes Longobardorum filios Hæreſi Arrianâ intingi. Videndus eſt ante omnes S. Gregorius, in libris Dialogorum.

6. SEMEL MVNERIBVS.] Paulus: *Cum innumera Francorum multitudine in Italiam ſubitò introivit. Longobardi verò in civitatibus ſe communientes, intra currentibus Legatis, oblatiſq; muneribus, pacem cum Childeberto fecêre. Qui cùm ad Gallias remeaſſet,*

measset, cognito Imperator Mauritius, quia cùm Longobardis fœdus inierat, solidos, quos ei ob Longobardorum detrimenta dederat, repetere cœpit. Sed ille suarum virium potentiâ fretus, pro hac re nec responsum reddere voluit.

7. ARMIS REPULIT.] Hoc secundum fuit bellum, quod Autharis cum Francis gessit. Nam licet Childebertus in Italiam exercitum contra Longobardos anteà misisset; non tamen ad manus ventum fuit. Nam Franci, & Alemanni inter se diffidebant. Quare sine memorabili aliquâ re omnes reversi sunt. Paulus lib. III. cap. XXVIII. *Imperator Mauritius Legationem misit ad Childebertum, mandans ei, ut quod priùs non fecerat, nunc contra Longobardorum gentem bellum susciperet, atque eos ab Italiâ removeret: qui nihil moratus exercitum ad Longobardorum debellationem in Italiam direxit. Cui Autharis Rex, & Longobardorum acies non segniter obviàm pergunt, pro libertatis statu fortiter confligunt. In eâ pugnâ Longobardi victoriam capiunt. Franci vehementer cæsi, nonnulli capti, plurimi etiam per fugam elapsi, vix ad patriam revertuntur; tantáque ibi strages facta est de Francorum exercitu, quanta usquam alibi non memoratur.*

8. ITALIAM PAENE OMNEM.] Rem idem Diaconus narrat, libro III. cap. XXXI. *Fama est, tunc eundem Regem per Spoletum Beneventum pervenisse, eandemq; regionem cepisse, & usque etiam ad Rhegium, extremam Italiæ civitatem, vicinam Siciliæ perambulasse, & quia ibidem intra maris undas columna quædam esse posita dicitur, usq; ad eam equo sedens accessisse, eamq; hastæ suæ cuspide tetigisse, dicens: Usque huc erunt Longobardorum fines. Quæ columna usque hodie dicitur persistere, & columna Autharis appellatur.* Tunc igitur Beneventanis Dux fuit impositus, cui nomen Zotonis fuit. Quomodò hæc civitas occupata sit, tradit Constantinus, libro de Administrando Imperio: sed scribit tempore Narsetis contigisse. In hanc sententiam: *His auditis persuasi Longobardi cum familiis Beneventum venêre, cumq; intrà Urbem illos admittere cives nollent, extra eam prope murum ad flumen habitârunt, ædificatâ Urbe parvâ, quæ Citta Nova, id est, nova civitas appellatur, constatq; etiam hodie. Intrabant verò etiam Urbem, & Ecclesiam; doloq; superiores facti, habitatoribus omnibus occisis, Urbem tenuerunt. Gladiis enim intra fustes occultatis, Ecclesiam ingressi, pugnâ excitatâ universos interemerunt. Et inde excursione factâ in omnem ditionem, eam themati Longobardiæ, subjecerunt.*

9. COPIISQUE DIVISIS.] Paulus lib. III. cap. XXX. *Childebertus iteratò in Italiam exercitum cum viginti Ducibus direxit. E quibus Audoaldus, & Olo, & Cedinus eminentiores fuerunt. Sed Olo cùm importunè ad Bilitionis castrum accessisset, jaculo sub mamillâ sauciatus cecidit, & mortuus est. Reliqui verò Franci cùm egressi fuissent ad prædandum, à Longobardis irruentibus passim per loca singula prosternebantur. At verò Audoaldus & sex Duces Francorum ad Mediolanensium urbem advenientes, ibi eminùs castra posuerunt. Quo loco ad eos Imperatoris legati venerunt, nunciantes, adesse exercitum in solatium eorum, dicentésque, pòst triduum se unà venturos: & hoc, inquiunt, vobis erit signum. Cùm videritis villæ hujus, quæ in monte sita est, domos incendio concremari, & fumum incendii ad cælos usque sustolli, noveritis nos cum exercitu, quem pollicemur, adventare. Sed expectantes Francorum duces diebus sex, juxta placitum, nullum ex his quos Legati Imperatoris promiserunt, venisse contemplati sunt. Cedinus autem cum tredecim Ducibus, lævam Italiæ ingressus, quinq; castella cepit, à quibus etiam sacra-*

sacramenta exegit. Pervenit etiam exercitus Francorum usque Veronam, & deposuerunt castra plurima per pacem. Nomina autem castrorum, quæ diruerunt in territorio Tridentino, ista sunt: Tesana, Maletum, Semiana, Appianum, Fagitanum, Cumbra, Vicianum, Brentonicum, Volanes, Ennemase, & duo in Alsucâ, & unum in Veronâ. Hæc omnia castra cùm diruta essent à Francis, cives universi ducti sunt ab iis captivi. Pro Ferruge castro intercedentibus Episcopis Ingenuino de Savione, & Agnello de Tridento, data est redemptio per caput uniuscujusque viri Solidus unus, usq; ad Solidos sexcentos. Sunt qui Ticinum à Papio Francorum Duce captum, appellari tum Papiam cœptum credant; alii aliam opinionem adferunt. Sed quomodo igitur Paulus scribit, Autharim Regem Ticini munimentis se inclusisse? Verba adjicio, ut simul reliquam hujus expeditionis fortunam repræsentem: *Cùm per tres menses Francorum exercitus Italiam pervagaretur, nihilq; proficeret, neque se de inimicis ulcisci posset, eo quòd se in locis firmissimis contulissent; neque Regem attingere valeret, de quo ultio fieret, quòd se intra Ticinensem munierat urbem, ut diximus; infirmatus aëris intemperantiâ, ac fame constrictus exercitus, redire ad propria destinavit. Qui revertentes, ad tantum famis penuriam perpessi sunt; ut priùs vestimenta, insuper etiam & arma ad emendum victum præberent, quàm ad genitale solum pertingerent.*

10. VICTORIAE GENUS.] Florum imitari libuit, lib. II. cap. VI. *Reviviscentis Imperii spes fuit Fabius, qui novam de Annibale victoriam commentus est, non pugnare.*

11. THEODELINDAE.] Filia hæc erat Garibaldi Regis Bojariæ, egregiâ formâ, & indole planè regiâ; ad quam visendam incognitus iter Autharis suscepit. Quid? vidit virginem, dignamque affectu invenit. Redeunti deinde commeatus à Rege datus est. Sed non priùs indicium sui fecit, quàm Italiæ fines attigisset. *Tunc enim*, Diaconus loquatur, *erexit se, quantum potuit, suprà equum, cui residebat, & toto annisu securiculam, quam manu gestabat, in arborem, quæ proximior aderat, fixit, eamq; fixam reliquit, adjiciens hæc insuper verba: Talem Autharis feritam facere solet. Cúmque hæc dixisset, tunc intellexerunt Bojarii, qui comitabantur, eum ipsum Regem Autharim esse.* Posteà Sponsæ suæ prope Veronam occurrit, eamq; sibi nuptiis copulavit.

12. E BOICO SANGUINE.] Bojorum Duces post Adalogerium Hunibaldi filium, qui in prælio cæsus est, anno Christi CCCC. XCIII. hac serie fuerunt: Theodo I. rebus gestis etiam adversus Romanos clarus: obiit anno IↃ. XI. Theodo II. cognomento Magnus, post varias victorias, vagis hactenùs Bojis sedes assignavit, legesque dedit: obiit anno IↃ. XXXVII. Theodo III. is Christiana Sacra amplexus est: obiit IↃ. LXV. Hujus tres filii, Theodebertus, Theodevaldus, & Vto, partem tantùm Bojariæ diviserant: obiit Theodebertus anno IↃ. LXXVII. Garibaldus Theodeberti filius, totam} sibi armis provinciam, pulso Tassilone Patruele, vindicavit, Regis nomen assumens. Hujus igitur filia Theodelinda Authari Longobardorum Regi in matrimonium collocata est.

13. VENENI.] Hæc magnorum pericula sunt. Alexander suis, scribente Curtio, lib. X. *Philippus in acie tutior, quàm in theatro fuit; hostium manus sæpe vitavit, suorum effugere non valuit. Aliorum quoque Regum exitus si reputaveritis, plures à suis, quàm ab hoste interemptos numerabitis.* Iuvenalis Satyrâ X.

Q — *soli-*

——— *non aconita bibuntur*
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata, & lato setinum ardebit in auro.

Seneca Hippolyto:

——— *solicito bibant*
Auro superbi: quàm juvat nudâ manu
Captasse fontem!

Seneca Thyeste:

Humi jacentem scelera non intrant casam;
Tutusq; mensâ capitur angustâ cibus.
Venenum in auro bibitur.

HISTORIA.

REGNI habenas uxor THEODELINDA, virili prudentiâ femina, meruit. Illa quod comitiis fieri non potuerat, novis nuptiis effecit: sibi maritum, Regem genti, [1] AGILULFUM,[2] Taurinatium Ducem, elegit. Prorsus ut virtutem, non virum quæsiisse videretur. Atque tam fortunatum conjugium non credenti Agilulfo anteà augur [3] prædixerat, cùm in manum Autharis primùm Regina veniret, stipite tum è septis tabernaculi, sive thalami, fulmine icto. Theodelinda non minùs pia quàm prudens, quo consilio fortem elegit Regem, eodem conatu ad veram [4] Religionem perduxit. Itaque Arrianorum error passim [5] explosus est, purusque Dei cultus apud Insubres resplenduit. Templa ac monasteria magnâ liberalitate restituta ac dotata; viri Religiosi in pretio habiti; Ecclesiarum Antistites, qui ubique jacuerant, ad pristinum auctoritatis fastigium evecti: atque ea Insubrum felicitas à D. Gregorio meruit celebrari. Quis neget majora jam Authari Agilulfum fecisse? Pietate fundatâ, & pace cum [6] Francis initâ, ad arma adjecit animum; sic quidem domi forisque felicia. Namque [7] rebelles domuit, [8] Romanum, & posteà Callinicum Exarchos acri bello compressit. Intereà Theodelinda iisdem velut virtutibus domi Reginam agens, tam generosè pacis fructum subditis ostendit, quàm gloriosè in hostes signa Agilulfus circumtulit: digna profectò, quæ maritum semper victorem haberet. Moguntiaci Regiam, templumque erexit, D. Ioanni Baptistæ sacrum, quem deinceps Tutelarem suum Longobardi habuerunt. Parùm verò, tam splendidis structuris ornare Regium nomen, nisi plus esset quod dedit. Inter alia munera, [9] ferrea quoque

corona.

corona, sed omni auro potior, quâ (si [10] Annalibus fides) novos Reges Archiepiscopus Mediolanensium insigniret. Atque hoc jus à D. Gregorio tributum Adeodato Antistiti dixeris; partim ut Ecclesiæ cresceret dignitas, partim in [11] Theodelindæ gratiam, quæ ad hoc solum regnare visa est, ut pietatem promoveret. Hinc à [12] Smaragdo, rursùs Exarcho, novus apparatus belli, sed mox confractus. Vinci Agilulfus non potuit. Externis quoque auxiliis instructus, quæ [13] Cacanus Rex Hunnorum è Pannoniâ submiserat, [14] Cremonam, [15] Mantuam, [16] Brixillum subegit: cùm debellare Italiam totam posset, [17] pacem pepigit; & [18] ad regnum jam promoto filio Adalvaldo, fatis concessit.

COMMENTARIVS.

1. AGILVLFVM.] Cognatus erat Regis Autharis, Ago quoque dictus, *Vir*, ut Paulus ait, libro III. cap. XXXIII. *strenuus & bellicosus, tam formâ quàm animâ ad Regni gubernacula coaptatus: cui statim Regina ut ad se veniret mandavit: ipsáque ei obviàm ad Laumellum oppidum properavit: qui cùm ad eam venisset, ipsa sibi post aliqua verba vinum propinari fecit; quæ cùm prior bibisset, residuum Agilulfo ad bibendum tribuit. Is cùm Regina, accepto poculo, manus honorabiliter osculatus esset, Regina cum rubore subridens, non debere sibi manus osculari, ait, quem osculum ad os jungere oporteret: móxque eum ad suum basium erigens, ei de suis nuptiis, déque Regni dignitate aperuit. Quid plura? Celebrantur cum magnâ lætitiâ nuptiæ.*

2. TAVRINATIVM DVCEM.] Medii ævi Scriptoribus, Taurinates & Taurinenses, Veteris verò, Taurini vocantur, & Taurisci, quasi Alpini. Alpes enim *Tauren* Celtæ appellabant. Regionis caput Taurinum, quæ Tacito, Plinio, Ptolemæo, Augusta Taurinorum, & Colonia Taurina. Quidam à Phaëtonte scilicet conditam, alii à Lamisano Noachi nepote fabulantur. Stephanus Grammaticus Massiliensium Coloniam facit, & Vrbem à Massiliensium insigni, Tauro, Taurinum esse dictam. Sita est ad ostium Duriæ, in Padum fluentis, formâ quadratâ, splendidis ornata ædificiis. Redacta in Ducatûs formam à Longobardis. His pulsis, in jus Regni Italiæ transiit; pòst, Francorum; inde, Marchionum Montisferrati; postremò, Principum Allobrogum.

3. PRAEDIXERAT.] Paulus lib. III. cap. XXIX. *Erat autem ibi tunc* (prope Veronam, in campo qui Sardis appellatur) *inter cæteros Longobardorum Duces* (qui cum Rege obviàm Theodelindæ venienti prodierant) *Agilulfus, Dux Taurinensium civitatis: quo in loco, cùm perturbato aëre signum quoddam, quod in Regiis septis situm erat, cum magno tonitruum fragore vi fulminis ictum fuisset, habebat tunc Agilulfus quendam de suis, Aruspicem puerum, qui per artem diabolicam, quid futurum portenderet ictus*

fulminum, intelligebat: is cùm secretè cum Agilulfo ad requisita naturæ resideret, eidem dixit: Mulier ista, quæ modò Regi nostro nupsit, tua non pòst multum tempus Conjux futura est. Quod ille audiens, caput se ejus amputaturum, si hac de re ampliùs aliquid diceret, comminatus est. Cui ille: Ego quidem, inquit, occidi possum: nam certè ad hoc ista in hanc Patriam femina venit, ut tuis debeat nuptiis copulari. Quod ita quoque pòst factum est.

4. RELIGIONEM.] Idem ille Scriptor lib. IV. cap. VI. *Per hanc Reginam multum utilitatis Dei Ecclesia consecuta est. Nam penè omnes Ecclesiarum substantias Longobardi, cùm adhuc gentilitatis errore tenebantur, invaserunt. Sed hujus salubri supplicatione Rex permotus, & Catholicam fidem tenuit, & multas possessiones Ecclesiæ Christi largitus est, atq. Episcopos, qui in dispersione atq. abjectione erant, ad dignitatis solitæ honorem reduxit.*

5. EXPLOSVS.] Proscriptâ Arrianorum hæresi, D. Gregorius ad Italiæ Episcopos ejusmodi Litteras dedit: *Quoniam nefandissimus Autharis, in hac, quæ nuper expleta est Paschali solennitate, Longobardorum filios in fide Catholicâ baptizari prohibuit, pro quâ culpâ eum divina Majestas extinxit, ut solennitatem Paschalem ulteriùs non videret; vestram fraternitatem decet, cunctos per loca vestra Longobardos admonere, ut quia ubique gravis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Arrianâ hæresi baptizatos ad Catholicam fidem concilient, quatenus super eos iram Domini Omnipotentis placent.*

6. FRANCIS.] Cùm Theoderico Francorum Rege pacem perpetuam Agilulfus feriit.

7. REBELLES.] Minulfum Ducem Insulæ S. Iuliani, Gaidulfum Bergomensem Ducem, Vulfarium Tarvisanum Ducem, nec non Mauritionem Ducem Perusinum.

8. ROMANVM.] Hic enim cùm simulasset se Romam negotii causâ profectum, in regressu Sutrium, Polimartium, Ortam, Tudertum, Ameriam, Luceolos; & Mauritionis operâ Perusiam occupaverat. Callinicus verò, qui ei successit, aliquot etiam Longobardorum Ducibus ad se traductis, Parmam invaserat, & Agilulfi generum, unà cum uxore, Regis filiâ, Ravennam abduxerat, Brixillumque à Longobardis desertum, firmo præsidio munitum tenebat.

9. FERREA.] Hanc auream fuisse Annales asserunt, verùm circulo ferreo interiore intextam. Miror Longobardos tam citò ab Hastæ insigni ad Ferream coronam passos se transferri. Certè, nisi pòst Carolum Magnum omnibus Italiæ Regibus solenne fuisset hac coronari, dubitarem de fide Annalium. Moguntiacum Paulo Moditiam dici, suprà annotavi. Modoetiam verò alii appellant.

10. ANNALIBVS.] Patriâ Mediolanensium linguâ conscriptis.

11. IN THEODELINDAE GRATIAM.] Hanc Pontifex omni genere officiorum prosecutus est. Nam epistolâ VII. lib. XII. congratulatur ei Adalvaldum natum; mittitque infanti munuscula: *Excellentissimo autem filio nostro Adalvaldo Regi transmittere Philateria curavimus: id est, crucem cum ligno Sanctæ Crucis Domini: & lectionem Sancti Evangelii, thecâ Persicâ inclusam.* Et subdit, piam liberalitatem in Gundebergam, sororem Adalvaldi, extendens: *Filiæ quoque meæ, sorori ejus, tres annulos transmisi, duos cum hyacinthis, & unum cum albulâ; quæ eis per vos peto dari, ut apud eos nostra charitas ex vestrâ excellentia condiatur.*

12. SMARAGDO.] Agilulfus, Parmæ, & Brixilli occupatione irrita-

Irritatus in Romanos arma movit, & Antenoris Vrbem Patavium, Montemque Silicis suæ ditionis fecit. Quâ re intellectâ Mauritius, iratus Callinico, quòd munitam civitatem à Longobardis salvam non præstitisset, submisit ei Smaragdum cum supplemento copiarum: qui confestim Cremonam & Mantuam valido præsidio firmavit; & aliquo interjecto temporis intervallo, Ferrariam nobilissimam Vrbem condidit.

13. CACANVS REX.] Hunnorum, qui Avares tunc quoque appellati, ut indicat Paulus lib. IV. cap. XXVII. His Longobardi Pannoniam, inde abeuntes, concesserant. Iisdemq; nuper Agilulfus fabros navium miserat, ut Insulam quandam in Thraciâ expugnarent. Copias verò, quas Cacanus auxilio miserat, è Sclavis fuisse, idem Paulus asseverat.

14. CREMONAM.] Civitas est notissimæ apud omnes famæ, vicina Pado, & perantiqua. Vetera Chronica tradunt aliquando Trojam fuisse appellatam, & ab Hercule in memoriam victi ad Padum Gigantis conditam, matrisque nomine *Clemonam*, & tandem lapsu temporis Cremonam dictam. Colonia Romanorum facta fuit, T. Sempronio, & P. Cornelio Coss. ingruente in Italiam Hannibale. Civilibus bellis fuit infelicissima: tam Vitellii & Vespasiani, ut Tacitus in Historiis suis prodit; quàm Antonii & Octaviani. Fractis verò Romanorum rebus, à Gothis miserè fuit habita. His ejectis, cùm Longobardorum sceptrum ad Agilulfum pervenisset, ad solum usque fuit destructa, ut Paulus tradit. Posteà sicut plerçque in illâ Regione Vrbes, libertatem sub Imperii Romani nomine nacta fuit; sed eam mox Guelforum & Gibellinorum insanis factionibus amisit, & Palavicinos, Doverianos, Cavalcobosq; dominos tulit. Tandem Carolo V. cum omni Insubriâ cessit. Hodie ædificiis, & plateis est splendidissima. Arcem habet validam; & Turrim, quæ inter Italiæ mira solet referri.

15. MANTVAM.] A Manto Tiresiæ vatis filiâ conditam nonnulli volunt. Virgilius ab Ocno Bianore Tuscorum Rege, & Matris ipsius Mantûs nomine fuisse appellatam.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs, & Tusci filius amnis,
Qui muros, matrisq; dedit tibi Mantua nomen:
Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni
Ipsa caput; populis Tusco de sanguine vires.

Posita est in mediis paludibus, quas Mincius creat; nec nisi pontibus se adiri patitur. Reipublicæ nomine in antiquo lapide gloriatur. Partem agri sub Triumviris amisit. Hinc Virgilius:

Mantua væ miseræ nimiùm vicina Cremonæ.

Hanc Gothi, & posteà Longobardi, pugnante Agilulfo, Romanis eripuerunt. Paulus lib. IV. cap. XXIX. *Pari etiam modo expugnavit Mantuam; & interruptis muris ejus arietibus, dedit veniam militibus, qui in eâ erant, revertendi*. Porrò ad Imperatores, ac deinde ad libertatem venit: sed Othone II. Imperante, Theobaldo Comiti Canossano in munus cessit. Hinc Sordellorum, & Bonacolsiorum, ac tandem Gonzagarum fuit. Quorum tandem? Templis, ædificiis, Curiâ, Palatio, & multis Antiquitatis monumentis hodie commendatur.

16. BRIXILLVM.] Romani fugientes huic oppido ignem subjecerant. Situm est ad Padi ripam, &

pari quasi nomine hodie dicitur.

17. PACEM PEPIGIT.] Nam & filiam à Romanis recepit; & duodecim millia Solidorum. Beatus Gregorius in epistolâ ad Theodelindam: *Paternâ prætereà charitate persolventes salutationis officium, petimus, ut Excellentissimo filio nostro, Conjugi vestro, pro nobis de factâ Pace gratias referatis, atque ejus animum, sicut consuevistis, ad Pacem de futuro per omnia provocetis*. Hujus Pacis caussâ, irrisus anteà à Tiberio Imperatore Vir Sanctus fuerat: tanquam fœdus cum Longobardis iniri haud posset, & Gregorii simplicitas rei perficiendæ impar esset. Audite Pium Antistitem, lib. IV. Epist. XXXI. *In Serenissimis jussionibus suis Dominorum pietas, dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minimè pepercit. Nam in eis urbanæ simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. In Scripturâ enim sacrâ, cùm in bonâ intelligentiâ ponitur simplicitas, vigilanti sæpè prudentiæ atque rectitudini sociatur.*

18. AD REGNVM.] Paulus lib. IV. cap. XXXI. *Sequenti æstate, mense Iulio, levatus est Adalvaldus Rex super Longobardos, apud Mediolanum, in Circo, in præsentiâ Patris sui Agilulfi Regis, astantibus Legatis Theodeberti Regis Francorum, & desponsata est eidem Regio puero filia Regis Theodeberti, & firmata est pax perpetua cum Francis.*

HISTORIA.

THEODELINDA tum quoque digna, quæ [1] cum filio regnaret. Et ut scires à feminâ tempora pendêre, totum [2] sine armis decennium actum est: nec virum defuisse, nemo bellum timuit. Populus, tanquam Religione mitescerer, exuere barbariem cœpit; & quia exemplo præibant Reges, cultum in mores ipsa Pietas derivavit. Sed tam blandè ridentem felicitatem [3] amentia Adalvaldi interrupit ac fœdavit: eò gravior, quia crudelis. Partim morbo, partim pravis Rex consiliis præceps, quod in pace insolens, fudit sanguinem, & in ipsos Primores cæde grassatus est. Duodecim è medio sublatis, reliqui à metu odium concipiunt, & conspirant. Quid enim? Tumultu concitato, tam acriter tyrannum insanientem dejiciunt, quàm benignè [4] Regem puerum evexerant.

COMMENTARIVS.

1. CVM FILIO REGNARET.] Nova hæc velut Amalasuenta fuit; quæ vel ideò gestare sceptrum meruit, quia dignum sceptro filium conata reddere. Et quid sexum igitur à Majestate sequiorem removemus? In Elementis meis Basilicis, quæ Alphabetum possis Principum

cipum appellare, non frustrà leges: *Viriles sæpè in feminis animi. Interdum ipsæ tanquam viri; & quia virilibus curis feminarum vitia exuunt, sceptro, ac diademate digna.* Exemplis ne indigeam, ipsa omnium virtutum inclyta imago, Serenissima ISABELLA CLARA EVGENIA facit; quæ nullam non perfecti Principis partem quacumque occasione exprimit, sedula, sollicita, indefessa, & tanquam mulier non esset. Ad pacem nata, belli molem viriliter sustinet: hanc etiam regendo felicitatem consecuta, ut colatur à subditis, timeatur ab hostibus, laudetur ab utrisque. Vive Heroïna Optima, Majorum tuorum Majestate dignissima, & ferocem tandem Martem compesce. Cedent, favente Numine, Pietati tuæ, quæ vel armis, vel consiliis ardua sunt, & remotâ ab obsequio populorum feritate, victuram nominis tui apud omnes posteros gloriam, ultra Amalasuentas & Theodelindas extollent. Ego nunc quidem, ne tacitus virtutes tuas præterirem, manu hîc saltem consignare quoddam velut encomii rudimentum volui; ut in rebus nostri ævi, quantum persolvi honori tuo debeat, stili ingeniique conamine experiar.

2. SINE ARMIS.] Felix Regnum, quod pace fruitur: pax optima, quæ Religione floret. Tantum femina potuit, sed Theodelinda: quia pia fuit: tantum puer, sed Adalvaldus; quia sub imperio esse matris non recusavit. Sic non grave Longobardis, vel à feminâ, vel à puero regi; quies erat: per quietem autem faciliùs ad virtutem & pietatem trahebantur. Templa igitur passim apud Insubres hoc tempore structa, ornata, dotata; Sacra & Sacerdotes provecti: quemadmodum peculiariter D. Io. Baptistæ (hunc Tutelarem Longobardorum esse in ipsâ Historiâ, & rebus Agilulfi, dixi) Donationis tabulæ oblatæ sunt, quæ adhuc exstant: *Offert gloriosissima Theodelinda Regina cum filio suo Adalvaldo Rege S. Ioanni Patrono suo, de dono Dei, & de dotibus, tabulas suæ Donationis, quæ in suorum præsentiâ scribi jussit. Siquis quolibet tempore has testes voluntatis suæ corruperit, is judicii extremi die cum Iudâ proditore damnetur. Bonis S. Ioannis nullo modo se debeat aliquis immiscere, nisi tantùm Sacerdotes, qui ibi serviunt die ac nocte, tantumque famuli & famulæ, qui ibi subjecti sunt, communiter debeant vivere.* Hoc etjam tempore, quod omittendum non est, in Italiam S. Columbanus venit, & à Theodelindâ benignè exceptus, *Cœnobium, quod Bobium appellatur* (verba Pauli sunt, lib. IV. cap. XLII.) *in Alpibus Coctiis ædificavit.* Caussam hujus adventûs exprimit Otho Frisingensis in Chronico, lib. V. cap. VII. *Eâ tempestate vir Dei Columbanus, natione Scotus* (sic Hibernos appellatos invenio) *Luxoviensis Abbas, à Brunehilde Burgundionum Reginâ, eò quòd eam de pessimis operibus ac maleficiis zelo Dei argueret, tanquam justus Helias à Iezabel gravem persecutionem passus, monasterium mutare, ac in Italiam, ad locum, qui Bobium dicitur, transire, ibique usque ad diem obitûs sui manere compellitur.* Adjunge Martyrologium Romanum, XI. Kal. Decemb. *In Monasterio Bobiensi depositio S. Columbani Abbatis, qui multorum Cœnobiorum fundator, plurimorum Monachorum extitit pater, multisque virtutibus clarus, in senectute bona quievit.*

3. AMENTIA ADALVALDI.] Eusebius, Heraclii Imperatoris Legatus, ut nonnulli tradunt, Adalvaldo à balneo exeunti venenum, tanquam salutiferum liquorem porrexit; quo epoto, Rex impos mentis factus est: nec intra mitem se insaniam

ſaniam morbus continuit. Hac occaſione miſerum idem ille Pelagius adoleſcentem perverſis conſiliis aggreſſus eſt, impulitque, ut, ſecuritatis ſcilicet cauſsâ, Longobardorum Principes neci daret. Dare cœpit, & in ruinam ipſe majeſtatis ſuæ faſtigium traxit. Familiare verò Græcis eâ tempeſtate, poculis medicatis pugnare. Quippe Ajonem quoque Beneventani Ducis filium natu maximum, regnante Rothare, iiſdem artibus dementatum eſſe, Paulus ſcribit, lib. IV. cap. XLIV.

4. REGEM PUERUM.] Rex eſſe cœpit, etiam ante rationis uſum: & rursùs eſſe deſiit, cùm mentem & rationem adoleſcens amiſiſſet. Sed cùm Agilulfo ſatis non eſſet, filium habere, niſi & ſucceſſorem faceret; Mediolani in Circo Regem eum proclamari, & capere ornamenta quoque Regia voluit, quemadmodum è Paulo anteà oſtendi. Id verò factum anno Chriſti IↃC. IV. menſe Iulio, cùm & Theodeberti Francorum Regis Legati tam ſollenni ſpectaculo intereſſent. Rex igitur fuit cum Patre decem quaſi annos, ac deinde cum Matre decem.

HISTORIA.

NON alia [1] matris quàm filii fortuna fuit, ſceptro [2] in ARIOVALDUM tranſlato. Atque dignum hunc Regno uxor Gundeberga fecerat, quia Regis Agilulfi & Theodelindæ filia; cùm & ipſa aliquid videretur [3] à matre adferre. Sed Ariovaldum initio regni, turbo quidam ſeditionis agitavit, factione Procerum concitatus, quorum pars aliqua, & [4] pleriqu Antiſtitum, pro Adalvaldo adhuc ſtabant; ſive in Theodelindæ gratiam, ſive Religionis affectu, à novo Rege, Arrianâ tabe infecto, alieni. Quid tamen eſt? Cauſſa, quia auxilio caruit, deſerta eſt. Ariovaldus, vindicato ſibi Regno, pacem coluit; ſed quod omni bello gravius, [5] veræ Pietatis hoſtis fuit. Igitur apud Inſubres iterum Arrianiſmus pullulavit, & per quietem temporum vires recepit. Ariovaldus, poſtquàm ſolâ paucorum annorum impietate ſtrenuus fuiſſet, conjuge relictâ [6] Gundebergâ, deceſſit.

COMMENTARIUS.

1. MATRIS,] Baronius in Annalibus ſuis, obiiſſe Theodelindam exiſtimat, priuſquam Regno Adalvaldus exueretur: alii contrà, cum filio matrem ſimul pulſam eſſe; quæ & mihi opinio placuit. In medium verba Pauli produco, lib. V. cap. XLII. quæ in hanc quidem partem videntur præponderare. *Agilulfus Rex poſtquam viginti quinque annos regnaverat, diem clauſit extremum, relicto in Regno filio ſuo Adalvaldo, admodum*

modum

modum puero, cum Theodelindâ matre. Sed cùm Adalvaldus eversâ mente insaniret, postquàm cum matre decem regnaverat annis, de Regno ejectus est. Nihil hîc de morte matris; sed cum eâ filium decem vixisse & regnasse annis, ab Agilulfi nimirum obitu. Sanè Episcopi, qui Adalvaldo favebant, omnia videbantur Theodelindæ caussâ agere; rati non desipere filium, quamdiu talis superesset mater, & præesset. Frustrà tamen omnes hi conatus fuêre: fastigium suum Rex novus obtinuit. Theodelinda autem, ut Sigonium hîc sequar, sequenti mox anno, cûm nulla recuperandę dignitatis spes reliqua esset, & omnia impietas occuparet, mœrore contabescens extincta est.

2. IN ARIOVALDVM.] Taurinatium hic Dux erat, electus ad Regnum, quia Agilulfi & Theodelindæ filiam, Adalvaldi sororem, Gundebergam, uxorem duxerat. Hoc erat jure affinitatis evehi, si vivere tamen priùs, quàm regere Adalvaldus desiisset. Fatetur Paulus, *de hujus Regis gestis nihil ad suam notitiam pervenisse*. Et quid igitur dicemus?

3. A MATRE.] Maternæ pietatis æmula fuit. Nam *sicut illa*, ne à Pauli verbis abeam, *Moditiæ: sic & ista in Ticinensi civitate Basilicam in honorem B. Ioannis Baptistæ construxit, quam mirè ex auro & argento, peplisq́; decoravit, rebusq́; singulis optimè ditavit: in quâ & ejus corpus tumulatum quiescit.*

4. PLERIQVE ANTISTITVM.] Honorius ipse Pontifex auctoritatem suam interposuit, & pro Adalvaldo restituendo egit. Sed armis & exercitu opus erat, quem cùm magis promitteret, quàm pararet Isaacius Exarchus; Ariovaldus, residente factione, prævaluit, & novi Regis fortunam omnes secuti sunt.

5. VERAE PIETATIS HOSTIS.] Ionas Abbas in rebus gestis S. Bertolfi, hęc de Arriano Rege tradit: *Cùm aliquo tempore Bladulfus Presbyter, à Beato Patre Attalâ ad Vrbem Ticinum directus fuisset, obvium habuit Ariovaldum Regem Longobardorum, Arrianæ sectæ credulum. Is ergò cùm vidisset Bladulfum Presbyterum, ait ad suos: De Columbani monachis iste est, qui nobis salutantibus apta denegant respondere. Cumq́; jam haud procùl abesset Presbyter, salutavit eum Rex, ironicè tamen. Ad hæc Bladulfus: salutem, inquit, optarem tuam, si tu seductoribus tuis non faveres, & alienis à veritate Christi doctrinis animum non accommodares. Iustum etenim esset, ineffabilem Trinitatem unâ Deitate confiteri, non tres potestates, sed tres personas; nec unam trium nominum personam, sed tres in veritate, Patris, & Filii, & Spiritus sancti personas, unâ voluntate, potestate, & essentiâ. Hæc paullisper audiens Rex, cùm progressus fuisset, iracundiâ succensus, questus est, se non habere ministros, qui, obruente noctis caligine, monachum illum, ita contumaciter in conspectu suo locutum, sollicitarent, & fustibus ac sudibus confectum morti traderent.* Hunc tamen Regem in eodem Scriptore comperio haud totâ crudelitate in Orthodoxos debacchatum fuisse: sed facilem humanumque, nisi contumaci dicto factoque offenderetur. Confusè quædam producam: *Proculus Cleroneus Vrbis Pontifex, ut subjectum sibi Bertoldum Abbatem Bobiensem cum Cœnobii supplemento faceret, omni nisu intendebat, vicinosq́; Pontifices, & alios quoslibet Primates ad id peragendum muneribus attentabat. Super ea quoque re adiit Ariovaldum Regem Longobardorum, qui eodem tempore regnabat. Sed cùm nihil aliud à Rege responsi accepisset, nisi ut Ecclesiastico jure probaret, utrùm Cœnobia procùl ab Vrbibus sita Episcopali debeant ministrari dominio; ille omnes quos potuit suo intentui jungit. Cumq́; hæc agerentur, unus ex Aulâ, Bertoldo totius*

machinamenti caussam per internuncium manifestavit. At ille statim experiendi caussâ, quosdam de pueris suis direxit ad Regem. Quibus Ariovaldus inter alia respondit: Non est meum Sacerdotum caussas discernere, quas Synodalis examinatio ad purum debet judicare. Et posteà: *Sciscitantur illi qui à sancto Abbate missi fuerant, Utrùm Rex fautor esse velit prædicti Episcopi, an Abbatis sui? Ad quod Rex, nequaquam se, ait, illis favere velle, qui famulo Dei molestias aliquas, aut injurias vellent irrogare.*

6. GUNDEBERGA.] Gundebergam istam, Agilulfi & Theodelindæ filiam, Rodoaldi fuisse uxorem, è Paulo Onufrius censuit: quod quomodò consistat, equidem non video. Ætatis ratio, nequid prætereà dicam, nónne repugnat? Gundebergam fratre Adalvaldo majorem fuisse, è verbis D. Gregorii, suprà laudatis, manifestum est. Etenim cùm scriptâ ille epistolâ Theodelindæ Adalvaldum enixæ bene precaretur, etiam Gundebergæ meminit. Iam verò Adalvaldus partim cum patre, partim post patrem, annos ferè regnavit XX. Ariovaldus deinde XII. Rotharis XV. Hujus tandem filius Rodoaldus, de quo agimus, ad Regnum evectus est, & uxorem, si Diis placet, Gundebergam duxit. Ita Paulus lib. IV. cap. XLIX. *Rodoaldus igitur post funus patris Longobardorum Regnum suscipiens, Gundebergam, Agilulfi & Theodelindæ filiam, in matrimonium sociavit.* Et quâ igitur ætate? grandævam & effœtam. Si rectè calculum ponis, anno uno saltem aut altero fratrem Adalvaldum Gundeberga superavit: & Adalvaldus priusquàm Rex fieret, quia puer, sexennis vel octennis, vel etiam major erat. Adjice tempus, quo regnavit, quo deinde Ariovaldus, quo Rotharis; & annos quasi LX. colliges. Hæc illa sponsa novi Regis fuit, si Paulo credimus: & ponamus fuisse: in hac verò ætate formam & florem illicito amore dignam invenire Adalulfus potuit, vir inter Longobardos primi, ut sic dicam, splendoris? Nugæ. Ariovaldi conjux Gundeberga fuit, & dignum Regno, ut in Historiâ scripsi, maritum fecerat: cujus deinde pudicitia (ô memorabile exemplum!) singulari certamine, & vetusto Longobardorum more asserta est. Operæpretium est, rem distinctiùs enarrare. Adalulfus quidam, summo tum apud Regem loco, stupri repulsam, non sine convicio, à Gundebergâ retulerat. Is castæ iram veritus, novo scelere obtegere flagitium ausus est, & innocentem feminam adulterii, nec non insidiarum apud maritum accusavit: Thoro violato, jam quoque Regnum peti: tantumque nefas à Tatone esse, Etruriæ Duce, potente & formoso. Credit Rex, & innoxiam Amelli arce claudit: ubi toto triennio tanquam rea detinetur. Rex tandem Francorum Clotharius pro affini suâ missis Legatis intercedit, postulatque, ut cum accusatore armis decernatur. Id placuit, dies dicta est; & Carellus quidam, qui, referente Paulo, lib. IV. cap. XLIX. Reginæ operam suam addixerat, in certamen venit, Adalulfum confodit, ferroque caussam perorat. Gundeberga verò è carcere ad Regiam, velut de hoste triumphans, rediit; post injuriam clarior, quia sibi & marito, quodque majus, innocentiæ restituta. Existimant aliqui, hac occasione templum, de quo dixi, structum dotatumque Ticini fuisse, & in sexûs mulíebris honorem *S. Joannis Dominarum* appellatum. Monomachiam verò sic in usu eo tempore fuisse, quid miramur? De Germanis Vellejus Paterculus scribit, lib.

lib. 11. *Solita apud eos armis discerni, quæ Romana disciplina jure terminaret.* Sed præcipuè tamen Longobardi hac in re Barbari fuêre, judicia ab armis exigentes. Bernardinus Saccus, quod cognomen adhuc exosculor, venerorque, lib. ix. Ticinensis Historiæ, cap. VIII. tres tam feri moris caussas adfert: Primam, ob legum defectus, quibus cæcæ & ambiguæ lites solverentur: secundam, quia Majores eorum isto modo caussas decidebant: tertiam, ne simultas duorum, plures familias affines, ad pugnam traheret. Itaque remedii loco in Edictum introductum est duellum, quod sollennia quoque sua habebat; quomodocumque usurpes, cum Barbarie conjuncta. Verbis Bernardini inhærebo: *Certamine à Iudice decreto, Rex statuere tempus, & locum pugnandi utrique consueverat; qui locus Campus vocabatur, undique tabulis circumseptus, quibus aditus tantùm, non prospectus adstantium impediebatur, Campoq́ custodiendo milites præficiebantur. Arma pugnaturi paria adferebant; videlicet gladium & scutum, eâ formâ, quâ uti in bello mos erat, & quæ alia ferre utrique tela collibuisset, ferebantur. Prodeuntibus ad pugnæ locum socii aderant, qui certandi periti, monita suo quisque pugili repetebant, quo actu se tueri, quo ictu inimicum lædere, se salvo, posset: qui socius Parentis nomen ab officio obtinebat, hodiéque etiam Patrinus dicitur. Aderat etiam alter socius, vel comes arma ferens, qui Collibertus appellabatur. Pervenientibus ad locum certaminis, si suspicio contigisset, alterutrum maleficis artibus instructum esse, inquisitio ad Iudicem Campi spectabat. Certaminis finis frequenter erat vulnus alterius, sine mortis casu, arbitrio Iudicis.* Reperio quoque in Edicto Luitprandi Regis, potestatem pugnæ alicui factam, ob solam suspicionem. Carolus Magnus in Legibus suis permittit, Accusatorem & Defensorem fustibus caussam dicere: credo, ut Longobardos, quorum leges non abolevit, ad mitiorem consuetudinem alliceret. Rotharis ipse Longobardorum & Rex & Legislator, Monomachiam, quam abolere non poterat, restringere alibi voluit: *Injustum videtur, ut qualibet caussa sub uno scuto committatur.* Et posteà Luitprandus: *Incerti sumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justâ caussâ perdere caussam suam: attamen propter consuetudinem gentis nostræ, impiam legem vitare non possumus.* Sed, proh dolor! adhuc durat hæc apud Christianos feritas, & spretis legibus, tam divinis, quàm humanis, conservandi vel recuperandi scilicet honoris caussâ usurpatur. Quando tandem homines erimus? Acriori stilo universum hoc nobis aliquando genus confodiendum est: nunc ad Historiam redeamus.

HISTORIA.

HVIC, ut anteà Theodelindæ, Regis legendi optio data; & mulieris judicio, an potiùs affectu? sceptrum [1] ROTHARIS obtinuit, ille [2] Arrianæ hæresi pertinaciter addictus. Omninò rediisse Ariovaldus videbatur. An dicam? perniciosior etiam, quia errori arma junxit. Sic quantum vicit, impietati adjectum est. Cottiæ Alpes, & Opitergium,

aliaque nonnulla oppida militiâ & imperio Exarchi tenebantur: hæc omnia infesto exercitu perdomuit. Inde translatâ 3 in Æmiliam tempestate belli, 4 non procul Mutinâ octo Romanorum millia cecidit: quâ victoriâ tanquam debellatum esset, aliquamdiu ab armis Exarchi cessaverunt. Tum verò, ut aliquid in otio Rex ageret, Longobardorum leges tabulis mandavit, quæ eousque solo usu viguerant. Quippe consuetudine firmata erat Iustitiæ religio, & 5 superfluam scripturam mores fecerant. Hi tamen ut durarent boni, scribere leges, & obiter augere libuit: totumque illud litteris consignatum jus, 6 Edicti nomen accepit.

COMMENTARIVS.

1. ROTHARIS.] Reginoni Rotharius appellatur: Pauli verbis, *genere Arodus, fortis viribus, & Iustitiæ tramitem sequens.*

2. ARRIANAE HAERESI ADDICTVS.] Mirum est, quod à Paulo notatur, lib. IV. cap. XLIII. *Rotharis hujus temporibus penè per omnes civitates Regni duo Episcopi erant: unus Catholicus, alter Arrianus. In civitate quoque Ticinensi usque nunc ostenditur, ubi Arrianus Episcopus apud Basilicam Sancti Eusebii residens baptisterium habuit.*

3. IN ÆMILIAM.] Apud flumen Scultennam, ut Longobardus noster scribit, lib. IV. cap XLVII.

4. NON PROCVL MVTINA.] Vrbs est Æmiliæ, sive Longobardiç Cispadanæ. Attingitur Formigine torrente, & Tuscos conditores agnoscit. Q. Fabio Labeone, M. Claudio Coss. in Coloniam versa est. Octaviani, Antonii, & Lepidi Triumviratu miserè fuit afflicta, deinde à Gothis, & Longobardis planè deleta; sed Imperante Carolo Magno à nonnullis civibus suis cœpta instaurari, loco nonnihil à veteri, ominis causâ, remoto. Tanta mox incrementa sumpsit, ut fortunam rursùs irritârit. Quid enim? libertatem, charissimum vitæ humanæ pignus, Atestini Vrbi jam florenti adimunt, Mirandulani deinde, auctoritate Cæsaris, imperant. Posteà Guelforum factione Bonacolsiis, Piisq; paruit. Nec sic quieta, nisi & Atestini, & Pontifices, & Cæsares iterum pro eâ bellarent. Armis tandem Atestinorum recepta, sub benignis dominis felicitatem invenit: nam ædificiis, muris, fossis, aliisq; ornamentis, aucta, locupletataque fuit, tanquam majori etiam titulo destinaretur. Sanè Principem & Ducem suum tandem accepit, ut cujus potestatem sustinebat, ejus tutelà frueretur. Mihi in hac urbe nosse & amare HORATIVM VECCHIVM, suavissimum Musices Genium, aliquando contigit, dignum cælorum harmoniâ, qui, dum vixit, terram divinâ arte implevit.

5. SVPERFLVAM.] Rectè Horatius lib. III. Od. XXIV.

Quid leges sine moribus vanæ proficient?

6. EDICTI.] Non tam leges Rex Autharis, quàm tabulas confecit,

tit, nomen Edicti usurpans. Procemium ejus, & clausulam hic adjungo: *Incipit Edictum quod renovavi cum Primatibus meis Iudicibus, ego in Dei nomine Rotharis Rex, Vir excellentissimus, septimus Rex gentis Longobardorum, anno Regni mei, Deo propitio, VIII. ætatisq; meæ XXXVIII. Indictione secundâ, & post adventum in provinciam Italiæ Longobardorum, ex quo Alboinus tunc temporis Rex, procedente clementiâ Divinâ advenit, anno LXXVI. feliciter datum Ticini in Palatio. Quanta pro subjectis, nostrisq; nostra fuerit solicitudinis cura, vel sit, subter annexatio vel norma declarat. Tam propter assiduas præcipuè fatigationes pauperum, quàm etiam propter superfluas exactiones ab iis, qui majorem virtutem habent, quos vim pati cognovimus, ob hoc considerantes Dei Omnipotentis gratiam, necessarium esse perspeximus, præsentem corrigere, & componere Legem, quæ priores omnes removeat, & emendet, & quod deest adjiciat, quod superfluum est abscindat, in uno prævidimus volumine complectendam: quatenus liceat unicuique, salvâ Lege ac Iustitiâ, quietè vivere, & propter operationem contra inimicos laborare, suosq; fines defendere.* Ad clausulam venio: *Præsentis verò nostræ dispositionis Edictum, quod Deo propitio, cum summo studio, ac summis vigiliis, & cælesti favore præstitis inquirentes, & rememorantes, antiquas Leges Patrum nostrorum, quæ scriptæ non erant, condidimus; & quæ communibus omnium gentis nostræ utilitatibus expediunt, pari consilio, pleriq; consensu cum Primatibus, Principibus, cunctoque felicissimo exercitu augentes constituimus, & in hoc membrano scribi jussimus, pertractantes, & sub hoc tamen capitulum reservantes; ut quod adhuc Divinâ annuente Clementiâ, per subtilem inquisitionem de antiquis legibus Longobardorum, tam per nosmetipsos, quàm per antiquos homines memorare poterimus, in hoc Edicto subjungere debeamus: addentes quin etiam, & secundum ritus Gentis nostræ confirmantes, ut sit hæc lex firma, & stabilis, quatenus nostris felicissimis temporibus, & futuris, firmiter & inviolabiliter ab omnibus nostris subjectis custodiatur. Et hoc addimus ac decernimus, ut caussæ quæ finitæ sunt, non revolvantur: quæ autem finitæ non sunt, à præsente XXII. die mensis hujus Novembris inchoatæ, aut ortæ fuerint, per hoc Edictum emendentur, ac finiantur. Et hoc generaliter damus in mandatis, ne aliqua fraus per vitium Scriptoris in hoc Edicto adhibeatur. Si aliqua fuerit intentio, nulla alia exemplaria credantur, aut suspiciantur, nisi quod per manus Ansualdi Notarii nostri scriptum, aut recognitum est, & revisum: quia per nostram jussionem scripsit.*

HISTORIA.

ROTHARIM [1] RODOALDVS filius insecutus est, & pacem, quam invenit, stabilivit; ut Regni, sic erroris paterni heres. Sed nemo solâ hæresi malus fuit: [2] impietas sceleribus stipata incedit, non suæ tantùm pœnæ obnoxia. Vnde & Regem ipsum peccantem vindicta excepit, qui libidini indulsit, ut injurius esset. Crimen & exitium confer: [3] stuprum matronæ Longobardæ intulit. Sic cùm priùs suam

ipsius majestatem, quàm alienam mulierem libidine violasset, & Rex jam mœchus contemni posset, à marito, adulterii vindice, interfectus est.

COMMENTARIVS.

1. RODOALDVS.] Obscurus hic esse poterat, nisi impietate & libidine innotuisset. Pace, ut sic dicam, abusus est, similis nescio patri, an dissimilis. Sanè in oppugnandis Episcopis Orthodoxis occupatus fuit; idem pater egerat: non labores, sed voluptates quæsivit; at pater bello strenuus, postquam ad otium venit, invenit quod ageret; ampliusque putavit quoque, leges scribere, quàm pugnare.

2. IMPIETAS SCELERIBVS STIPATA.] Maximum hoc malum est; & reliqua omnia in se continet. Fontem puta, & hinc vitiorum rivos fluere. Facilè enim in homines & humana peccat, qui Deum & divina non veretur. Nescio quis apud Stobæum: *Malorum inventrix est Impietas, & ad aggrediendum longè audacissima*. Vt omnia audeat, ante omnia pudorem ejicit: sed

——— quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Ejectum semel attritâ de fronte ruborem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio.

3. STVPRVM.] Singulare hoc exemplum est, quod Regibus omnibus Principibusque proponatur: nec possum hanc improbitatem, nisi Tragœdiam appellare. Quia libidinem Rodoaldus non coërcuit, breve Regnum, brevemque vitam fecit. Paulum audiamus, lib. IV. cap. L. *Rodoaldus quoque, ut fertur, dum uxorem cujusdam Longobardi stuprasset, ab eodem interfectus est, postquam septem diebus, & quinque regnaverat annis.* Florus meus, nónne ad rem de Tarquiniis scribit? *Tamdiu superbiam Regis Populus Romanus perpessus est, donec aberat libido: hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit; quorum cùm alter ornatissimæ feminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiavit. Imperium tum Regibus abrogatum.*

HISTORIA.

HINC Regnum [1] ARIPERTO, qui amitam Theodelindam habuit, obvenit. Nihil tum etiam de tranquillitate publicâ delibatum. Sed ille paucis pòst annis fatali morbo decumbens, duos filios Regni heredes instituit, PERTHARITVM & GVNDEBERTVM. Prorsùs cæco affectu Regem utrumque esse voluit, [2] ut collideret. Destruxit potentiam, quia divisit.

COM-

COMMENTARIVS.

1. ARIPERTO.] Filio Gundoaldi, germani fratris Theodelindæ: de quo Paulus, lib. IV. cap. L. *Rodoaldo successit Aripertus filius Gundoaldi, qui fuit Germanus Theodelindæ Reginæ. Hic condidit apud Ticinum Oraculum Domini Salvatoris, quod extra portam Occidentalem, quæ dicitur Marenca, situm est, quod & ornamentis variis decoravit, & substantiis sufficienter ditavit.*

2. VT COLLIDERET.] Exemplis, & adagiis hæc res trita est. Nunc Odoacrem & Theodericum tibi propono, sed meis verbis, quemadmodum lib. I. in ipsâ Historiâ scripsi: *Theoderico tandem, quia pro voto bellum non esset, pax placuit: sed cùm parum esset, in regni duntaxat partem venire, societatis fidem scelus vicit, interituq; Odoacris perfectum est.* Adjunge, quæ in Commentariis ad hunc locum annotavi: imò quæ de primis Irruptionum lineis lib. I. scripsi.

HISTORIA.

PATRE extincto, pari jure & gradu sceptra filii arripiunt: & ut jam tum dissidere scires, urbe & domicilio separantur. Sed quomodò Regnum ambos caperet, quos una Regia non capiebat? Gundeberto Ticini, Perthafito Mediolani sedem figente, unum sub gemino capite esse corpus non potuit. Populi velut imperio divisi, dum coguntur in diversum conferre obsequia, acrem deinceps malorum flammam sustinuerunt. Nimis verum est, [1] ipsa naturæ vincula dominandi perversâ cupidine dissolvi. Hostes facti, qui fratres erant: nihilque profuit, eodem sanguine concretos esse, in iisdem visceribus priusquàm nascerentur, velut domo habitasse, in iisdem deinde laribus educatos. Sed parentis culpâ hoc filiorum scelus coaluit, qui esse utrumque voluit, quod ipse exstiterat. Si rectè calculum ponas, satius fuerat, duo ex uno Regna institui, quàm duos in uno Reges esse. Gundebertus, quia in totam patris fortunam non venit, odisse Pertharitum cœpit, & germanum suum, & coheredem. Quasi adhuc ambitio erubesceret, tacito scelere insidias molitus est. Quia irrito eventu, & jam timendæ doli vices essent, moræ impatiens furor, ad vim prosiliit; fierique bello hostis debuit, qui ut Regno pelleretur, frater erat. Res tanta alienis viribus tentata est, cùm dubiæ aut invalidæ domesticæ viderentur, adversus parem, & infensum.

COM-

COMMENTARIVS.

1. IPSA NATVRAE VINCVLA.] Tacitus libro XII. Annalium: *Rhadamisto cupido Regni fratre, & filiâ potior.* Idem lib. XIII. *Britannicus in Campo Martio sepultus est, adeò turbidis imbribus, ut vulgus iras Deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias, & insociabile Regnum existimantes.* Hæc naturæ vincula Antoninus Caracalla & Geta fratres, Severi Imperatoris filii violarunt. Antoninus ubi veneno nihil proficit, irruens in cubiculum, in ipso matris sinu Getam obtruncavit. Vide Herodianum, & Dionem. Apud Iudæos quoque Aristobulus Rex Antigonum fratrem, Regni consortem, interfici jussit: quemadmodum hæc Historia non sine affectu à Iosepho descripta est, lib. XIII. Antiquit. Iudaic. cap. XIX. & ad necem quoq; Gundeberti mirè facit: quam narrare jam pergo.

HISTORIA.

ITAQVE auxilia à [1] GRIMOALDO Duce Beneventanorum petita, & in fœderis pignus Regis soror matrimonii pactione promittitur. Nuptiarum interpres Garibaldus ivit, Taurinatium Dux; sed rerum novarum amans, legationis munus nefario consilio in exitium mittentis convertit. Namque discordiam fratrum bello opportunam ratus, Grimoaldum spe majoris Fortunæ implet: patêre Regnum, si auderet invadere; & quia opem ferret, vim securam fore. Facilè homini dominandi cupido persuasum est, ut [2] sceptri causâ fraudulentus esset. Perdere fidem, quàm occasionem maluit, illam velut manu oblatam; & ingenti simulatione designata tegens vota, [3] copias adduxit. Garibaldus præmissus, ut adventum auxiliatoris renunciaret, quâ fraude legationem obierat, sceleris compendium ordinavit. Namque Gundeberto suasit, ut in ipsam Regiam Grimoaldum exciperet. Hunc honorem amico deberi, & cui sororem desponderat. De fide si fortè dubitaret hospitis, loricâ muniret corpus, hanc veste contegeret. Placuit cautela. Sed doli architectus ad Grimoaldum rediens, verborum scenâ mutatâ, circumspectum armatumque esse jussit: strui à Rege insidias, adeoque cædis patrandæ causâ loricatum incedere. Sic ambo suspensis animis, in amplexum conveniunt. Grimoaldus post-

postquàm contactu armaturam explorasset, veras ratus insidias, stricto ferro Regem stravit, & tanquam vitaret 4 cædem, intulit. Quid timeret, satellitio, & exercitu munitus? Sed ut faciliùs quoque Regnum invaderet, insidiatorem necessitate peremptum publicavit; non fecisse se vim, sed 5 præoccupasse.

COMMENTARIVS.

1. A GRIMOALDO.] Hunc Regem Orthodoxum fuisse, Acta S. Ioannis Episcopi Bergomensis, & Templum S. Ambrosio, acri Arrianorum hosti, ab ipso conditum, fidem faciunt. Fuit, ut Paulus scribit lib. v. cap. XXXIII. *corpore prævalidus, audaciâ primus, calvo capite, barbâ prominenti, non minùs consilio quàm viribus decoratus:* alibi *strenuus Ductor* appellatur, Gisulfi, Forojuliani Ducis filius, qui in prælio adversus Cacanum, Hunnorum Regem, cecidit. Ipse Paulus lib. IV. cap. XXXVII. historiam in hunc modum enarrat: *Rex Avarum, quem suâ linguâ Cacanum appellant, cum innumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines ingressus est. Huic Gisulfus, Forojulianus Dux, cum Longobardis, quos habere poterat, audaciter occurrit: sed quamvis forti animositate contra immensam multitudinem bellum cum paucis gereret, undique tamen circumseptus, cum omnibus penè suis extinctus est. Vxor verò ejusdem Gisulfi, nomine Romilda, cum Longobardis, qui evaserant, & cum eorum uxoribus, & filiis qui in bello perierant, intra murorum se Forojuliani Castri septa munivit. Huic erant filii Taso, & Caco, jam adolescentes; Rodoaldus verò, & Grimoaldus adhuc in puerili ætate constituti. Habebat verò & filias quatuor; quarum una Appa, altera Gaila vocabatur: duæ ignotæ sunt. Communiverunt se quoque Longobardi in reliquis castris, quæ his vicina erant: hoc est, in Cormonesio, Nemaso, Ospio, Artemiâ, Reumari, Gemonâ, vel etiam Miblogine, cujus positio omninò inexpugabilis extitit. Pari etiam modo & in reliquis castellis, ne Hunnis, hoc est Avaribus, prædæ fierent, se communière. Avares verò per omnes Forojulianorum fines discurrentes, omnia incendiis & rapinis vastantes, Forojulianorum oppidum obsidione claudunt, & totis viribus expugnare moliuntur. Horum Rex idem Cacanus circa muros armatus cum magno equitatu perambulans, quâ ex parte urbem faciliùs expugnare posset, inquirebat: quem Romilda de muris prospiciens, cùm cerneret juvenili ætate florentem, meretrix nefaria concupivit: eique mox per nuncium mandavit, ut si se in matrimonium sumeret, eidem se civitatem cum omnibus quæ inerant, tradituram. Quod Rex barbarus audiens, eidem, malignitatis dolo, quod mandaverat, se facturum promisit; eamque se in matrimonium accepturum spopondit. Illa verò nihil morata, portas Forojuliensis Castri aperuit, & ad suam cunctorumque perniciem hostem introduxit. Ingressi verò Avares oppidum, universa quæ invenire poterant, rapinis diripiunt, ipsamque urbem flammis concremantes, universos quos repererant, captivos abducunt. Fallaciter tamen eis promittentes, se eos, unde digressi fuerant, Pannoniæ in finibus collocaturos. Qui cùm ad patriam revertentes, ad campum, quem Sacrum nominant, pervenissent, omnes qui jam in majori ætate constituti erant Longobardos gladio perimere statuunt: mulieres verò & parvulos*

 parvulos

vulos captivitatis sorte dividunt. Taso verò, Caco, & Rodoaldus filii Gisulfi & Romildæ, cùm hanc Avarum malitiam cognovissent, statim ascensis equis fugam arripiunt. E quibus unus Grimoaldum puerulum fratrem suum, dum existimaret, utpotè parvulum, super equum currentem se tenere non posse, melius ducens, eundem gladio perimere, quàm captivitatis jugum sustinere, eum occidere voluit. Cùm igitur, ut eum percuteret, lanceam elevasset, puer lacrymans exclamavit, dicens: Noli me pungere; quia possum me super equum tenere. Qui injectâ manu eum per brachium apprehendens, super nudum equi dorsum posuit; eundemq́ ut se contineret hortatus est. Puer verò frenum equi manu arripiens, fugientes germanos & ipse secutus est. Quo comperto, Avares mox ascensis equis, eos persecuti sunt: sed reliquis veloci fugâ evadentibus, Grimoaldus puerulus ab uno eorum qui velociùs cucurrerat, capitur: nec tamen eum comprehensum suo ferire gladio propter parvitatem ætatis dignatus est; sed sibi eundem potiùs in servitium servavit. Eum igitur ad castra, apprehenso equi freno, reducens, de tam nobili prædâ exultabat. Erat enim ipse puerulus eleganti formâ, micantibus oculis, lacteo crine perfusus: qui cùm se captivum doleret trahi, ingentes animos angusto in pectore versans, ensem, qualem in illâ ætate habere poterat, vaginâ exemit, seq́ trahentem Avarem, quantum quantulo annisu valuit, capitis in vertice percussit; cumq́ ad cerebrum ictus perveniret, hostis ab equo dejectus est. Puer verò Grimoaldus, verso equo, fugam lætabundus arripiens, tandem fratribus junctus est, eisq́ liberatione suâ nunciatâ, insuper hostis interitu, inæstimabile gaudium fecit. An etiam dicam? sed verbis velut succinctis. Romilda interim, unâ modò nocte matrimonii velut imagine felix, postridie à novo sponso duodecim Avaribus in libidinem concessa est, tandemque stupris fessa, in patenti campo, acuto palo infixa, adjecto quoque ludibrio, ut ligneo marito, quo digna esset, uteretur. Atque ita nefanda mulier, & libidinis, & impietatis suæ præmium tulit. Taso deinde & Caco patri successêre; sed Gregorii Patricii fraude interempti sunt. Grasulfus posteà Gisulfi germanus frater in Ducatum venit. Rodoaldus & Grimoaldus, cùm se fortunâ excidisse comperiunt, patrui Imperium perosi, ad Arichim Beneventanorum Ducem, suum olim Præfectum morum, proficiscuntur. Is igitur utrumque filii loco habuit: *qui cùm jam maturus annis* (Pauli rursùs verbis utar) *ad diem ultimum propinquasset, sciens filium suum Ajonem amentem, Rodoaldum & Grimoaldum jam florem juventæ habentes, quasi proprios filios Longobardis, qui aderant, commendavit. Defuncto verò Ariche, qui Ducatum quinquaginta tenuerat annis, Ajo ejus filius Samnitium ductor effectus est: cui tamen Rodoaldus & Grimoaldus, sicut seniori fratri & domino, per omnia paruerunt. Qui Ajo, cùm jam anno & mensibus quinque Beneventanum Ducatum regeret, venientes Sclavi cum multitudine navium, non longè à civitate Siponto castra posuerunt. Occultas verò foveas circa castra facientes, cùm Ajo super eos, absentibus Rodoaldo & Grimoaldo, venisset, eósque debellare vellet, equus ejus in unam de eisdem foveis cecidit, atque irruentibus super eum Sclavis, simul cùm aliquot aliis extinctus est. Quod cùm Rodoaldo nunciatum est, citò veniens, iisdem Sclavis propriâ illorum lingua locutus est: cumq́ eos propter hoc segniores ad bellum reddidisset, mox super eos irruens, magnâq́ eos strage prosternens, & Ajonis mortem ultus est, & de illis finibus eos qui remanserant hostes fugam capere coëgit.* Hoc igitur modo Rodoaldus Beneventanorum Dux effectus est, cui quinquennio pòst Grimoaldus successit.

2. SCR-

2. SCEPTRI CAVSSA FRAVDVLENTVS.] Pulchrè Cicero, libro III. Officiorum; *Qui omnia recta & honesta negligunt, dummodò potentiam consequantur, nónne id faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit, cujus ipse audaciâ potens esset?* Ex Euripide addit versus, qui & a Suetonio expressi sunt:

Nam si violandum est jus, imperii gratiâ
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Grimoaldus igitur persuaderi sibi passus est, ante fidem Regnum esse. Invasit sceptrum, sed non diuturnum, quia malâ arte quæsitum est. Sed Gundebertus exitio suo dignus fuit, quia nec fratrem ferre, nec Regnum divisum potuit; quia Euripidis, vel potiùs Eteoclis apud Euripidem impium scitum usurpavit. Quid? Fratri & ille Polynici infestus, perire maluit, quàm toto Thebarum Regno non frui. Felicior tamen Polynice Perthantus; quia post Grimoaldum insignia recepit. Quis Fortunæ lusus!

3. COPIAS ADDVXIT.] Rem distinctè Paulus narrat, libro IV. cap. LIII. *Ordinato apud Beneventum Romualdo suo filio Duce, ipse cum electâ manu Ticinum profecturus iter arripuit; ac per omnes Civitates sibi amicos, & adjutores ad Regnum obtinendum adscivit. Trasemundum verò Comitem Capuanum, per Spoletum & Tusciam direxit, ut per eas regiones Longobardos suo consortio coaptaret. Qui imperata sibi strenuè perficiens, ei cum multis adjutoribus apud Æmiliam occurrit.*

4. CAEDEM INTVLIT.] Garibaldus tragœdiæ hujus architectus, *non solùm hæc egerat* (verba promo Pauli) *sed & fraudem in legatione suâ fecerat, dum munera quæ deferre Beneventum debuerat, non integra deportasset. Talium ergò operum patrator non diu lætatus est. Erat quidam parvus homunculus, ex ipsâ familiâ Gundeberti oriundus, in civitate Taurinatium; is cùm Garibaldum Ducem ipso sacratissimo Paschali die, ad orationem in Beati Ioannis Basilicam venturum sciret, super sacrum Baptisterii fontem conscendens, levâque manu se ad columellam tugurii continens, quà Garibaldus transiturus erat, evaginatum ensem sub amictu tenens, cùm juxta eum Garibaldus advenisset, ut pertransiret, ipse elevato amictu, toto annisu eodem ense eum in cervicem percussit, capútque ejus protinùs amputavit. Super quem qui cum Garibaldo venerant irruentes multis eum ictuum vulneribus occiderunt. Qui licet occubuerit, tamen Gundeberti sui Domini injuriam insigniter ultus est.*

5. OCCVPASSE.] Politicum hoc Stratagema est, ut casu, non consilio peremptus Rex videretur, & à scelere invidia abesset.

HISTORIA.

TAM tragico nuncio obstupefactus Perthantus, ampliusque tyrannum, quàm fratrem timens, fugam ad Cacanum Hunnorum Regem arripuit, Rodelinda uxore, & filio Cuniperto [1] Mediolani relictis. Sed jam magnâ sui parte miser, & in carissimis pignoribus captus, cùm à Rege hospite [2] rejiceretur, ad hostem redire statuit, & cujus sævitiam timue-

rat, clementiam experiri. Quid votis obesset? non Regnum, sed incolumitas quærebatur. Etenim Pertharitus, quasi pati jam fortunæ contumeliam posset, fratre occiso, supplex esse sustinuit: & quia amplius putavit Grimoaldus, reddere vitam, quàm Regnum eripere, facilis fuit. Longè tamen aliud fata ordiebantur: ut nec securus esset, qui parcere voluit; nec liber à discrimine, qui salutem duntaxat pactus erat. Atque intereà Rex novus destinatis nuptiis potentiam firmaturus, desponsam sibi virginem, tori sceptrique sociam assumit. Et sic in familiâ Ariperti Regium permanere nomen videbatur: quippe post filios gener diadema sumpserat. Venit igitur Ticinum Pertharitus, & suæ oblitus appellationis, Sororem Reginam salutavit. Plenus mutuæ benevolentiæ hic congressus fuit, ac planè redire ad felicitatem profugus videbatur, nisi quòd non imperaret. Domus & familia quasi proximam nupero splendori vitam acturo datur. Quid fit? visendi & salutandi causâ cùm frequentes confluerent, partim Longobardi, partim Insubres; humanitatis Regem pœnituit. Sic officia nocuêre: & quia in exemplum benignitas miserantis valuit, extincta est. A populo coli, & Regnum moliri, juxtà habitum. Itaque ut Rex metu solveretur, secundum parricidium non exhorruit. Nuper manu, nunc imperio cruentus, 3 morti Pertharitum destinat. Sed nihil insidiæ, nihil percussores immissi potuêre: elapsus est. Amica & ingeniosa Vnulfi fraude beneficium salutis stetit, qui inclusum & obsessum ursinâ pelle circumtegens, & tanquam pro mancipio pellens, cubiculo ejecit. Dolum ingesta quoque verbera vestiebant; & quia nox erat, falli satellites potuêre. Facinus quemadmodum Regi displicuit, ita 4 fidei exemplum laudatum est.

COMMENTARIVS.

1. MEDIOLANI RELICTIS.] Pertharitus è cæde fratris suum periculum æstimans, subitâ fugâ sibi consuluit, sine uxore, sine filio parvulo, quos Grimoaldus Beneventum in exilium misit.

2. REIICERETVR.] Pauli verbis dicam, lib. v. cap. v. *Grimoaldus, postquam comperit Pertharitum profugum Scythiam appetiisse, & apud* Caca-

Cacanum demorari, eidem Cacano Avarum Regi per Legatos mandavit, si Pertharitum in suo Regno detineret, cum Longobardis, & secum pacem, quam hactenus habuerat, deinceps habere non posse. Hæc Avarum Rex audiens, adscito Perthariro, dixi ei, ut in quam partem vellet, abiret; ne propter eum Avares cum Longobardis inimicitias contraherent.

3. MORTI PERTHARITUM DESTINAT.] Idem Paulus, lib. v. cap. 11. *Consilium Grimoaldus iniit, qualiter eum, quia jam hora tardior erat, postridie vitâ privaret: cui denique ad vesperam diversos cibos, vina quoque præcipua, variaq; potionum genera transmisit, ut eum inebriare posset; quatenùs eâdem nocte, multâ potione resolutus, vinoq; sepultus, de suâ nihil salute cogitare valeret. Tunc unus, qui de ejus Patris obsequio fuerat, cùm eidem Pertharito ferculum Regium attulisset, quasi eum salutaturus, sub mensam caput mittens, eidem secretè, quomodò Rex eum occidere disponeret, nunciavit. Pertharitus verò statim suo pincernæ præcepit, ut sibi in phialâ argenteâ non aliud quàm aliquantulum aquæ propinaret. Cúmque hi, qui diversi generis potiones ei à Rege deferebant, verbo Regis eum rogarent, ut totam phialam ebiberet: ille in honorem Regis se totam ebibere promittens, parum libabat aquæ de argenteo calice. Cúmque ministri Regis Regi nunciarent, quàm ille avidissimè biberet, Rex lætus respondit: Bibat ebriosus ille; cras enim pariter eadem vina mixta cum sanguine refundet. Pertharitus verò Vnulfo citiùs ad se adscito, de suâ morte Regis consilium aperuit. Qui statim domum suam puerum misit, ut sibi lectisternia deferret, lectúmque sibi juxta stratum Pertharíti fieri præcepit. Nec mora, Rex Grimoaldus suos satellites direxit, qui domum, in quâ Pertharitus quiescebat, ne aliquo modo effugere posset, custodire deberent. Cumq; cœna finita esset, & egressis omnibus, Pertharitus tantùm, & Vnulfus, ac Vestiarius Pertharíti remansissent, vestiario, qui satis erat fidelis, consilium aperiunt, & obsecrant eum, ut cùm Pertharitus fugeret; ipse eum quamdiu posset, intra idem cubiculum quiescere simularet. Cumq; se ille hoc facturum spopondisset, Vnulfus pannos lecticarios, & culcitram, ursinámque pellem in cervicem ac dorsum Pertharíti imposuit, eumq; ex consilio quasi rusticanum servum extra januam impellere cœpit; multasq; ei injurias faciens, fuste eum insuper percutere, desuper & urgere non cessavit; ita ut impulsus atque ictus sæpiùs ad terram corrueret. Cumq; eundem Vnulfum Regis satellites, qui ad custodiam positi erant, requirerent, quid hoc esset? Servus iste, inquit, nequam lectum mihi in cubiculo ebriosi istius Pertharíti stravit: qui in tantum vino plenus est, ut quasi mortuus cubet. Sed satis est, quod ejus hucusque amentiam secutus sum; jam deinceps, in vitâ Domini Regis, in domo propriâ manebo. Hæc, illi audientes, & vera quæ audierant, esse credentes, læti effecti sunt, & eum pariterq; Pertharítum, quem putabant servum, & qui opertum, ne agnosceretur, habebat caput, locum illi dantes, abire permiserunt. Illis autem abeuntibus, vestiarius ille fidelissimus, obserato diligenter ostio, remansit intrinsecùs solus. Vnulfus verò Pertharitum de muro anguli, qui est à parte Ticini fluminis, per funem deposuit, eique quos potuit socios conjunxit; qui arreptis, quos in pascuis invenerant equis, eâdem nocte ad Astensem properant civitatem, in quâ Pertharíti amici manebant, & qui adhuc Grimoaldo rebelles exstabant.*

Adjungo & Reginonis verba, lib. I. *Grimoaldus Rex Pertharitum, virum potentem, persequitur: quem idem Rex in suam fidem suscipiens, adulatorum & detrahentium linguis stimulatus, dolo occidere meditatur: sed industriâ Hunoldi* (lege Vnulfi) *satellitis per murum Ticinensem*

cinensem depositus fune, in Franciam ad Dagobertum fugit, mortisque periculum evasit.

4. FIDEI EXEMPLVM LAVDATVM.] Rex hominem inter suos vestiarios adscivit: & Vnulfum è templo Beati Michaëlis Archangeli suâ fide venire jussum laudavit, & posteà cùm cognovisset eos cum Perthcarito malle degere, liberum utrique iter fecit. Augusti exemplum libro 1. hujus Historiæ similiter laudavi: ac repetere verba lubet: *Augustus quoque, cùm irasci posset, fidem Insubrum erga Brutum collaudavit.* Videnda quæ in Commentariis addidi: & quæ jam antea in Oratione De Scholis Palatinis scripseram.

HISTORIA.

PERTHARITI caussam Franci, ad quos confugerat, bello & vindictâ dignam arbitrati, ingentibus copiis in Italiam perrumpunt. Hos viribus destitutus, Grimoaldus astu propè [1] Astam aggreditur. A levi prælio metum simulans, fugam capessit, & castra, vino ciborumque lautitiis capiendo hosti referta, deserit. Franci fausto victoriæ auspicio decepti, & in ventris prædam effusi, tanquam ad epulas, non pugnam venissent, vino se onerant, & in dolia præliantur. Prius igitur ebrietate, quàm bello victi, cladem suam strati adumbrant. Quippe post secundam vigiliam somno [2] vinoque mersos Grimoaldus adoritur, tantamque stertentium stragem edit, ut plus sanguinis fusum sit, quàm vini hostes exhauserant. Quid dicam? Præproperam, maleque digestam victoriam revomuere. Sic validus exercitus parvâ manu oppressus est, & res Perthariti ad desperationem prolapsæ. Tam insigni cladi cùm vix nuncius superesset, memoriam apud posteros locus fecit, Francorum rivulus hucusque appellatus.

COMMENTARIVS.

1. PROPE ASTAM.] Vrbs est Liguriæ, sive Longobardiæ Cispadanæ, Ptolemæo Romanorum Colonia, calicum fictilium nobilitate olim celebris, scribente Plinio lib. XXXV. cap. 11. *Mœnia vindicis Astæ* Claudianus nominat. Hodie suum etiam splendorem habet, conditionibus pacis Cameracensis juris Sabaudici facta. Astensium etiam Hirtius meminit, de bello Hispaniensi.

2. VINOQVE MERSOS.] Secutus est Cyri exemplum, qui simili stratagemate Scythas oppressit. Iustinus libro 1. *Cyrus trajectis copiis cùm aliquantisper in Scythiam processisset,*

ſet, caſtramentatus eſt. Deinde poſterâ die cùm ſimulato metu, & quaſi refugiens, caſtra deſeruiſſet, vinum affatim, & ea quæ erant epulis neceſſaria, reliquit: quod cùm nunciatum Reginæ eſſet, adoleſcentulum filium ad inſequendum eum, cum tertiâ parte copiarum miſit. Cùm ventum ad caſtra Cyri eſſet, ignarus rei militaris adoleſcens, veluti ad epulas non ad prælium veniſſet, omiſſis hoſtibus, inſuetos Barbaros vino onerare ſe patitur, priuſq; Scythæ ebrietate, quàm prælio vincuntur. Nam cognitis his, Cyrus reverſus per noctem, ſecuros opprimit, omnéſque Scythas cum Reginæ filio interficit. Familiare hoc etiam Deo Indorum victori fuiſſe, è Polyæno diſcimus: quippe quæcunq; Bacchi Orgia nominantur, ſtratagemata fuerunt, quibus Indos, aliaſque aliorum terras, in ſuam poteſtatem feliciter redegit.

HISTORIA.

TIMERE ſuos Grimoaldus deſierat, & à Græcis cœpit oppugnari. 1 Conſtans Imperator claſſe inſtructâ, 2 Tarentum cum exercitu venit, bellum ſuo ductu & velut manu Longobardis illaturus. 3 Luceriâ, reliquiſque in itinere oppidis occupatis, 4 Beneventum aggreditur obſidetque. Ceperat urbem, & unà Romoaldum, Grimoaldi filium, qui urbi præerat, niſi memorandum conſtantiæ exemplum egregiæ virtutis vir 5 Ieſualdus prodidiſſet. Is à Rege præmiſſus, ut propinquas ſuppetias Beneventanis nunciaret, jam vicinus muris in hoſtium poteſtatem venit: juſſus autem, aut ſævam tormentis mortem eligere, aut deſperata obſeſſis ſubſidia mentiri, ſimulavit obſequium, ut majori fide legationem perficeret. Itaque excitum ad mœnia Romoaldum, conſtantem eſſe juſſit, 6 adventare cum copiis patrem, parvâ adhuc morâ libertatem redimi. Negares captum eſſe, qui, ſpreto diſcrimine, verus fuit; quique, ut ſalutem ſuis promitteret, caput impendit. Sanè id reciſum, inque urbem lithobolo injectum, adhuc conſtantiam velut loqui videbatur. Imperator verò imminentis prælii nuncio territus, & Grimoaldi impetum declinans, Beneventum; & mox 7 infeliciter pugnans, 8 Italiam reliquit. Intereà Lupus, Forojulienſium Dux, quem Regiæ Grimoaldus præfecerat, ſe 9 pro nomine gerit; efferus in ſubditos, quia non ſuos, & neſcio quam tyrannidem affectans. Sic domi & in ſinu Regni calamitas pullulat, dum foris profligatur. Sed quid,

Con-

Constante pulso, Lupus efficeret? Tanquam ad latebras suas fugiens, Insubres deseruit, & adversus Regem Forojulienses armavit. Ille civilia detestatus bella, cùm & oppressum esse rebellem cuperet, & collidere Longobardos nollet, in Lupum tandem Hunnos, velut rabidos canes concitavit. Nec citra rabiem res gesta. Pugnatum per triduum: demum pelluntur Longobardi, & ipse Dux laceratus occubuit. Hunni victoriâ non contenti, provinciam invadunt, jam quoque Grimoaldo pares, si resisteret. Sed ille, quod bello non potuisset, ingenio patravit. Aderant Hunnorum legati, cùm exercitum conscriberet, lepido quidem [10] stratagemate delusi. Namque eosdem milites, diversis instructos armis, tanquam novos, jussit decurrere, & militari fuco numerum mentitus, Hac tantâ manu, inquit, expellam hostes, nisi excedant. Legatos perculsos Cacanus audit, & pari deceptus metu, in Pannoniam copias reducit. Grimoaldus Regno armis [11] legibusque confirmato, cùm arcum tendendo connititur, [12] venam rumpit, paucis antè diebus sectam, & suum pacis tempore sanguinem fundens, extinctus est. Quid nisi ab ipso numine læsum dicas, manibusque Gundeberti velut victimam cecidisse?

COMMENTARIVS.

1. CONSTANS IMPERATOR.] Constantini, quem Heracleonas, & noverca Martina, ope Pyrrhi Episcopi, quarto Imperii mense sustulerunt, filius. Caussæ hujus expeditionis variæ traduntur. Sigebertus, & Otho Frisingensis asserunt, Augustum, odio Constantinopolitanorum, Imperii sedem Romam voluisse transferre. Anastasius, & Paulus Diaconus, cupiditate expellendorum Longobardorum flagrasse. Alii, Theodosii à se interfecti fratris visu deterritum, voluisse terram mutare.

2. TARENTVM.] Paulus Diaconus lib. v. cap. IV. *Constans Augustus Italiam à Longobardorum manu eruere cupiens, mare transgressus, Tarentum applicuit: qui tamen priùs Solitarium quendam, qui prophetiæ spiritum habere dicebatur, adiit, studiosè ab eo diligenterque sciscitans, Vtrùm Gentem Longobardorum, quæ in Italia habitabat, superare & obtinere posset? A quo cum servus Dei spatium unius noctis expetisset, ut pro hoc ipso Domino supplicaret, Facto mane, ita eidem Augusto respondit: Gens Longobardorum superari modò ab aliquo non potest: quia Regina quædam eorum aliâ provinciâ veniens, Basilicam Beati Ioannis Baptistæ in Longobardorum finibus construxit: & propter hæc ipse beatus Ioannes pro Longobardorum gente continuè intercedit. Veniet autem tem-*

pus,

pus, cùm ipsum oraculum habebitur despectui, & tum Gens ipsa peribit. Quod nos ita factum esse probavimus; qui ante Longobardorum perditionem, eandem B. Ioannis Basilicam, quæ utiq; in loco, qui Moditia dicitur, est constituta, per viles personas ordinari conspeximus; ita ut indignis & adulteris, non pro vitæ merito, sed præmiorum datione, idem locus venerabilis concederetur. Tarentum verò vel Tarentus, antiqua & nobilissima Magnæ Græciæ urbs est. Hujus tam dubia, quàm Romæ, vel cujusvis è primis origo. Alii à Lacedæmoniis volunt conditam, alii ab Heraclidis, alii à Cretensium Duce Tarento, alii à Neptuni filio Tarante. Virgilius Oebaliam appellat: ipsos verò cives aliunde derivato vocabulo, Stephanus φαλαντιάδας, Iustinus Spurios, Servius Partheniatas. Sita est in intimo recessu sinûs, & ipsis maris Adriatici faucibus: ut non tam scribit, quàm pingit Florus meus, lib. I. cap. XVIII. *Tarentus Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiusq; Lucaniæ caput: tum magnitudine & muris portuq; nobilis, tum mirabilis situ: quippe in ipsis Adriatici maris faucibus posita, in omnes terras, Histriam, Illyricum, Epirum, Achajam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui, ad prospectum maris positum urbis theatrum.* Videndus, ut alios omittam, Strabo. Primum illius imperium fuit populare, quo ad tantam potentiam venit, ut Messapiis, Lucanis, & Romanis bellum intulerit. Tandem cùm Pyrrhi Epirotarum Regis auxilio nil profecisset, cervicem suam Romano jugo prębuit. Posteà in Coloniam quoq; redacta fuit, cœpitq; imbelle & molle Tarentum vocari. Rebus Romanorum attritis, diu Orientis Imperatori paruit, dein Saracenis: his ejectis, Vrsinorum, & mox Regum Neapolitanorum fuit. Varia illa imperia potentissimam quondam urbem, ad hanc parvitatem compulerunt, quâ nunc eviluit: imò portus, qui magnarum olim navium erat receptaculum, vix naviculis patet; tot undique saxis impeditus, ut credam humanâ industriâ ad Vrbis perniciem inibi jacti.

3. LVCERIA.] Vrbs est in Apuliâ Dauniâ Plinio, & Straboni. Romanorum fuit colonia. Celebratur Horatio à lanarum nobilitate. Vario fato laboravit: nam Strabonis tempore diruta jacuit & Constantini II. operâ restituta, iterum à Grimoaldo solo æquata. Postea cùm Saraceni Africani Apuliam infestarent, iis cessit, unde vulgò *Luceria Saracenorum* vocatur. Hos tandem Carolus II. utriusque Siciliæ Rex expulit, & novum urbi nomen imposuit S. Mariæ, in memoriam victoriç à Saracenis XVIII. Kal. Septemb. ipso die B. Virginis reportatæ. Sed antiquitatis amor effecit, ut vetustum Luceriæ nomen prævaluerit.

4. BENEVENTVM AGGREDITVR.] Solino, & Servio auctoribus à Diomede fuit condita. Argyrippam olim vocatam scribit Suidas, & Cedrenus. Maleventum Festus: *Beneventum, Colonia cùm deduceretur, appellari cæptum est, melioris ominis caussâ: namq; eam Vrbem antea Græci incolentes μαλόεντον appellarunt.* Mutatum sic fuisse nomen, & Plinius scribit, lib. III. cap. XI. & Livius non uno in loco. Procopius à Malo vento, quo sæpe infestantur incolæ, hoc vocabulum deducit. Neapoli distat ferè XXX. millibus passuum. A Totilâ direpta fuit; & posteà, pars Regni Longobardici facta Ducatûs titulo aliquot sæculis floruit. Rebus Francorum in Italiâ labantibus, ingentes calamitates à Saracenis perpessa est: & ne his terminis miseriæ clauderentur, bis postmodum eversa, ab Othone & Frederico II.

5. IESVALDVS.] Erat hic rarâ virtute, Ducis Beneventani, & adhuc adolescentis Romoaldi nutricius: qui à patre ad filium mittebatur.

6. ADVENTARE.] Iam enim prope Sangrum flumen cum valido exercitu erat.

7. INFELICITER PVGNANS.] Paulus lib. V. cap. IX. *Metuens igitur Imperator subitum Grimoaldi Regis adventum, dimissâ Beneventi obsidione, Neapolim proficiscitur, cujus tum exercitum Micola, Capuanus Comes, juxta fluenta Calbris fluminis, in loco qui usq; hodie Pugna dicitur, vehementer attrivit.* Et cap. X. *Postquam verò Imperator Neapolim pervenit, unus ex Optimatibus, cui nomen Saburrus erat, ab Augusto, ut fertur, viginti millia militum expetiit, seq; cum Romoaldo pugnaturum, victoremq; spopondit. Qui cùm accepto exercitu ad locum, cui nomen Formis est, advenisset, ibiq; castra posuisset; Grimoaldus, qui jam Beneventum advenerat, hac audiens, contra eum proficisci voluit. Cui filius Romoaldus, Non opus est, inquit; sed tantùm partem de exercitu nobis tribue: ego, Deo favente, cum eo pugnabo; & cùm vicero, major utiq; gloria vestræ potentiæ adscribetur. Factumq; est, & acceptâ itaq; parte de patris exercitu, pariterq; cum suis hominibus contra Saburrum proficiscitur. Qui priusquam prælium cum eo iniret, à quatuor partibus tubas insonare præcepit, moxq; super eos audenter irrupit: cumq; utraque acies forti intentione pugnarent, tunc unus de Regis exercitu, nomine Amalongus, qui Regium contum ferre erat solitus, quendam Græculum eodem contulo utrisque manibus fortiter percutiens, è sellâ super quam equitabat sustulit, eumq; in aëra supra caput suum elevavit. Quod cernens Græcorum exercitus, mox immenso pavore perterritus, in fugam convertitur, ultimiq; pernicie casus, sibi fugiendo mortem, Romoaldo & Longobardis victoriam peperit. Ita Saburrus, qui se Imperatori suo victoriæ trophæum de Longobardis promiserat patrare, ad eum cum paucis remeans, ignominiam deportavit. Romoaldus verò, patratâ de inimicis victoriâ, Beneventum triumphans rediit, patriq; gaudium, & cunctis securitatem, sublato hostium timore, convexit.*

8. ITALIAM RELIQVIT.] Priùs tamen omnia publica privataque Vrbis Romanę ornamenta, ut è Segiberti Chronico discimus, compilavit, imò Panthei tectum æneum abstulit, & cum his spoliis Syracusas profectus est: ubi in balneo ab Andreâ Troili filio aliquot annis pòst peremptus traditur. Anastasius: *Duodecim dies in Civitate Romanâ perseverans, omnia quæ erant in ære ad ornatum civitatis, deposuit. Sed & Ecclesiam B. Mariæ ad Martyres, quæ tecta tegulis æreis erat, discooperuit, & in Regiam Vrbem cum aliis diversis rebus, quas disposuerat, direxit. Et postmodum secundâ feriâ egressus de civitate Romanâ, reversusq; Neapolim, inde terreno itinere pergens Rhegium, ingressus est Siciliam, per Indictionem septimam, & habitavit in civitate Syracusanâ; & talem afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus & possessoribus provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ, per diagrapha, seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales à sæculo nunquam fuerant. Sed & alia multa inaudita perpessi sunt, ut aliqua spes vitæ non remaneret: sed & sacra vasa, vel cimelia sanctarum Dei Ecclesiarum auferens nihil dimisit.*

9. PRO NOMINE GERIT.] Vt esset quod diceretur. Paulum audiamus, lib. V. cap. XIX. *Lupus, cùm Rege absente multa insolenter Ticini egisset: quippe quem reversurum non existimaret; revertente Rege, sciens eidem ea quæ non rectè gesserat, displicere, Forum-Iulii petens, contra eundem Regem, suæ nequitiæ conscius, rebellavit.* Et antea Gradi insulam invadens, omnes

Eccle-

Ecclesiæ Aquilejensis thesauros vi rapuit, & profanavit.

10. STRATAGEMATE DELVSI.] Quo ingenii subsidio majores copias in necessitate simules, pulcherrimis exemplis Polyænus & Frontinus docent. Adjicio, quod mirum est, è Danorum Historiâ: *Amlethum, Iutiæ Regem, Britanni insecuti, majore copiarum parte exuerant. Rex postero die, ad augendam multitudinis speciem, cæsorum cadavera, partim subjectis stipitibus fulta, partim propinquis lapidibus affixa, alia viventium more equis imposita, in aciem digessit; ut ipsa extinctorum imagines, lacessentibus Solis radiis, immensi agminis speciem darent. Quo aspectu territi Britanni, à mortuis superati sunt, quos vivos superassent.*

11 LEGIBVSQVE.] De hisce Paulus lib. v. cap. XXXIII. *Hic in Edicto, quod Rotharis Rex composuerat, aliqua capitula legis, quæ ei utilia visa sunt, adjecit*; illaque cum hoc proœmio divulgavit: *Superiore paginâ hujus Edicti legitur, quod adhuc annuente Domino memorare poterimus, de singulis caussis, quæ præsenti non essent affixa, in hoc Edicto adjungere debeamus; ita ut caussæ quæ judicata & finita sunt, non revolvantur. Ideò ego Grimoaldus vir Excellentissimus, Rex gentis Longobardorum, anno, Deo propitio, Sexto Regni mei, mense Iulio, Indictione undecimâ, per suggestionem Iudicum, omniumque consensum, quæ illis dura & impia in hoc Edicto visa sunt, ad meliorem sensum vocare prævidimus.*

12. VENAM RVMPIT.] Si Paulo, atque etiam Sigeberto credimus, *Medici venenata medicamenta superponentes, eum ab hac funditus privaverunt luce.* Quid dicam? Dubia omninò fides est. *Fabulosa,* scribente Tacito, *& immania creduntur, atrociore semper famâ erga Dominantium exitus.*

ERYCI PUTEANI

HISTORIÆ INSVBRICÆ

LIBER III.

BREVIARIVM.

LONGOBARDORVM *Rex Pertharitus in sceptri consortium filium Cunipertum assumit. Bellum ab Alahi, qui Regnum deinde sine bello occupat. Tyrannum agens, pellitur à subditis, & à Cuniperto, iterum Rege, victus cadit. Post Alahim Anfridus & audax, & infelix fuit. In Luitpertum, Cuniperti filium, Ragumbertus arma movet, & Asprandum Rotharimq; pro novo Rege pugnantes fundit. Aripertus, Ragumberti filius, novum excipiens bellum, in prælio Luitpertum capit, & post prælium interficit; parte quoque crudelitatis in uxorem Asprandi liberosq; translatâ. Redit Asprandus, & pugnare audet: sed Aripertus dubio Marte territus, dum fugam capeßit, periit. Luitprandum, Asprandi filium, virtus clarum fecit. Bellum huic, & mox fœdus cum Exarcho. In Trasemundum, ipsumq; Pontificem vis conversa, pietati ceßit. Saraceni eo tempore in Galliâ armis Longobardorum cæsi. Secunda in Trasemundum, Pontificemq; belli tempestas: sed composita. Vincitur Trasemundus. Reges deinde, Hildebrandus, Luitprandi nepos, Rachisius, Aistulfus: Hic Exarchatum extinguit, Romam oppugnat, sed à Pipino coërcetur. Vltimus Desiderius, à Carolo Magno victus, captus, & Regno exutus.*

HIS-

HISTORIA.

AB EXILIO [1] ad Regnum PERTHARITVS rediit; [2] pacis pietatiſque cultor eximius, ut mox à ſubdito, & impio oppugnaretur. Fruſtra quoque in ſocietatem ſceptri CVNIPERTVM filium aſſumpſerat, tanquam jam nuper aſſuetus, non ſolus regnare: arma in utrumque Alahis, Tridentinorum Dux, pari ferociâ & ſucceſſu movit, poſtquam feliciter in Bajoarios pugnârat. Quaſi & Longobardos deberet regere, qui exteros vicerat, ambitione impletur. Hos conatus repreſſurus Pertharitus, copias cogit, & [3]
Tridentum pergit. Sed continuâ quiete emollitus, deprehendit, difficiliùs galeam, quàm diadema geri. Miles quoque belli inſolens, ferrum animumque, pari velut rubigine hebetatum, ægerrimè expediebat. Hoſti promptiora omnia erant. Is quoque obſidionem indignatus, in caſtra erupit Regum, totúmque exercitum lacerans, in fugam compulit. Mox inſtaurantem copias patrem, & vindictæ avidum, lenivit filius, pueriIibus annis Alahi familiaris. Rebelli igitur non venia tantùm data, ſed dignitas aucta: nam quaſi ferox armis, vinci beneficiis debuerit, Brixianis Dux conſtituitur. Sed innatâ ambitione tranſversùm actus, oblivíſci beneficiorum maluit, quàm pravo animo morem non gerere: quin & novo honore ad ſceleris audaciam abuſus eſt. [4] Vitâ functo Pertharito, ſceptra cogitavit: parum id quoque: rapuit, [5] potentium factione & manu adjutus. Res magna & iniqua cauto ſcelere perfecta eſt. Per officii ſpeciem Ticinum, ſed abſente Cuniperto venit: Regiam, ejectis cuſtodibus, & ſimul Regnum invadit. Quæ ludibria rerum humanarum! Patris fortunam repræſentat filius, [6] fugit inops & miſer, niſi quòd [7]
cum conjuge Hermelindâ, calamitatis ſociâ: quid? paullò pòſt rediturus. Latet, deſertus à ſuis, & velut expulſus: indignaris? exſpecta: iterum, ſecuriuſque regnantem conſpicies.

COMMENTARIVS.

1. AD REGNVM PERTHARITVS REDIIT.] Non sine prodigio, quod à Paulo narratur lib. V. cap. XXXIII. *Pertharitus egressus è Galliâ navem ascendit, ut in Britanniam Insulam, ad Regnum Saxonum transmearet. Cumq; jam aliquantulum per pelagus navigasset, vox à litore audita est, inquirentis, Vtrùm Pertharitus in eadem nave consisteret? Cui cùm responsum esset, quòd sic; ille qui clamaverat subjunxit: Dicite illi ut revertatur in Patriam suam; quia tertia dies est hodie postquam Grimoaldus ab hac subtractus est luce. Quo audito, Pertharitus statim reversus est: veniensq; ad litus, invenire eum, qui de Grimoaldi morte nunciârat, non potuit. Vnde arbitratus est, non hominem illum, sed divinum nuncium fuisse. Exindeq; ad Patriam tendens, cùm ad claustra Italiæ pervenisset, jam ibi omnia obsequia Palatina, omnemq; Regiam dignitatem, cum magnâ Longobardorum multitudine præparatam se repperit exspectare. Itaq; Ticinum ingressus, exturbato Garibaldo puerulo* [filio Grimoaldi, quem ex Ariperti Regis filiâ genuerat] *in Regnum elevatus est*. Quid attinet cuncta dicere? Rodelinda uxor, & filius Cunipertus Benevento, ubi extorres erant, revocati.

2. PIETATISQVE.] Hanc ei laudem studiosè Paulus tribuit, loco anteà citato: *Erat vir pius, fide Catholicus, Iustitiæ tenax, pauperum largissimus nutritor*. Ac deinde: *Staturâ decens, corpore pleno, mitis per omnia ac suavis*. Quid igitur egit? *In loco illo, qui à parte fluminis Ticini est, unde ipse olim fugerat, monasterium quod Novum appellatur, Domino & Liberatori suo, in honorem S. Virginis & martyris Agathæ construxit, in quod multas Virgines aggregavit, rebusq; & diversis pariter eundem locum ornamentis ditavit. Regina quoque, uxor ejus Rodelinda, Basilicam Sanctæ Dei Genitricis extra muros ejusdem civitatis Ticinensis, quæ Ad perticas appellatur, opere mirabili condidit, decoravitq;.*

3. TRIDENTVM PERGIT.] Ptolemæo Τρίδεντε scribitur. Hanc urbem alii dictam volunt à tribus Alpium cacuminibus, quæ instar trium dentium civitati imminent; alii à tridente Neptuni, cui hæc Vrbs sacra; alii à tribus torrentibus ad eam confluentibus, Fersinâ, Sabeto, & Persio. Iustinus à Gallis Cenomanis conditam asserit; nonnulli à Tuscis. Athesi imposita totam à se nationem nominavit. Erepta Romanis à Gothis fuit: atque hinc in Longobardorum potestatem venit: postea Cæsaribus cessit: tandem, anno ∞. CCC. LXXXVIII. à Wenceslao Pontificibus donata, qui eam concilio nuper Oecumenico illustriorem reddiderunt.

4. VITA FVNCTO.] Sepultus est in Templo S. Salvatoris, quod pater illius Aripertus construxerat.

5. POTENTIVM FACTIONE.] Inter quos præcipui, Aldo & Grauso Brixiani, fratres germani: mox infesti.

6. FVGIT.] In Insulam Comacenam, sive Comacinam, in quâ se communivit. Larius lacus quemadmodum per ea tempora Comacenus ab urbe Como appellatus est: ita & Insula in hoc lacu XX. millia passuum Como distans, Comacena. Lacûs nomen sic quidem in Itinerario Antonini expressum est: *Clavenna ad lacum Comacenum* X. *Per lacum Comum usque* LX. Insulam verò sic constanter Paulus Diaconus exprimit.

7. CVM

7. Cvm conivge Hermelinda.] Hanc filiam Regis Anglo-saxonum fuisse annotavit Onufrius, lib. 1. Rom. Principum.

HISTORIA.

Cæterum Alahis, quo flagitio Regem exturbavit, eodem furore [1] tyrannum egit. Iam scires, è violentâ manu sceptra mox evulsum iri. Nihil absurdius, quàm quòd missum à Damiano, urbis Præsule sanctissimo, [2] Sacerdotem, qui benè rerum potito precaretur, [3] scurrili scommate exceperit: Intrare jussum, si munda femoralia haberet; deinde, si ea munda, quæ femoralibus tegerentur. Hoc impudentiæ auspicio humana & divina, ut contemnere, ita miscere cœpit, iis quoque gravis, [4] per quos evectus. Quia in Deum, Deique mystas impius, odium hominum meruit; quia in homines crudelis, instabile sibi Fortunæ vestigium fecit. [5] Labi debuit, qui scelere stare se arbitratus est: tamque facilè reduci Cunipertus potuit, quàm pelli.

COMMENTARIVS.

1. Tyrannvm egit.] Pisonis apud Tacitum insigne dictum est, lib. 1. Historiarum: *Nemo unquam imperium flagitio quæsitum bonis artibus exercuit.*

2. Sacerdotem.] Thomam Diaconum, Virum & pium, & sapientem, qui novum Regem salutaturus adiit, ut extra damnum ludibriumque Sacra & Sacrorum ministri ponerentur.

3. Scvrrili scommate.] Pauli hæc verbis confirmanda sunt, lib. v. cap. xxxviii. *Alahis, qui omnes clericos odio habebat, ita inquit ad suos: Ite, dicite illi, si munda habet femoralia, intret: sin autem aliter, foris contineat pedem. Thomas verò, cùm hos sermones audisset, ita respondit: Nunciate ei, quia munda femoralia habeo: quippe qui ea hodie lota indutus sum. Cui Alahis iteratò respondit: Dicite ei, quia ego non dico de femoralibus, sed de his quæ intra femoralia habentur. Ad hæc Thomas ita respondit: Ite, dicite illi, Deus solus potest in me in his caussis reprehensionem invenire: nam ille nullatenus potest. Cumq. eundem Diaconum Alahis ad se ingredi fecisset, asperè satis, & objurgando cum eo locutus est. Tunc omnes clericos, & sacerdotes pavor & odium Tyranni invasit.*

4. Per qvos evectvs.] Aldoni & Grausoni Fratribus gravis fuit, referente Paulo, lib. v. cap. xxxix. *Cùm die quadam Solidos super mensam numeraret, unus ei tremissis de eâdem mensâ cecidit; quem filius Aldonis, adhuc parvulus, de terrâ colligens, eidem Alahi reddidit. Ad quem Alahis, credens puerum parum intelligere, ita locutus est: Multos ex his genitor tuus habet, quos mihi in proximo, si Deus voluerit, daturus est. Quem puerum,*

rum, cùm vesperi domum regressus esset, pater percunctatus est, ánne aliquid de se Rex illo die locutus fuisset? Ille patri omnia ut facta fuerant, nunciavit. Audiens hæc Aldo, vehementer pertimuit; fratremq; suum Grausonem adsciens, ei omnia quæ Rex malignè locutus fuerat, indicavit. Qui mox cum amicis, & his quibus confidere poterant, consilium ineunt, qualiter Alahim tyrannum Regno vitaq; privarent, priusquam ipse aliquam læsionem facere posset. Qui maturiùs ad Palatium profecti, ita Alahi dixerunt: Quid dignaris in Civitate istâ segnis residere? Ecce omnis civitas, & universus populus tibi fidelis existit; & ebriosus ille Cunipertus ita dissolutus est, ut jam ultrà nullas possit habere vires. Egredere, & vade in venationem, & exerce te cum juvenibus tuis; nos autem cum reliquis tibi fidelibus defendemus tibi hanc civitatem. Sed & ita tibi promittimus, nos in proximo inimici tui Cuniperti caput allaturos. Qui eorum verbis fidem habens, civitatem egressus, inq; Vrbam silvam vastissimam profectus est, ibiq; se jocis & venationibus exercere cœpit. Aldo verò & Grauso euntes ad lacum Comacenum, ingressiq; navem, ad Cunipertum profecti sunt. Ad quem venientes, ejus pedibus provoluti, se contra eum nequiter egisse professi sunt; eiq; quid Alahis malitiosè contra ipsos locutus fuerit; & quale ipsi ad ejus perditionem consilium eidem dederint, nunciarunt. Quid plura? fleverunt pariter, & inter se sacramenta dederunt, diem statuentes, quo Cunipertus veniret, ut ipsi ei civitatem Ticinensem contraderent. Quod & factum est: nam die statuto Cunipertus Ticinum adveniens, ab eis libentissimè susceptus, Palatium suum ingressus est. Tunc omnes cives, & præcipuè Episcopus, Sacerdotes quoque & clerus, juvenes & senes certatim ad eum concurrentes, omnesq; eum cum lacrymis amplexantes, Deo gratias de ejus reversione, inæstimabili gaudio repleti, conclamabant: quos ille omnes prout potuit, osculatus est. Nuncius autem subitò ad Alahim pervenit, Aldonem & Grausonem adimplesse quod promiserant; caput videlicet Cuniperti attulisse, nec solùm caput, sed & totum corpus; affirmans, eundem in Palatio considere. Quod ille audiens, animo consternatus est.

5. LABI DEBVIT.] Et labetur, quisquis Alahim exprimet, quisquis alienum invadens Regnum, vi & scelere potentiam muniet. Non frustrà Seneca in Medeâ:

Iniqua nunquam Regna perpetuò manent.

Quid mirum? Idem in Thyeste clamat:

——— Vbi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile Regnum est.

HISTORIA.

POST fugam tamen sævum servavit tyrannus animum, & [1] armis in Regem surrexit. Cunipertus verò, ut suo unius periculo in compendium mitteret bellum, caussâ viribusque fretus corporis, ad [2] singulare certamen Alahim provocavit. Detrectantem iterato prælio aggressus, opprimit. Vna exercitûs totius strages erat, inque cadaver tyranni ira quoque victoris duravit: capite cruribusque truncatum

catum eſt. Et hæc crudelitas Longobardis grata; quaſi mortuus quoque pœnam meruiſſet, qui ſcelere & rebellione Regnum deformârat. Poſt Alahim tamen 3 Anfridus quidam ſceptrum tentavit, pari & animo & viâ, quia Forojulienſes vi armatâ ſubjicere ſibi potuit. Sed irritam hanc quoque audaciam fata voluerunt. Namque in ipſo belli apparatu captus, & 4 ad Regem perductus oculis privatur. Cæcus in exilium abiens, vitam in pœnæ augmentum produxit. Hoc clementiæ fuit, non occîdere, quem in ipſo ſceleris molimine fortuna deſtituit: magnitudinis, non timere, qui potuit comprehendi. Itaque punitus fuit, ſed ut ab Alahi diſtaret. Tyrannidis metu provincia defuncta, ſub Cuniperto inveniſſe libertatem videbatur. Sed quid? ſuavi pace cuncta floreſcebant, ut cum 5 ipſo deinde Rege velut conciderent.

COMMENTARIVS.

1. ARMIS IN REGEM SVRREXIT.] Hiſtoria è Paulo enarranda eſt, lib. v. cap. XXXIX. *Egreſſus per Placentiam ad Iſtriam rediit; ſingulasq. civitates partim blanditiis, partim viribus ſibi ſocias adſcivit. Nam Vicentiam venienti cives egreſſi bellum paraverunt; ſed mox victi, ejus ſocii effecti ſunt. Inde exiens, Tarviſium invaſit; pari etiam modo & reliquas civitates. Cumq. contra eum Cunipertus exercitum colligeret, & Forojuliani in ejus auxilium, juxta fidelitatem ſuam, vellent proficiſci, ipſe Alahis ad pontem Liquentiæ fluminis, quod à Forojulii quadraginta octo millibus diſtat, & eſt in itinere Ticinum pergentibus, in ſilvâ, quæ Capulanus dicitur, ſtetens, cùm Forojulianorum exercitus ſparſim veniret, omnes eos ſicut veniebant, jurare ſibi compulit; diligenter cavens, ne aliquis ex hiis retrò reverſus venientibus hoc alius nunciaret: ſicq. omnes Forojulii venientes, ejus ſunt ſacramentis adſtricti. Quid plura? Alahis & tota Iſtria contra Cunipertum cum ſuis venientes, in campo, cui Coronata nomen eſt, caſtra poſuêre.*

2. AD SINGVLARE CERTAMEN.] Pergo Paulum exprimere lib. v. cap. XL. *Cunipertus autem ad Alahim nuncium miſit, mandans ei, ut ſecum ſingulare certamen iniret; nec opus eſſe utriuſque exercitum fatigari. Ad quæ verba Alahis minimè conſenſit: cui cùm unus è ſuis, genere Tuſcus, ei ſuaderet, virum bellicoſum fortemq. eum appellans, ut contra Cunipertum audenter exiret. Alahis reſpondit: Cunipertus, quamvis ebrioſus ſit, & ſtupidi cordis, tamen valdè eſt audax, & miræ fortitudinis: nam tempore patris ejus, quando nos eramus juvenculi, habebantur in palatio verveces miræ magnitudinis, quos ille in dorſo lanâ apprehendens, extenſo brachio à terrâ levabat: quod quidem ego facere non poteram. Hæc Tuſcus ille audiens, ſubjunxit: ſi tu cum Cuniperto pugnam inire ſingulari certamine non audes, me in tuo adjutorio ſocium jam ampliùs non habebis. Et hoc dicens proripuit ſe, & ſtatim ad Cunipertum confugit, idq. illi nunciavit. Convenerunt itaq. ut diximus,*

mus, utraq; acies in campum Coronatæ; cumq; jam propè esset, ut se conjungere deberent, Zeno Diaconus Ticinensis Ecclesiæ, qui custos erat Basilicæ B. Ioannis Baptistæ, quæ intra eandem civitatem sita est, & quam quondam Gundeberga Regina construxerat, cùm nimiùm diligeret Regem, & metueret ne Rex in bello periret, ait ad Regem: Domine Rex, omnis vita nostra in tuâ salute consistit: si tu in bello perieris, omnes nos tyrannus iste Alahis per diversa supplicia extinguet. Placeat itaque tibi consilium meum. Da mihi apparatum armorum tuorum: en ego vadam, & pugnabo cum isto tyranno. Si ego obiero, tu recuperabis caussam tuam: si verò vicero, major tibi, quia per servum viceris, gloria adscribetur. Cumq; Rex hoc se facturum esse denegaret, cœperunt pauci qui aderant ejus fideles, cum lacrymis deposcere; ut ad ea quæ Diaconus dixerat, assensum præberet. Victus tandem, ut erat pii cordis, eorum precibus & lacrymis, loricam suam, & galeam, atque ocreas, & cætera arma Diacono præbuit; inq; suâ personâ eum ad prælium dimisit. Erat enim ipse Diaconus ejusdem staturæ & habitûs, ita ut cùm fuisset de tentorio armatus egressus, Rex Cunipertus ab omnibus putaretur. Commissum itaq; est prælium, & totis viribus decertatum. Cùmque Alahis illuc magis intenderet, ubi Regem esse putaret, Cunipertum se invasisse putans, Zenonem Diaconum interfecit; cumq; caput ejus amputari præcepisset, ut, levato eo in conto, Deo gratias acclamarent, sublatâ casside, Clericum se occidisse cognovit. Tunc furibundus exclamans: Heu me, inquit, nihil egimus; quoniam ad hoc prælium gessimus, ut Clericum occideremus. Tale itaque nunc facio votum: me, si mihi Deus victoriam iterum dederit, puteum impleturum de testiculis Clericorum. Adde quæ sequuntur cap. XLI. *Igitur Cunipertus, suos ferè victos fugam spectare conspiciens, statim se eis ostendit, omniúmque corda, sublato pavore, ad sperandam victoriam erexit. Instruuntur iterum acies, & hinc Cunipertus, inde Alahis ad belli certamina præparantur: cumq; jam propinquæ acies essent, & se utraque ad pugnandum consererent, Cunipertus ad Alahim iteratò in hæc verba mandavit: Ecce quantus populus ex utraque parte consistit! quid opus est, ut tanta multitudo pereat? conjungamur nos, tu & ego singulari certamine; & utri nostrum voluerit Deus victoriam donare, is omnem hunc populum salvum & incolumem possideat. Cumq; Alahim sui hortarentur, ut faceret quod Cunipertus illi mandaverat, ipse respondit: Hoc facere non possum; quia inter contos ejus, vexillúve, S. Archangeli Michaëlis imaginem, in quam ego illi juravi, conspicio. Tunc unus ex illis: Præ pavore, inquit, cernis quod non est; & tibi jam tardum est ista meditari. Conseruntur itaque acies, perstrepentibus buccinis, & neutrâ parte cedente, maxima populorum facta est strages. Tandem crudelis tyrannus Alahis interiit, & Cunipertus, adjuvante Deo, victoriam obtinuit.*

3. ANFRIDUS.] Paulo ab obscuro nescio quo castro appellatus est. Is quia Rodoaldum Forojulii expulerat, Rex quoque esse voluit, & vim hostilem in Cunipertum direxit.

4. AD REGEM.] Qui tum Veronæ commorabatur.

5. CONCIDERUNT.] Cuniperto extincto, nova subitò belli tempestas inducta est, rerumque omnium faciem commutavit. Fuit verò Rex ille, ut Paulus ait, *elegans, & omni bonitate conspicuus, audaxq; bellator.* Cum patre Perctharito annos regnavit X. deinceps XII. Commune etiam cum patre & avo sepulchrum habuit, Ticini in æde Sancti Salvatoris.

His.

HISTORIA.

ETENIM rerum habenæ postquam ad filium ejus LVITPERTVM, ætate adhuc tenerum, devolutæ, novo quasi sidere Regni status turbari cœpit. Haud aliter quàm si [1] inter Ariperti liberos adhuc duraret odium, nepotes colliduntur. Exsurgit Ragumbertus, Gundeberti Regis filius, Taurinatium Dux, patriumque sceptrum armis repetit. Pro puero Luitperto tutor ejus [2] Asprandus, vir fide & animo insignis, pugnat; sed [3] infeliciter: quam fortunam & Rotharis, nequicquam Bergomatum suorum validâ manu suffultus, subivit.

COMMENTARIVS.

1. INTER ARIPERTI LIBEROS.] Perthatitum & Gundebertum; qui cùm simul Reges essent, sic à patre constituti, violatâ naturæ lege, hostilem uterque animum induerunt. Ad bellum ventum est, quemadmodum narravi: & Gundebertus quidem à Grimoaldo, quem in auxilium vocârat, occiditur: Pertharitus fugâ elapsus, Regnum post mortem Grimoaldi recuperat. Perthariti deinde filius Cunipertus, tanquam patris fortunam repræsentans, pellitur ab Alahi: quo rursùs ob tyrannidem ejecto, sceptrum sibi vindicat, & moriens filio Luitperto relinquit. Supererat Gundeberti filius, Ragumbertus, Taurinatium Dux, Cuniperti patruelis: is jure se niti ratus, in Luitpertum puerum bello insurgit. Quia igitur Pertharitus & Gundebertus filii Ariperti erant; Ragumbertum, Gundeberti filium, Ariperti nepotem, & Luitpertum, Cuniperti filium, Perthariti nepotem, Ariperti pronepotem, nepotes appellavi. Stemma vide:

ARIPERTVS.

PERTHARITVS. GVNDEBERTVS.

CVNIPERTVS. RAGVMBERTVS.

LVITPERTVS. ARIPERTVS II.

2. ASPRANDVS.] Qui Regnum octo menses Luitperti nomine, & tutelæ jure administravit. Cùm arma pro pupillo sumeret, infelix, & bis victus: semel à Ragumberto quæ hîc pugna notata est: iterum ab Ariperto Ragumberti filio, quemadmodum deinceps scribo.

3. INFELICITER.] Pugna hæc commissa est prope Novariam, scribente Paulo, libro VI. capite XVIII.

HISTORIA.

FVGERE victos, non perire Fortuna voluit, ut de Regno adhuc deliberaret. Lusum calamitatis videas: magis ve-

rò magiſque Longobardorum potentiam concuti, ut cadat. Interim victo jam hoſte, ſceptrum, [1] tanquam jure debitum, RAGVMBERTVS capit, ſed ne geſtaret. Etenim in ipſo crudi adhuc Regni auſpicio, vix armis poſitis, vix ſanguine civium abluto, [2] moritur. Si rectè calculum ponas, non tam pugnârat, ut Rex eſſet, quàm ut Regem filium faceret.

COMMENTARIVS.

1. TANQVAM IVRE DEBITVM.] Et quo jure? Quia puer Luitpertus erat, & videbatur expelli poſſe. Fateor, patrem Ragumberto Regem fuiſſe; ſed conſortem ille fratrem habuit. Hic oblitus, patruum regnaſſe, ejus nepotem Regno expulit.

2. MORITVR.] Poſtquàm tres duntaxat menſes rerum potitus eſſet. Niſi filius ſuccederet, videri poterat Rex non fuiſſe.

HISTORIA.

SVCCEDIT igitur [1] ARIPERTVS; ſed novam belli tempeſtatem excepturus. Inſtauratis animis viribuſque Aſprandus Rothariſque redeunt. Fortunam rati tam facilè mutari poſſe, quàm Reges moriuntur. Sed illa benigniùs etiam Succeſſori indulſit. Prope Ticinum collatis ſignis acies concurrerunt: nec diu æquo Marte ardor pugnantium ſtetit. Clades cladi adjecta eſt, [2] iterumque vincuntur, qui è fugâ convenerant. Ipſe hoc prælio Luitpertus in manus hoſtium venit: Aſprandus & Rotharis elapſi, ſequentem belli molem traxerunt. Quippe priuſquàm colligere diſſipatum exercitum potuêre, in ipſis uterque latebris obſeſſus eſt: Rotharis Bergomi, Aſprandus [3] in inſulâ Comacenâ: & ſic quoque unus utrique ſuffecit. Rotharis urbe expugnatâ, [4] exilio punitus eſt. Aſprandus ex inſulâ [5] ad Bajoarios aufugit, meliori occaſione bellum reparaturus.

COMMENTARIVS.

1. ARIPERTVS.] Aliquid in nomine ominis eſſe, hinc ſtatuas. Ragumbertus enim avi nomen filio impoſuit; ut Regni ſaltem memoriam in poſteris renovaret: Aripertus Gondoaldi filius, Garibaldi Bajoariorum Regis nepos, Regno Longobardorum & dignus, & donatus fuit;

quia

quia amitam Theodelindam, ut in Historiâ dixi, habuit. Quid tandem? postquàm idem nomen sceptri majestas invenit, substitit, & ad non heredes transmigravit. Prorsùs in Ariperto cœpit appellatio magna esse, in Ariperto deinde cessavit.

2. ITERVMQVE VINCVNTVR.] Magnam victoriæ hujus partem precibus S. Boniti Avernensis reversus à strage Rex tribuit. Magno exemplo: ut hinc discant Principes, etiam in rebus quæ bellum spectant, Viros Deo familiares æstimare. Res ipsa è vitâ ejusdem Boniti depromenda est: *Denique in Italiam ingressus, à Rege Longobardorum & devotè & amanter acceptus est: qui cùm viri Dei colloquiis frueretur, audivit ad se referri, Vrbem ab exercitu obsideri. At ille mox exsiliens, jubet suos arma capessere, secumq; contra hostes dimicaturos, esse paratos ad pugnam. Conversus autem humiliter ad virum Dei, Quæso te Pater, inquit, ut pro me Domino preces offeras. Nam mihi res est cum hostibus meis. Liceat mihi tuâ intercessione ex illis palmam referre. Mox inde regressus, prælium cum hostibus init. Adeò verò partibus Ariperti (ita enim ille Rex Longobardorum vocabatur) favit victoria, ut multis cæsis atque prostratis, Rege quoque in inguine vulnerato, & capto, cum magno tripudio ad virum Dei redierit; illiq; pro precum illius suffragiis gratias agens, denuò se ejus orationibus commendârit multâ cum humilitate, & in Regno suo res necessarias illi præberi curaverit.*

3. IN INSVLA COMACENA.] De Insulâ istâ, nomineque insulæ anteà pauca annotavi. Scribit verò Paulus, & oppidum istic Asprandi ab exercitu Ariperti dirutum esse. Sed quod oppidum? an illud à Comensibus posteà excisum? Iovius sanè hujus ruinæ meminit, in pulcherrimâ Descriptione Lacûs Larii, quam quoties lego, usurpare oculis suavissimam naturæ amœnitatem videor: *Sala demum pagus occurrit cum vetustâ arce in aditu, negotiosis piscatoribus frequens. Hinc enim incipit euripus ille gemmeus Cæcilii Plinii, à multâ intercurrentium piscium capturâ pernobilis. Contra id Salaniani litoris spatium, porrigitur insula, protenso in longitudinem dorso cadaver antiquæ urbis decreto Comensium ostentans; ut ejus pœna exemplo Lariani populi parentem suam Comam urbem fideliùs colere moneantur.*

4. EXILIO PVNITVS EST.] Paulus libro VI. cap. XX. *At verò Rotharis Dux, Bergomum civitatem suam rediens, Regnum arripuit. Contra quem Rex Aripertus cum magno exercitu proficiscens, expugnatâ priùs & captâ Laude, Bergomum obsedit, eámque arietibus, & diversis belli machinis sine aliquâ difficultate expugnans, mox cepit: comprehensumq; Rotharim pseudoregem (ejus caput barbámque radens) Taurinos in exilium trusit: ubi post aliquot dies peremptus est.*

5. AD BAIOARIOS AVFVGIT.] Idem Paulus: *Misit quoque Rex exercitum adversus Asprandum in Insulam Comacenam: quo comperto, Asprandus fugit Clavennam: deinde per Curiam, Rhætorum civitatem, venit ad Theodebertum, Bajoariorum Ducem, & fuit cum eo per annos novem.* Perge legere; exul Rex fiet.

HISTORIA.

SED Aripertus prospero successu in superbiam elatus, quam pulchram pugnando victoriam fecerat, [1] sæviendo corru-

corrupit: adeò non facilè injicit animo frænum, qui fortunę petulantiâ stimulatur. Statim igitur Luitpertum, illam Regiæ stirpis sobolem necavit: hanc deinde crudelitatem quâdam velut ferociæ pompâ extendens, Asprandi filio majori Sigiprando oculos eruit,[2] Luitprando, quia planè puero, incolumitate concessâ. Et hic ille Luitprandus erit, qui adultus sceptrum accipiet, magniq́ue Principis gloriam sustinebit. Nunc indignare: etiam [3] in conjuge,[4] & sorore captivis Asprandus vulneratur: utrique nares aureśque præcîdi Rex jubet,[5] barbaro ritu miseris fortunæ ludibrium exprobrans. Et quâ culpâ hanc contumeliam meruerant? Animo, nec non sermone Reginæ erant. An vano? tam illustre nomen post calamitatem tamen mutilę possidebunt. Iam verò unam si pudicitiam excipias, quid amplius eripi formosis potuit? cum vultu periisse videbantur. Quippe tanquam vitam ipsam mulier [6] decôrem corporis æstimat. Et tamen multum indulsisse Aripertus videri voluit, quia vocem, tanquam [7] formæ florem reliquit; quâ solâ agnosci jam deformes poterant, & placere quoque altera fratri, altera marito, si redderentur. Mireris, à tam fœdis initiis Regis animum ad clementiam & modestiam descendisse. Obliterarę ferociæ maculam [8] magnâ sagacitate conatus est: & obliterata foret, si oblivisci injuriæ Asprandus voluisset. Quæ vires etiam victo & exuli? quæ fiducia inopi & afflicto? idq́ue post novennium? Taceo vindictam: Regnum cepit. Bajoarii viros, arma, sed & victoriam subministrant; qui tanquam pro suo Rege pugnârunt. Prælium in agro Ticinensi magnâ utrimque strage commissum, & nocte diremptum. Aripertus nunc demum fortunam metuens, non in castra, sed in mœnia, velut victus se recepit. Mox fugæ inito consilio, è gazâ Regiâ, quantum ferre potuit auri, sumit, & clàm solusq́ue [9] urbem excedens, dum fluvium, vadi ignarus tranat, in rapidum gurgitem incidit, & metalli simul pondere depressus, aquis absorbetur. Cadaver postridie inventum,[10] terræq́ue mandatum, finem bello imposuit.

COM-

COMMENTARIVS.

1. SAEVIENDO CORRVPIT.] Pulchrè Tragicus monet, Troade:

——— *Noscere hoc primùm decet,*
Quid facere victor debeat, victus pati.

Sed monente Publio,

Bis vincit, qui se vincit in victoriâ.

Valerii dictum Reges expendant, lib. v. cap. I. *Tum demum victoriam & apud Deos, & apud homines minimum invidiæ habituram, cùm plurimum humanitatis habuisset.*

2. LVITPRANDO.] Diaconus lib. VI. cap. XXII. *Minorem quoque Asprandi filium Luitprandum in custodiâ tenuit: quem quia despicabilem personam, & adhuc adolescentulum esse conspexit, non solùm in corpus ejus non sæviit; sed eum, ad patrem suum abire permisit. Quod Dei Omnipotentis nutu factum fuisse, qui eum ad Regni gubernacula præparabat, dubium non est.* Sic igitur Luitprandus deformitate suâ impunitatem nactus est, quam alii formæ beneficio inveniunt.

3. CONIVGE.] Theoderatâ. Ita enim eam appellat Paulus, lib. VI. cap. XXII. Aliam quoque fuisse Theoderatam, Lupi filiam, Romoaldi Ducis Beneventani uxorem, à quâ Basilica in honorem Divi Petri extra muros Beneventanos structa est, apud eundem Paulum leges. Romoaldum autem, filium fuisse Grimoaldi Regis, lib. I. sub finem diximus.

4. ET SORORE.] Aurunâ: Sic enim hoc apud Paulum nomen legendum est, non Aurona.

5. BARBARO RITV.] Ita Curtius lib. III. ubi de interceptis à Dario Macedonibus loquitur: *Quos omnes, instinctu Purpuratorum barbarâ feritate sævientium, præcisis adustisque manibus, circumduci, ut copias suas noscerent, satisque omnibus spectatis, nunciare quæ vidissent, Regi suo jussit.* Et lib. V. de quatuor millibus Græcorum scribens, qui manibus pedibusque truncatis, Regi ad Araxem occurrunt, iterum ostendit miserabilem hunc ritum Barbaris familiarem fuisse.

6. DECOREM CORPORIS AESTIMAT.] Tolle à muliere formam, omnia sustuleris. Pulchræ videri, quam bonæ esse pleræque malunt; atque adeò ne bonæ sint: permittunt autem robur ac virtutem virorum esse. Satyricum audiamus:

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater.

Aptè Aristoteles, cùm adolescentem cerneret circa corporis elegantias occupatum, *Non erubescis*, inquit, *quòd cùm natura te virum fecerit, tu te ipse esse minas?*

7. FORMAE FLOREM.] Zenonis Cittici est, apud Laërtium: *Formam esse vocis florem:* quod invertere hîc malui: *Vocem esse formæ florem.* Etenim quemadmodum loquentis orationem commendat forma; ita contrà oratio formam.

8. MAGNA SAGACITATE.] Paulus lib. VI. cap. XXXVI. *Aripertus noctu egrediens, & hac illácque pergens, quid de se à singulis civitatibus diceretur per semetipsum explorabat, ac diligenter, qualem justitiam singuli Iudices populo suo facerent investigabat. Hic advenientibus ad se exterarum gentium legatis, vilissimis coram eis vestibus, utpotè pellicius utebatur, utque minùs Italiæ insidiarentur, nunquam eis pretiosa vina, vel cæterarum rerum deli-*

cias

licias ministrabat.

9. VRBEM EXCEDENS.] In Franciam fugere destinaverat.

10. TERRAEQVE MANDATVM.] In Basilicâ Sancti Salvatoris.

HISTORIA.

In urbem & Regiam ASPRANDVS excipitur,[1] alieno exercitu, quàm suo fortior:[2] infortunio hostis, quàm suâ felicitate lætior. Sed tanquam filio, non sibi vicisset pius pater, resignat gubernacula, cernitque Regem, cui quasi in opprobrium Aripertus pepercerat.[3] Fato, non casu dari imperia, hinc statuas; & tamen virtutem cum sorte in rebus humanis pugnare.

COMMENTARIVS.

1. ALIENO EXERCITV.] A Theodeberto Bajoariorum Duce, ad quem ex insulâ Comacenâ Asprandus confugerat, viros, arma, atque adeò victoriam, ut sic dixero, subministratam esse, satis in Historiâ ipsâ paullò antè indicavi. Alienus igitur hîc exercitus, Bajoariorum fuit; suus, Longobardorum.

2. INFORTVNIO HOSTIS.] Imò metu, & desperatione. Nam, scribente Paulo lib. VI. cap. XXXV. Aripertus prælio vicerat magis, quàm victus erat. *Sed quia in castris manere noluit, & potiùs Ticinum intravit, suis hoc facto desperationem, adversariis audaciam præbuit.* Proinde suum sibi offensum esse exercitum animadvertens, fugæ capere consilium maluit, quàm rursùs prælii fortunam experiri. Pusillanimitatem, an avaritiam accuses? Vrbem per silentium noctis relinquens, auro se oneravit, ut aquis mergeretur.

3. FATO.] Deum intelligo. ab eo enim & Regna & Reges sunt: quod & Hesiodus scivit: ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες: *Ex Iove sunt Reges.* Plinius Panegyrico: *Si adhuc dubium fuisset, fortè casuque Rectores terris, an aliquo Numine darentur: Principem tamen nostrum liqueret divinitus constitutum.* Sacræ quoque Litteræ auctoritatem suam proferunt disertè: Divi Pauli ore, ad Romanos cap. XIII. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim Potestas nisi à Deo.* Imò Sapientiæ ipsius egregiè monentis vox est, cap. VI. *Audite ergò Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo; qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.* Et hæc ad rem per se manifestam satis.

HISTORIA.

LVITPRANDVS igitur patrias virtutes solertiâ, & simul robore exprimens, conflatas à cognatis atque domesticis

sticis [1] insidias extinxit: in ipso luctandum aditu fuit, ut fundamenta potestas acciperet; & jam suâ manu venisse ad Regnum videbatur, qui periclitantia velut sceptra è manibus conjuratorum extorsit. Magnum virtutis specimen: pluris tamen in juvene Religionis ac Iustitiæ curam facias; & Regnum [2] novis mox legibus constitutum, [3] templis ornatum, arcibus munitum. Tum quoque Comenses D. Carpophori ædem, & [4] castrum Baradelli, velut speculam & tutelam urbis acceperunt. Pietatem Regis [5] ossa quoque D. Augustini, grandi à Saracenis pretio redempta, testantur; quæ è Sardiniâ advecta, velut sacrum Regni pignus Ticini deposuit, templo & monumento condendis tanti viri reliquiis exstructo. Tam insignes virtutes dominandi quoque cupiditas in parte imminuit: paullatimque irritata fortuna, quasi insanis molitionibus non sufficiens, insequentium mox Regum vota punivit, donec à sceptro ad jugum Longobardi venirent.

HISTORIA.

1. INSIDIAS EXTINXIT.] Initio statim Regni. A Rothari verò consanguineo ejus hæ insidiæ erant, scribente Paulo, lib. VI. cap. XXXVIII. *At verò Luitprandum Regem, cùm in Regno confirmatus esset, Rotharis consanguineus ejus perimere voluit. Is enim convivium in domo suâ Ticini præparavit: in quâ domo viros fortissimos, qui Regem convivantem extinguerent, armatos abscondit. Quod cùm Luitprando nunciatum esset, eum ad Palatium suum vocari præcepit. Quem, sicut ei dictum fuerat, loricâ sub veste indutum, eum ipse manu pertentans, repperit. Iste cùm se detectum & & circumseptum esse cognovit, statim retrorsum exsiliens, spatham evaginavit, ut Regem percuteret. Rex verò è contrario ensem suum vaginâ exemit. Tunc unus è Regiis satellitibus, nomine Subo, Rotharim à tergo comprehendens, eundem in fronte vulneravit. Super quem è vestigio & alii insilientes, eum ibidem occiderunt. Quatuor verò ejus filii, qui non aderant, ubi inventi, ibi & peremti sunt.* Memorabile est quod addit. *Fuit autem Rex Luitprandus, vir multæ audaciæ; ita ut, cùm duo eum armigeri occidere cogitarent, & hoc ei indicatum fuisset; in profundissimam silvam cum eis solus ingressus, mox evaginatum gladium contra eos tenens, eisdem, quòd se occidere cogitaverant, improperaverit: quod ut tunc facerent adhortatus est. Qui statim ad ejus pedes advoluti, cuncta quæ machinati contra eum fuerant, confessi sunt. De aliis quoque hoc similiter fecit: sed tamen confessis mox tantæ malitiæ culpam ignovit.* De eodem verò paullopòst idem Paulus scribit: *Fuit autem vir multæ Sapientiæ, consilio sagax, pius admodum, pacisque amator, belli præpotens, delinquentibus*

clemens, castus, pudicus, orator pervigil, eleemosynis largus, Litterarum quidem ignarus, sed Philosophis æquandus, nutritor Gentis, Legum augmentator, plùs semper orationibus, quàm armis fidens.

2. NOVIS MOX LEGIBUS.] Tanquam novus Legislator, Edictum Rotharis auxit, primo Regni anno, Indictione x. Prid. Kal. Martias. Ipsum in Prooemio audiamus. *Recolimus, quoniam robustissimus decessor noster, atque eminentissimus Rotharis Rex, sicut ipse in scriptu effatus suus, superius in Longobardis Edictum renovavit atq; instituit, ubi & prudenter inseri curavit, dicens, Ut si quisquam Longobardorum Princeps ejus successor superfluum quid ibi reperiret, ex eo sapienter auferret; & quod minus inveniret, Deo inspirante, adjiceret. Post hunc etiam gloriosissimus Grimoaldus Rex, quæ illi secundum Dominum placita fuerunt, minuit & ampliavit. Cujus nos normam secuti, divinitus, ut credimus, inspirati, simili modo ea quæ juxta Dei legem nobis congrua apparuerunt, subtrahere, & addere decrevimus, sicuti & in præsenti paginâ scribi jussimus. Ob hoc ego in Dei Omnipotentis nomine Liutprandus, Excellentissimus, Christianus, & Catholicus, Deo dilectæ gentis Longobardorum Rex, anno, Deo propitio, Regni mei primo, Prid. Kal. Mart. Indictione undecima, unà cum omnibus judicibus, & Austria, & Neustria partibus, & de Tuscia finibus, cum reliquis fidelibus meis Longobardis, & cuncto populo assistente, hæc nobis juxta Dei timorem atque amorem sancta comparuerunt, & placuerunt.*

3. TEMPLIS ORNATUM.] Paulus libro VI. cap. ultimo: *Hic gloriosissimus Rex multas in Christi honorem, per singula loca ubi degere solebat, Basilicas construxit. Monasterium Beati Petri, quod extra muros Ticinensis civitatis situm est, & Cœlum Aureum appellatur, instituit. In summâ quoque Bardonis Alpe Monasterium, quod Bercetum dicitur, ædificavit. In Olonâ nihilominus suo Proastio, miro opere in honorem Sancti Anastasii Martyris Christo domicilium statuit; in quo & Monasterium fecit. Pari etiam modo per loca singula divina templa instituit. Intra suum quoque Palatium Oratorium Sancti Salvatoris ædificavit, & quod nulli alii Reges habuerant, Sacerdotes & Clericos instituit, qui ei divina officia quotidie decantarent.* Eadem Petrus Oldradus, Archiepiscopus Mediol. epist. ad Carolum Magnum.

4. CASTRUM BARADELLI.] Edito in monte, turrique excelsâ eminens, è quâ in campos subjectos liber latè prospectus pertingit. Carcerem hic Napus Turrianus, prælio victus, habuit, & suâ locum ærumnâ nobilitavit.

5. OSSA QUOQUE D. AUGUSTINI.] Tota rei series eâdem Oldradi Epistolâ describitur: *Opus quod Celsitudo Vestra, dum in Urbe Mediolani moraretur, mihi imponere dignata fuit, ut aliquid de Translatione corporis Beati Augustini Episcopi de Sardiniâ Papiam inquirerem, & fideli sermone Celsitudini Vestræ transscriberem, quantum humana fragilitas laborare potuit, elaboravi; & quod ex litteris, & libris Regum Longobardorum, etiam ex traditione multorum legi, & audivi, Deo adjuvante, breviter scribam. Beatus Augustinus, Doctor Ecclesiarum Christi, post multa miraculorum signa, quibus in hoc mundo effulsit, post multam insudationem laborum, quâ obstinationem Hæreticorum, rectum iter via depravantium, oppugnaverat, Deo animam reddens, honorificè à fidelibus sepultus est, in Civitate Hipponensi, in Episcopatu suo, in Ecclesiâ Sancti Stephani, currente anno Incarnationis Christi* CCCC XXX. *ibique honorificè sepultus per manum discipulorum suorum, jacuit annis ferè*

LXXIV.

LXXIV. *Deinde in Sardiniam corpus translatum est, à fidelibus, & Catholicis Episcopis, qui ob Christi fidem ab iniquo Trasemundo Rege, unà cum Fulgentio Ruspensi Episcopo, & innumerabilibus Christi fidelibus in eandem Insulam relegati fuerant, quo tempore Vandali Africam vastabant. Ne gemma & Thesaurus tantus ab immundis spiritibus pollueretur, secum cum nonnullis aliis Sanctorum reliquiis deportârunt. Ibi multis miraculis claruit, annis CCXXI. in quo manifestè datur intelligi, quòd quos Deus charos habet, ad sanctitatis eorum testimonium, clarificat & insignit virtutibus miraculorum.* Et posteà: *Barbarorum infinita multitudo Sardiniam expugnare est aggressa; quam cùm invasissent & subjugatam destruerent, loca etiam sancta violenter aggressi polluebant; inter quæ sepulchrum B. Augustini. Hæc cùm Iustitiæ cultor, & amator Religionis Luitprandus Rex audivisset à sanctæ memoriæ Petro Papiensi Episcopo, quem Rex maximo honore, & summâ reverentiâ ob vitæ sanctitatem prosequebatur: videlicet coinquinari & inhonestè tractari sanctissimi Augustini locum; Legatos suos, Proceres, Nobiles cum magno pondere auri & argenti transmisit in Sardiniam, ut corpus tanti Sancti redimerent pretio, & transferrent quamprimùm ad civitatem Papiensem. Qui jussioni & desiderio piissimi Regis satisfacere cupientes, navigio venerunt in Sardiniam, & redimentes corpus sanctum à Barbaris, naviq; illud imponentes, Dei misericordiâ, & ingenti eorum gaudio, plenis velis per tranquillum mare, unius diei & noctis spatio perducti sunt ante portum & stationem Ianuensem, & per Legatos Regi quæ facta erant denunciarunt, ut honorificè omnes occurrerent ad reliquias tam gloriosi corporis suscipiendas. Quo audito, Rex immenso gaudio perfusus, gratias ingentes Deo referebat, quòd desiderium suum implevisset; omnique negotio postposito, rogatis & convocatis omnibus civitatum suarum Episcopis, & universo Clero, usque ad finem agri Dertonensis, ad suscipiendum tam præclarum Dei munus, cum maximâ humilitate processit, & more Davidico ad accipiendam Arcam Domini, & reponendam in decentiori loco, properabat cum innumerabili Procerum, & populi utriusq; sexûs multitudine, Deo gratias omnes agentes de tantis donis datis. Cùm autem ad locum ubi jacebat sanctum corpus, appropinquasset, depositis Regalis aulæ insignibus, nudatoq; capite & pedibus, cum tantâ humilitate & devotione procedebat, ut omnes qui aderant mirarentur, & Deum super tantâ devotione piissimi Regis laudarent.* Afferit idem, Regem ipsum apud corpus totâ nocte vigilias egisse; cumque nullâ vi postridie cadaver potuisset amoveri, scidisse vestes suas faciemq; deformasse. Quid tamen? hæsisse reliquias, donec agrum Savinariensem, in quo hæc fiebant miracula, Rex quâ pietate & liberalitate Ecclesiæ vovisset.

HISTORIA.

FERRE jam quietem Luitprandus non potuit, angustiasque arbitratus, quicquid majores possedissent, Ravennam invadit, [1] capit, diripit; inter alia antiquæ virtutis monumenta equestrem Romani Imperatoris statuam Ticinum transferens, quæ adhuc in foro visitur. Tam insigni

prædâ crevit victoriæ decus, tamquam fracta Imperii fortuna Regi Barbaro cum urbe & imagine Cæsareâ cessisset. Iustis quoque armis oppugnari à Longobardis Paulus Exarchus videbatur, qui [2] dolo & bello Pontificem petierat. Quis fortunæ ubique ludus! Iam provinciâ totâ exutus,[3] ad Venetos profugit: qui [4] auxilia polliciti, ne arma tantùm conferrent, dolos addiderunt. Nam & [5] dimisêre inopem, tanquam repulsum; & cùm classem instruerent, expeditionis consilium ficto rumore tegunt, [6] quasi in Saracenos profecturi. Rebus paratis, rectâ Ravennam petunt, [7] feliciter pugnant, in urbem atque ditionem Exarchum reponunt. Hæc celeriùs gesta, quàm nunciari Luitprando potuêre. Is ergò eductis iterum copiis, [8] in damni vicem pleraque Æmiliæ oppida, ipsamque [9] Bononiam in potestatem suam redegit; sed nec tum quietus.

COMMENTARIVS.

1. CAPIT, DIRIPIT.] Imò ut Exarchatûs nomen extingueretur, in formam Ducatûs redigit, eique Hildebrandum nepotem, qui postea Regni insignia accepit, præficit, addito Peredeo Duce Vicentino, qui novo Principi, & adhuc juveni, à consiliis esset.

2. DOLO ET BELLO.] Leo III. Imperator, perverso impetu imagines omnes demoliri cœpit, Gregoriumque Pontificem, cùm idem hoc facere sprevisset, irâ capitali est prosecutus. Sæpè eum conficere frustrà studuit. Tandem Spathario Ravennam misso, monuit Paulum Exarchum, ut Gregorium aut vitâ, aut Pontificatu exturbaret. Exarchus obtemperavit mandatis Imperatoris, & Spatharium cum militum haud contemnendâ manu tendere Romam jussit. Sed res Gregorium latere non potuit. Itaque subsidia à Longobardis è Tusco Spoletinoque Ducatu accivit; qui pontem Milvium & Salarium, ut Paulus scribit, cum validis cohortibus insederunt, & Spatharium Ravennam redire compulerunt.

3. AD VENETOS.] Quorum Reipublicæ Vrsus Hypatus tum temporis præerat: quem tertium fuisse Ducem Venetorum Historiæ tradunt.

4. AVXILIA POLLICITI.] Gregorius Pontifex, cùm Longobardorum jam potentia incrementis suis formidolosa fieret, caussam Pauli Exarchi suscepit; satiùs ducens, injuriæ oblivisci, quàm Vrbem Longobardis subjectam videre. Itaque ut Luitprandi vires cum Exarcho collideret, & Pontificia dignitas tuta tranquillaque perstaret, has ad Venetos litteras misit, quæ in libro manuscripto Rerum Venetarum Andreæ Danduli exstant, & Sigonio expressæ sunt, in rebus Luitprandi: *Gregorius Episcopus servus*

servus servorum Dei dilecto filio Urso, Duci Venetorum S. Quia peccato favente, Ravennatium Civitas, quæ multarum caput Ecclesiarum est, à nefandâ gente Longobardorum capta est, & filius noster eximius Dominus Exarchus apud Venetias, ut cognovimus, moratur; debeat nobilitas tua ei adhærere, & cum eo nostrâ vice pariter decertare, ut ad pristinum statum Sanctæ Reipublicæ Imperiali servitio Dominorum, filiorúmque nostrorum Leonis & Constantini Magnorum Imperatorum, ipsa revocetur Ravennatium civitas amore Sanctæ fidei nostræ.

5. DIMISERE INOPEM.] Exarchus, quasi repulsus foret, modicam aliquam conscripsit militum manum: sed mox quasi Imolam obsidione pressurus, justum coëgit exercitum, eumque, die cum Venetis constitutâ, Ravennam adduxit.

6. QVASI IN SARACENOS.] Erat omnino ad fidem compositus hic dolus. Nam Saraceni tum temporis inquietabant omnia & populabantur. Constantinopolim, Siciliam, Sardiniam, Bulgariam, Hispaniam, Gallias strenuo latrocinio convellebant, nihilque ferè ab avaris eorum manibus tutum erat.

7. FELICITER PVGNANT.] Hildebrandus enim vivus in Venetorum manus venit, & Peredeus in fugâ trucidatus.

8. IN DAMNI VICEM.] Et occasione discordiæ, quæ Pontifici cum Imperatore erat. Leo enim non territus excommunicationis fulmine, omnes Sanctorum imagines igne abolebat. Paulus lib. VI. cap. XLIX. *Ad pejora progressus est, ita ut compelleret omnes Constantinopoli habitantes, tam vi, quàm blandimentis, ut deponerent ubicumque haberent imagines, tam Salvatoris, quàm ejus Sanctæ Genitricis, vel omnium Sanctorum, eásq; in medio civitatis incendio concremari fecit. Et quia plerique è populo tale scelus fieri præpediebant, nonnulli ex iis capite truncati, alii corporis parte mulctati sunt. Cujus errori Germanus Patriarcha non consentiens, à propriâ sede depulsus est, & ejus in loco Anastasius Presbyter ordinatus est.* Quin etiam Scholam propè Palatium cum Doctore discipulisque concremavit: quia cultum imaginum non damnaverant. His auditis, Pontifex Leonem piorum communione removit, & Italiam sacramenti religione, quâ se Imperatori obstrinxerat, solvit. Quo decreto extemplò Romani, Campani, Ravennates, Pentapolitani jugum Imperii excusserunt. Quid? à Ravennatibus Paulus interemptus, à Romanis Petrus Dux excæcatus, à Campanis Exhilaratus Dux unà cum Adriano filio obtruncatus. Quin etiam alium Imperatorem legissent, nisi auctoritate Pontificiâ essent deterriti. Injecit igitur Luitprandus occasioni manum, &, ut Paulus ait, *Castra Æmiliæ, Feronianum, & Montem Bellium, Buxeta, & Persiceta, Bononiam, & Pentapolim, Auximumq; invasit. Pari quoque modo tunc & Sutrium pervasit: sed post aliquot dies iterum Romanis redditum est.* Nam Pontifex, qui Imperatorem Romanâ ditione ejecerat, id sibi oppidum vindicabat.

9. IPSAMQVE BONONIAM.] Vrbs est ad radicem Apennini, amnemque Rhenum, cognomento Felsina, ut est apud Plinium lib. III. cap. XV. Condita à Bono Tuscaniensi, ut quidam volunt. Alii à Gallis Bojis, & inde Boionam, posteaque Bononiam dictam affirmant. Coloniam Romanorum fuisse, Livius, Tacitus, Vellejus, auctores sunt. Festus eam *Municipium sui juris* appellat. Bello civili, Antonianas partes secuta est. Gra-

tiano imperante, ad libertatem adspiravit; sed ab Asclepio Præfecto domita. Nec multò pòst, jugum iterum excutere tentavit; infelicissimè. Nam tota propemodum fuit subversa. Iacuisset etiam, nisi D. Petronium Episcopum nacta esset: is anno Christi CCC. XXIII. à Theodosio II. instaurationem impetravit. Quo munere obstricta, fidem Imperio servavit, donec à Luitprando, Longobardorum Rege, devicta est. Pontifici posteà à Pipino Francorum Rege adjecta. Deinde Lambertatiorum & Geremeiorum factionibus miserandum in modum concussa: modò à Ducibus suis Pepulis, Vicecomitibus, Bentivolis; modò à Legatis Præsidibusque Pontificiis regi maluit. Hodie inter opulentissimas Italiæ Vrbes numeratur. Porticibus insignis, ædibus magnifica, rerum copiâ abundans. Quæ dixi, in parte Hadrianus Cardinalis nitido Encomio complexus est:

Vrbs antiqua, ingens, Etruscis Regia quondam
Felsina; tum Boiis fato irrumpentibus impar,
Accepisse novum fertur Bojonia nomen:
Verùm ubi sunt Boii Romano milite pulsi,
Barbariem excussit, cœpitque Bononia dici.
Subditur ad Boream radicibus Apennini,
Planitie acclivi procumbens Solis ad ortus,
Inter aquas Sapinæ, & Rheni, quarum utraque in Vrbem
Ducta vehit revehitq; rates, pistrinaq; versat:
Æmiliæ decus, & belli pacisq; patrona,
Dives opum variarum, & nullius indiga cultûs,
Musarum domus, atque omnis nutricula Iuris:

Quæ & meum nuper ingenium æstimavit.

HISTORIA.

Nova belli semina à Trasemundo, Spoletinorum Duce, qui defecerat. Eodem tempore Exarchus Eutychius, frustra Leonis Imperatoris [1] furorem spirans, Romanâ ditione à [2] Pontifice spoliatur. Græcos igitur & Longobardos idem velut ardor bello castrisque sociat. Namque fœdere icto communibus votis viribusque in Trasemundum Luitprandus, in Gregorium Pontificem Eutychius insurgunt. Trasemundum prima vis terruit, & ad obsequium Regis ultrò deduxit. Hinc [3] Romam translatæ sunt copiæ, & concepit militaris furor, quicquid nec Brennus fecerat. Sed vis numinis nefas avertit. Pontifex armis desperans, Regem [4] pro urbe deprecaturus, cum sacrâ pompâ adiit, & quem hostem timuerat (ô exemplum pietatis!) mox supplicem habuit. Putares non belli, sed religionis causâ Luitprandum venisse. Nam & [5] adoravit Pontificem, velut victus, & cùm

& cùm ad prædam profectus esset, dona tulit. Quid pulchrius, quàm paludamentum Regium, armillas, baltheum, ensem, & coronam auream, velut spolia opima Principi Apostolorum suspensa? Vtinam omnia hunc finem bella sortirentur, & furorem rabiemque armorum pietatis affectus extingueret! felicior Europa esset, & Respublica Christiana læto vultu ærumnas suas deleret. Nunc collidimur, & ut bella gerantur, religionem proterimus. Martialis violentia impietate commendatur. Luitprandus igitur majori gloriâ reduxit domum exercitum, quàm si de Româ triumphasset: seipsum vicerat.

COMMENTARIVS.

1. FVROREM SPIRANS.] Nam cùm Neapolim appulisset, ut tradit Anastasius, Romam ministrum suum cum hoc mandato misit: ut Pontificem, & Romanorum Optimates occideret. Sed quia ab Exarcho veniebat, primùm suspectus fuit, deinde comprehensus: qui cùm destinatum confiteretur scelus, Pontifex e vestigio Eutychium diro anathemate percussit. Hanc pœnam meritò tanti sceleris audacia extorsit. Quis clementiæ locus, cùm modum impietas excedit? Atqui major hîc etiam Leonis culpa, à quo funesta mandata Eutychius acceperat; exemplum Leo à Constante. Is enim Pauli Exarchi operâ tollere non semel eundem Gregorium (id quoque Anastasius tradit) tentârat: & antea per Olympium pariter Exarchum, inter ipsa (ô nefas!) augustissimi Sacrificii solennia, Martinum Pontificem propemodum interemerat. Sed eò jam profectò res Imperii inclinabat, senium trahens, ut quia virtute non staret, malis artibus, sed manifesto imminentis ruinæ indicio, fulciretur.

2. A PONTIFICE SPOLIATVR.] Romani cùm ob tot molimina cædium, impiasque hæreses, Græcorum Imperium execrarentur, solenni sacramento Pontificem sibi, suisque Vrbibus præfecerunt. Vide Cedrenum, Theophanem, & Zonaram. Romanorum oppida hæc in Tusciâ recensentur: Portus, Centumcellæ, Cære, Bleda, Maturanum, Sutrium, Nepet, Castellum Gallesii, Orta, Polimartium, Ameria, Tuder, Perusia, Harnia, Ocriculi. In Latio, Signia, Anagnia, Ferentinum, Alatrium, Patricum, Frusino, Tibur. In Campaniâ, Sora, Arces, Aquinum, Teanum, & Capua.

3. ROMAM TRANSLATAE.] Rex castra in Campo Neronis locavit: Exarchus exadversùm templo S. Petri.

4. PRO VRBE DEPRECATVRVS.] Alia nunc oratio est, quàm epistola ad Vrsum fuerat. *Si solo*, inquit, *Luitprande Rex, Leonis ipsius exercitu hanc Vrbem obsideri novissem, omnes, mihi crede, obsidionis labores potiùs exhausissem, quàm aut ad pacem, aut ad inducias ullas postulan-*

das

das exissem. Quid enim de sacris templis, & religiosis sepulchris liberandis agere cum eo conveni, qui nuper Sanctas Christi, ac Divorum imagines ferro, atque igne delere, ac sacrata templa nefariis manibus incestare non dubitavit? Nunc verò cùm tuo potissimùm ductu, hoc bellum audirem administrari, téque præcipuè in castris ad Vrbem positis observari, cujus inter eximias Prudentiæ, Virtutis, ac Iustitiæ laudes egregia pietas, ac summa Sanctorum veneratio commendatur; non dubitavi ad te venire, & quæ ad Dei caussam pertinere mihi viderentur, monere. Nec credo te ignorare, Rex Luitprande, te Vrbem illam infesto exercitu oppugnare, cujus Ecclesiam Principes ipsi Apostolorum Petrus & Paulus pretioso suo sanguine consecrarunt, terram verò sanctissimis suis sepulchris omnibus terrarum gentibus venerabilem reliquerunt. An igitur ipse in animum induces, ipsa sanctorum Apostolorum templa, ac sepulchra augustissima alieno arbitrio lacerare, qui unius Confessoris ossa, ne à Barbaris ignominiâ afficerentur, magno auri pondere redemisti, atque in Regiam tuam translata, templo ac sepulchro decorasti? Quin potiùs in propositâ tuâ benè de Ecclesiâ merendi sententiâ permanes, quàm fœdissimo Leonis de Deo ipso pessimè sentientis exemplo duceris? ac multos bonos in nobilissimâ Vrbe conservandâ, quàm unum in eâ perdendâ perditissimum imitaris? Notus est omnibus nobis propter insignem ipsius crudelitatem Attila Rex Hunnus; sed tibi multò, ut credo, notior, quòd ea loca tenuit, in quibus majores tui posteà consederunt. Hic cruorem cædémque anhelans, aliquando ad Romam incendendam cursu incitato contendit. Quod ubi Pontifex, qui tum erat, Leo accepit, raptim ei ad Padum amnem occurrit, atque ipsum ne longiùs progrederetur, oravit. Ac demum specie Sanctorum Petri & Pauli colloquio adsistentium territum, præter opinionem omnium, facilem mitemq; ad auctoritatem suam adduxit. An verò Attila, qui non solùm non Catholicus, sed longè etiam à Christianis Sacris, atq; omnino ab ipsâ, ut aiunt, humanitate aversus fuit, ab Vrbe Româ adeundâ, uno propè Romani Pontificis nutu se removit; Luitprandus verò Rex, insigni Catholicæ pietatis studio etiam apud venturos homines prædicandus, in ejusdem Vrbis oppugnatione perstare volet, quæ incestam secum violationem eorum templorum sepulchrorumq; adducat, quæ adhuc semper, non solùm finitimis atque humanissimis gentibus, sed etiam remotissimis & propè Barbaris nationibus, non tam pium spectaculum præbuerunt, quàm Religionem atque horrorem adspectantibus injecerunt? Et Attila imagine tantùm Apostolorum deterritus cesserit; Luitprandus verò eorundem, quæ hinc etiam prospicit, sepulchrorum adspectu non commovebitur? neque idem gravia à præsenti eorum numine exigenda piacula extimescet, qui ad propitiandos eos, multa etiam bona de patrimonio detracta Regio impertivit? Facilè Regem oratio, piæ plena majestatis, permovit, præcipuè cùm bellum ipse contra Trasemundum finivisset. Itaque Pontificem Exarcho Eutychio conciliavit; hoc quodammodò agens, ut, magna pro commilitone, qui adversus Spoletinum Principem suppetias tulerat, egisse videretur.

5. ADORAVIT PONTIFICEM.] Vetus hic ritus est, & à Constantini, nisi fallor, temporibus; qui Imperii majestate resplendere Religionem, summumque Religionis Antistitem voluit. Ad pedes ipsos pietas osculum duxit, ut Dei potestatem inclinata in terram sceptra agnoscerent, humana omnia divinis subjacere. Etiam Reges homines sunt: interdum mali, sive consilio, sive errore; sed utriusque culpam

pam fateri pium est, expiare salutare. Pontifices autem, ut à se ad Deum sacratissimamq; Christi mortem propensa mortalium vota converterent, crucem sandaliis infixam esse voluerunt, quam cùm Ecclesiæ venerando more, ut scribit Nicephorus, petere Christiani osculi cultu soleant; nunc etiam in ipso Christi Vicario adorent. Apud omnes verò gentes, ad pedes provolvi, supplicis habitus fuit. Sic *Mater & uxor Darii*, apud Curtium *provoluta ad pedes Alexandri orant, ut sibi liceat patrio ritu Darium sepelire.* Sic Cicero se ipse exhibet oratione ad Populum, antequam iret in exilium: *Oro atque obsecro, quibus singulatim sæpe supplex ad pedes jacui, ut eum quem singuli stratum atque abjectum sublevastis, nunc universi conservatum velitis.* Si amplius est, osculum ferre quàm provolvi, hoc etiam honore Religio digna est, quem in rebus profanis sive ambitio, sive majestas olim sibi adscivit. *C. Cæsar Caligula*, scribente Senecâ, lib. II. de Beneficiis, cap. XII. *Porrexit osculandum sinistrum pedem Pompejo Penno, cui vitam dederat.* Imò, *Manum pedemve*, Suetonio teste, *plurimis, usq; Senatoribus ad osculandum præbebat.* An & adjungo? Diocletianus Edicto sanxit, *Vt omnes sine generis discrimine proſtrati pedes sibi exoscularentur.* Maximinus, aliiq; eundem honorem usurparunt. Quod magis ad rem facit, Sacerdotum olim Romanorum pedes eodem cultu digni habiti, tanquam Sacra in Sacerdotibus æstimarent. Voluerunt autem Religiosissimi homines Christi Vicario affectum exhibere, quem nec Christus ipse, dum viveret in terris, aspernatus est. Magdalenæ flagitia sua confitenti, nónne pedes osculandos præbuit? Sileant igitur obstrepentium hìc linguæ, & sinant Principes omnes agere, quod cum laude Luitprandus egit, quod omnes ii posteà, qui pietatem suam testari voluerunt. Carolus ipse Magnus ante pedes Summi Antistitis humi procumbere non exhorruit. Iustinianus quoque Imperator Nicomediæ pedes Constantini Pontificis, populo spectante, osculatus est. Henricus V. ad pedes Paschalis II. Pontificis corruit. Sed hoc erat stare, sic corruere. Laudandus jam Luitprandus Rex, quia majorem se Pontificem agnovit; laudandi omnes, qui hunc in modum majestatem submisère.

HISTORIA.

COMPRESSAM cohibitamq́ue putares vim armorum, quæ in Saracenos, per id tempus [1] Galliam vastantes, erumperet. Et sanè actum erat de pulcherrimo Regno, nisi Longobardi atque Insubres pugnassent. Sic verò transmarina spolia per Alpes in Italiam sunt invecta. Mirandæ rerum vices! cessisse Barbari Luitprando videbantur aurum, quo D. Augustini corpus redemerat. Deinde Religionis hostibus Rex pius extorsit, quicquid Romæ direptum non erat. Sed neque sic tamen tranquillitati litatum. Secundum

enim mox bellum in Pontificem exortum, quod Trasemundus conflavit, iterum rebellis. Vir ingenio acer & igneus quiescere non potuit: & quia [2] fœdere in amicitiam Pontificis venit, urbis jam ditionisque Romanæ domini, timere Luitprandum desiit. Pulsus tamen, Romam profugit, & in fidem tutelamque [3] benignè receptus, novâ belli tempestate Vrbem involvit. Non dedi rebellem, quàm insurrexisse, pro graviori injuria Rex accepit. Itaque in Pontificem [4] irâ incensus ruit, & partam nuper clementiæ pietatisque gloriam velut destructurus, mœnia & templa petit, quibus pepercerat: gravior nunc etiam, leniri aut exorari precibus non potuit; & frustra [5] ille quoque Gregorius erat, qui pacem flagitabat. Sed postquam è Galliâ Carolus [6] Martellus intercessit, bellum cessavit: atque tum quoque, velut servatæ iterum Vrbis gloriâ auctus, Ticinum Luitprandus redit. [7] Trasemundum, mox tertio bello victum, omni fortunâ exuit, & velut in pœnam imbui Sacris voluit, divinoque cultui solenniter mancipari. Inde gravissimo morbo correptus, Regem salutari HILDEPRANDVM nepotem suum jussit; atque socium, postquam convaluerat, sustinuit: in Zachariam Pontificem benignior, cui [8] oppida nonnulla, adjecto viginti annorum fœdere, concessit. Hildeprandum tamen [9] post mortem Luitprandi confestim Longobardi, augurio commoti, Regno dejecerunt. Publicam infelicitatem interpretati sunt, in hastæ vertice, quam ex more, velut majestatis insigne tradiderant, [10] cuculum insedisse.

COMMENTARIVS.

1. GALLIAM VASTANTES.] Carolus, cognomento Martellus, non inutilem ratus sibi Longobardorum amicitiam fore, Pipinum, filium suum, ut à Luitprando tonsuræ honorem caperet, & velut adoptaretur, Ticinum misit. Quia enim in Galliam denuò Saraceni irrupturi erant, auxilium quærebatur. Irrupisse verò Paulus scribit, lib. VI cap. LIV. *Per idem tempus Saracenorum exercitus rursus in Galliam introiens, multam devastationem fecit. Contra quos Carolus non longè à Narbone bellum committens, eos sicut & prius maxima cæde prostravit. Iterato Saraceni Gallorum fines ingressi, usque ad Provinciam venerunt, & capta Arelate*

omnia

omnia circumquaq; demoliti sunt. Tunc Carolus Legatos cum muneribus ad Luitprandum Regem mittens, ab eo contra Saracenos auxilium poposcit. Qui nihil moratus, cum omni Longobardorum exercitu in ejus adjutorium properavit. Addit Sigebertus, hoc modo Saracenis, qui totum pænè Asiam, Libyam, multamque Europæ partem invaserant, omnem spem occupandi Galliam fuisse abscissam. In Fragmento Veteri de Majoribus domûs legas, *Carolum Martellum assiduâ bellorum tempestate compulsum fuisse, res Ecclesiæ Laicis conferre.*

2. FOEDERE IN AMICITIAM.] Reddidit enim Romanis Castrum Galliensium, cujus causâ eos sibi infestos semper habuerat.

3. BENIGNE RECEPTVS.] Annitente Duce Stephano, militibusque Romanis.

4. IRA INCENSVS RVIT.] Ameriam, Ortam, Polimartium, & Bledam occupat, admotisque Vrbi Romanæ castris, multos Romanorum more Longobardico attondens, ad se traxit. Solenne tùm temporis comperio fuisse, à Regibus tonderi quemadmodum aliquando arma accipere, & hodie Equitem percussione gladii fieri. Quisquis tamen Regiis manibus tondebatur, ille Regem velut alterum parentem agnoscebat. Ita Paulus Diaconus, libro VI. cap. LIII. *Carolus Princeps Francorum Pipinum filium ad Luitprandum direxit, ut ejus, juxta morem, capillum, susciperet: qui ejus cæsariem incidens, pater effectus est, multisque ditatum Regiis muneribus genitori remisit.* Hîc notandum, missos fuisse capillos, cùm ipsi juvenes venire non possent. Anastasius in Benedicto Pontifice: *Hic unà cum Clero, & exercitu, suscepit mallones capillorum Dominorum Iustiniani, & Heraclii, filiorum clementissimi Principis, simul & ejus jussionem, per quam significabat eosdem capillos direxisse.* Mallones hîc præsegmina.

5. ILLE QVOQVE GREGORIVS.] Gregorius III. in Gregorii II. qui Luitprandum nuper flexerat, locum suffectus.

6. MARTELLVS INTERCESSIT.] Missi enim ab eo ad Carolum Athanasius Episcopus, & Sergius Presbyter, viâ maritimâ Legati, additaq; honoris gratiâ claves Sancti Sepulchri, aliaq; munera augustissima: qui honor posteà Ecclesiæ rebus dubiis afflictisque magna subsidia peperit. Carolus tam honestâ lætus Legatione, misit qui Luitprandum flecterent. Neque Luitprando ingratum fuit compellari; præcipuè cùm tantus Rex intercederet. Itaq; domum haud gravatè exercitum reduxit.

7. TRASEMVNDVM.] Hunc Luitprandus Ducatu Spoletino exuerat, dato urbi Præfecto Hilderico nepote. Trasemundus cùm Luitprandum Ticinum rediisse percepisset, turbare iterum cœpit: cui Gregorius Pontifex, ut Vrbes suas reciperet; & Godescalcus, ut Beneventanum Ducatum, quem injussu Regi occupaverat, tueretur, copias submisêre. His ille sibi adjunctis, Spoletium occupavit, & Hildericum Ducem interemit. Luitprandus igitur, scribente Paulo, lib. VI. cap. LXVI. *Rursùm cum exercitu Spoletium repetiit. Qui Pentapolim veniens, dum à Fano civitate, Forum Sempronii pergeret, in silvâ, quæ in medio est, Spoletini se cum Romanis sociantes, magna incommoda Regis exercitui intulerunt. Qui Rex in novissimo loco Rachim Ducem, ejusq; fratrem Aistulfum* (hi posteà Reges fuerunt) *cum Forojulianis constituit. Supra quos Spoletini & Romani irruentes, aliquos ex eis vulneraverunt. Sed tamen Rachis cum suo germano, & ali-*

quibus viris fortissimis, omne illud pugnæ pondus sustinentes, viriliterq; certantes, multisq; trucidatis, se suosq; inde, præter paucos, ut dixi, sauciatos exemerunt incolumes. Ibi quidam Spoletinorum fortissimus, Berto nomine, nominatim Rachim appellans, armis instructus super eum venit. Quem Rachis subitò percutiens, equo dejecit. Cumq; eum ejus socii perimere vellent, ipse eum pietate solitâ fugere permisit: qui manibus pedibusq; repens, silvam ingressus evasit. Super Aistulfum verò in quodam ponte duobus fortissimis Spoletinis à tergo venientibus, ipse unum eorum adversâ cuspide feriens, de eodem ponte dejecit; alterum verò, subitò ad eum conversus, vitâ privavit, & post socium flvio immersit. Tandem Luitprandus victor Spoletum processit, cinxit, & in ditionem redegit. Trasemundo exauctorato Asprandum nepotem suffecit.

8. OPPIDA NONNVLLA.] Zachariæ Pontifici supplici non pepercit tantùm; sed ut magis pietatem testaretur, quatuor oppida, Ameriam, Ortam, Bledam, Polimartiumque dedit; Sabinense insuper, Narniense, Anconitanumque vetus patrimonium Pontificum, & vallem Sutrinam adjecit.

9. POST MORTEM LVITPRANDI.] Idem Paulus lib. VI. cap. ultimo: *Luitprandus, postquam triginta & uno annis septemq; mensibus Regnum obtinuit, jam ætate maturus, hujus vitæ cursum explevit: corpusq; ejus in Basilicâ Beati Hadriani Martyris, ubi & ejus genitor requiescit, sepultum est.* Sed alii Divi Petri ædem nominant, ipsumque hoc Epitaphium, non omnino Barbarum, à Barbaro licet ævo, repræsentant:

Flavius hoc tumulo Luitprandus conditur, olim
Longobardorum Rex inclytus, acer in armis,
Et bello victor. Sutriúmque, Bononia firmant
Hoc, & Ariminum, nec non invictæ Spoleti
Mœnia: namque sibi hæc subjecit fortior armis.
Roma ejus vires jam pridem milite multo
Obsessa expavit. Deinceps tremuêre feroces
Vsque Saraceni, quos dispulit impiger ipso
Cùm premerent Gallos Carolo poscente juvari.
Hungarus à solo hoc adjutus, Francus, & omnes
Vicini gratâ degebant pace per omnes.
Rege sub hoc fulsit, quod mirum est, sancta frequensq;
Relligio, ut recolunt Alpes, Ecclesiaquarum
Hunc habuit, vincente ipso; & Prægrandia templa
Quæ vivens struxit: quibus & famosus in Orbe
Semper, & æternus lustrabit secula cuncta:
Præcipuè Petro celesti hac sede locatâ
Clavigero, statuit Cœlo quam providus Aureo;
Augustinus ubi, huc aliunde abductus eodem
Rege, jacet, cujus doctrinâ Ecclesia fulget.

10. CVCVLVM INSEDISSE.] De hastâ, quem contum Paulus nominat, satis suprà dixi. De cuculo idem ille, lib. VI. cap. LV. *Luitprandum Longobardi vitâ excedere existimantes, ejus nepotem Hildeprandum, extra muros civitatis Ticinensis, ad Basilicam sanctæ Dei Genitricis, quæ Ad perticas dicitur, in Regem sublimaverunt. Cui dum contum, sicut moris est, traderent; in ejus summitatem*

tem cuculus avis volitando veniens insedit. Tunc aliquibus prudentibus vi-sum est, per hoc portentum significari, ejus Principatum inutilem fore.

HISTORIA.

SCEPTRA deinde in virtutis honorem RACHI, atque ultrò data. Is[1] cum Pontifice fœdere innovato,[2] legibus emendandis incubuit, pacis justitiæque cultor, donec & ipse Regni extendendi cupidine traductus ad arma, bello[3] Romanam vexare ditionem cœpit. Vicit tamen armatum Pontificis oratio; & qui vires hostis sui contempserat, auctoritati cessit. Parum est, sagum exuere, ad pacem redire; quod stupore dignum est,[4] Regnum fastidivit, & à sceptro ad asceticam vitam transiit, deposito Regno, quàm administrato clarior. Pontificis verò quæ lingua [5] verba, arma fuêre. Sic interdum ad victoriam amplius est, loqui quàm pugnare.

COMMENTARIVS.

1. CVM PONTIFICE.] Mortuo Luitprando, & filio ejus dejecto, *Beatissimus Pontifex* (Zacharias) *Legationem*, ut Anastasii Bibliothecarii verba referam, *ad Rachim misit: & continuò ob reverentiam Principis Apostolorum, & ejus precibus Rex inclinatus est, & viginti annorum spatio ovitâ pace, universus Italiæ quievit populus.*

2. LEGIBVS.] Auxit quoque Edictum, & cum hoc procemio promulgavit: *Quoniam gloriosissimus & præcelsus Rotharis hujus Longobardorum gentis Princeps, sibi, Deo inspirante, leges inseruit, atque innovavit, ut omnes intentiones & dissensiones malorum Regali studio resecaret. Et quidem statuit, ut cuncti successores ejus, quæ sibi, Deo inspirante, aspera & dura cognoscerent, illa ad mollitiem & pietatis adducerent gratiam. Deinde successor ejus Grimoaldus præcellentissimus Rex, dum studiosè ac vigilanter singulorum considerans necessitates, quæ illis melius complacuêre, ad cultum salutis augendo minuendoque adduxit. Post hunc verò gloriosissimus & Orthodoxæ fidei cultor, atque hujus gentis gubernator, & noster per Dei Omnipotentiam nutritor Luitprandus, eximius, ac præcelsus, ac sapientissimus Princeps, persistens in Dei operibus & quotidianis vigiliis, omnipotentiâ, & sobrietate ornatus, sicuti à Deo promeruit, per ipsius inspirationem omnia dicentem, reliquit, & in Edicti paginâ cum suis Longobardis Iudicibus confirmavit. Idcircò per Redemptoris nostri providentiam ego divino auxilio fretus Rachis, præcellentissimus & eximius Princeps, anno Regni mei I. V. die Kalendarum Martiarum, Indictione XIV. dum cum gentis nostræ, id est, Longobardorum Iudicibus, tam de Austriæ, quàm de Tusciæ, vel Neustriæ finibus, universa quæ à decessoribus nostris sta-*

tuta sunt, sollicitè considerassem, quædam ibi justa, & quædam pugnanda cognovimus.

3. ROMANAM VEXARE DITIONEM.] Anastasius in vitâ Zachariæ: *Rachis Longobardorum Rex, ad capiendam civitatem Perusinam, sicut cætera Pentapolis oppida, vehementi profectus est cum indignatione; quam & circumdans, fortiter expugnabat. Hoc audiens Sanctissimus Papa Zacharias, continuò spe divinâ fretus, assumptis aliquot ex suo Clero Optimatibus, quantocyùs ad eandem pervenit civitatem; impensisq; eidem Regi plurimis muneribus, atque oppidò eum deprecans, opitulante Domino, obsidionem ipsius civitatis amovit. Cui & salutifera prædicans, Deo auctore, valuit animum ejus ad spirituale studium inclinare. Et post aliquot dies idem Rachis Rex, relinquens Regalem dignitatem, devotè cum uxore & filiâ ad Beati Principis Apostolorum se contulit limina; acceptâque à præfato Sanctissimo Papâ oratione, Clericusq; effectus, monachico indutus est habitu cum uxore, & filiâ.* Leo Ostiensis in Chronico: *Moxq; ad hoc S. Benedicti Monasterium, eodem Apostolico jubente, perveniens, ac sub Regulari magisterio se instituendum tradens, post aliquot in sancto Religionis proposito, ac Deo placitâ conversatione peractos annos, Deo spiritum reddidit. Exstatq; hodie prope Monasterium vinea, quæ Rachisis appellatur, quòd ipsam Rachis ipse, & plantasse, & coluisse putetur. Ejus verò uxor Thesia, & filia Ratruda, permittente & adjuvante ipso Abbate, Monasterium puellarum, haud longè à Cassino, in loco qui Plumbariola dicitur, propriis sumptibus struxerunt, multis ditantes opibus; ubi sub magnâ cautelâ ac districtione Regulari vitam ducentes, in sancto proposito vitam finierunt.*

4. REGNVM FASTIDIVIT.] Quanti animi sit agere, quod Rachis hîc egit, abundè libro I. dixi, Diocletianum repræsentans. Sapienter igitur Rex ille subtilis judicii, ut est apud Valerium Maximum, lib. VII. cap. II. de Diademate pronunciavit: *O nobilem magis quàm felicem pannum! quem siquis penitus cognosceret, quàm multis sollicitudinibus, & periculis, & miseriis sit refertus; ne humi quidem jacentem tollere vellet.* Nec frustra Ephestion, scribente Curtio lib. IV. (quem ego III. esse existimo) in hospitibus suis *admiratus magnitudinem animi spernentis, quod alii per ignes ferrumq; peterent, Vos quidem macti virtute, inquit, estote, qui primi intellexistis, quantò majus esset, Regnum fastidire, quàm accipere.* Fuit sanè, ut hîc scripsi, inter Christiana exempla, Rachis deposito Regno, quàm administrato clarior; quia amplius putavit, servire Deo, quàm hominibus imperare. Aliquid tamen ab hac laude deductum est, cùm post mortem fratris Aistulfi, ad se redire Regnum Rachis voluit; quia extra familiam devolutum: nisi hoc ad gloriam quoque facit, obstanti morem Pontifici tam facilè gessisse. Itaque, ut virtus cresceret, post Regnum etiam Stemma neglectum est. Sed ne singulare hoc in Singulari, atque Monacho Exrege facinus censeamus; ab omni memoriâ Christiana pietas ostendit, majorem detonsi verticis, quàm diadémati honorem, certiorem felicitatem esse. Lotharius Imperator, seu curarum tædio, seu Religionis studio, distributâ filiis hereditate, Monachorum cœtui adscribi voluit: prorsùs tanquam è mari ad portum, è periculo ad securitatem veniens, tum demum vivere inciperet, postquam desierat jactari. Vt numerum aliquem faciam, addo Carolomanum, Pipini fratrem; Veremundum, ac Bambam

Hispaniæ Reges; Trebellium, Bulgarorum; Iuam, Occidentalium Saxonum; Constantinum III. Scotiæ; Boleslaum II. Poloniæ; Alfonsum, Neapolis; alios præterea, quos longum sit recensere, omnes asperâ lacernâ, quàm Regiâ purpurâ illustriores.

5. VERBA ARMA FVERE.] Suadæ imago à Martiano Capella describitur, quam in vestibulo Orationum nostratum exhibuimus: *Femina insignis ingreditur, cui galeatus vertex, ac Regali caput majestate sertatum: arma in manibus, quibus se vel communire solita, vel adversarios vulnerare, feminea quadam coruscatione renitebant.* Et paucis interpositis: *Rerum omnium Regina, & impellere quò vellet, & unde vellet deducere, & in lacrymas flectere, & in rabiem concitare, & in alios etiam vultus sensusque convertere, tam Vrbis quàm Exercitus prœliantes, & quæcunque poterat agmina populorum.* Sic igitur Zacharias Pontifex locutus est.

HISTORIA.

LONGOBARDI Rachi fratrem AISTVLFVM substituunt, virum & manu strenuum, & [1] consilio promptum: qui ut potentiæ Religionis studium sociaret, [2] fœdus cum Pontifice in annos XL. pepigit. Regnare adhuc Rachim diceres: nihil ambitioni, omnia pietati & modestiæ dari. Sed ab hac indole mox Aistulfus descivit. Etenim velut fato quodam actus, cùm dilatare fortunæ suæ vires mallet, quàm regere, majori molimine discrimen provocavit. Primus quidem impetus in Exarchatum, quem eo tempore Eutychius administrabat, erupit, & velut è malè sopito nuper igni, belli caussa facili incendio recruduit. Ravenna obsessa, & ad deditionem compulsa est: neque capitis sui jugum [3] reliquæ urbes & velut membra recusarunt. Eutychius auxiliis destitutus, & melioris fortunæ desperatione ad fugam compulsus, in Græciam abiit; atque tum Exarchi in Italia esse desierunt. Magnus sanè Aistulfus erat, si [4] felicitati modum posuisset: sed cum fortunâ crevit victoris animus; qui tanquam freto & Alpibus clausurus Regnum, universam perfido voto Italiam complexus est. Roma supererat; & hanc velut jure obnoxiam sibi putavit, postquam Ravenna cesserat. Satis tamen visum, [5] tributariam facere; & in hanc sententiam legatio missa. Sed rejecit nefariam petitionem Stephanus Pontifex, & quasi fœdifragum non

timeret,

timeret, 5 imminentis belli periculum excepit. Igitur clausus Vrbe, & ad extrema redactus, 6 unicum salutis subsidium censuit, Transalpinæ pietatis arma implorare. Neque tarda illa. Pipinus, cùm 7 Ecclesiæ beneficio Rex esset, opem addixit; omniumque ordinum consensu expeditione decretâ, bis Regni viribus succinctus perfringit Alpes; bis infesta per Insubres signa ducit; bis denique Ticinum obsidet, ipsumque Aistulfum ad pacem & fœdera compellit. Sic tamen, quia coactus, 8 ad ingenium rediit. Pudebat limitum, quos hostis fixerat: quasi alieno arbitrio Regnum circumscribi turpe esset. Sed quid est? cùm fœdifraga rursus moliretur consilia, & moveret arma, fortè inter venandum 9 ab apro percussus, 10 velut sceleri immortuus est.

COMMENTARIVS.

1. CONSILIO PROMPTVM.] Etiam ad Edictum leges adjecit. Nos prooemio contenti, pauca tantùm illius verba adjungemus: *Dei Omnipotentis auxilio ego Aistulfus Præcellentissimus Catholicus Longobardorum Rex, præcessorum nostrorum omnia instituta perpendens, quædam ibi reperimus non adnexa, de quibus maximus error, nostrorum Iudices addenda judicia volebant. Ideò anno felicissimi Regni nostri in Dei nomine quincto, in die Kal. Mart. Indictione septimâ, convocatis è diversis partibus Regni nostri pertinentibus Iudicibus, communi consilio in Edicti paginâ affigi statuimus, quæ Præcellentiæ nostræ secundum dominum justa comparuerunt.*

2. FOEDVS CVM PONTIFICE.] Anastasius: *Inter hæc dum magna persecutio à Longobardorum Rege Aistulfo in hac Romanâ Vrbe, vel subjacentibus ejus civitatibus insisteret, & vehemens ejusdem Regis sævitia immineret; ilicò idem Beatissimus Papa, tertio Apostolatus sui mense, disponens suum germanum sanctissimum, scilicet Paulum Diaconum, atque Ambrosium Primicerium, pluribus cum muneribus ad eundem Longobardorum Aistulfum Regem, ad pacis ordinandum atque firmandum fœdera misit. Qui præfati viri ad eum convenientes, impertitis muneribus, quò faciliùs eadem apud eum impetrarent, in XL. annorum spatia pacti fœdus cum eo ordinantes confirmaverunt.*

3. RELIQVAE VRBES.] Nempe Pentapolis oppida.

4. FELICITATI MODVM.] Ambitio hæc & libido dominandi non unum in se vitium continet; præcipuè tamen injusta, & avara est. Cupit ecce, imò rapit, quod alienum est, nec ullâ interim accessione satiatur. Vt periculum timeas, stulta est, & caussam belli è proximâ semper victoriâ quærit, quia vires accedunt; dumque nullo potest fastigio consistere, inquieta semper, ruinam accersit. Quantò consultius, tueri quæ habes, quam extenderet Regi non possunt, quæ nimia sunt.

ſunt: nec unus omnia complectetur, niſi Deum ſe faciat. Vt dures igitur, terminos imperio, ac priùs animo pone; imò ut magnus ſis, modicus hîc eſto. Stare poterit, qui tandem deſinet velle ſcandere; ſollicitus maximè, non quàm multis, ſed quàm bene imperet. Securum imperium non magnitudo, ſed Iuſtitia faciet, aliarumque Virtutum manus. Non ſemper etiam vincet, cui pugnare ſuave eſt; quemadmodum mutationi res proſperæ ſolent obnoxiæ, imò vicinæ eſſe. Albutii Sili monitum æſtimo: *Modum magnitudini facere debes, cùm Fortuna non facit. Magni pectoris eſt inter ſecunda moderatio.* Scythas audiamus, quorum hæc ad Alexandrum Magnum, ſcribente Curtio lib. VII. oratio eſt: *Fortunam tuam preſſis manibus tene: lubrica eſt, nec invita teneri poteſt. Impone felicitati tuæ frenos: faciliùs illam reges. Sine pedibus dicunt eſſe Fortunam, quæ manus & pinnas tantùm habet: cùm manus porrigit, pinnas quoque comprehendere te non ſinit.* Philoſophari verò cum Senecâ libet, epiſtola CXIII. *O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere; feliciſſimosq; ſe judicant, ſi multas per milites provincias obtinent, & novas veteribus adjungunt; ignari, quod ſit illud ingens paratumq; Regnum! Imperare ſibi, maximum imperium eſt.* Sed Aiſtulfus more ingenii humani, quò plura habuit, eò ampliora cupiens, jam non putavit ſe Regem eſſe, niſi Romam, & ſic Italiam univerſam Longobardis ſubjiceret, ambitione ſuâ, Injuſtitiam, Avaritiam, Stultitiam, ac ſummam denique Impietatem repetito toties perjurio profeſſus. An Numen tamen fallitur? Audax ille, cùm nihil timeret, infelix fuit; & cùm homines contemneret, à ferâ occiſus eſt. Sequetur Deſiderius, nullumque deſiderio modum ponens, & ſe, & Regnum injuſto adverſus Pontificem, ut narraturus ſum, bello evertet. Deſinet Regnum; ſed Longobardi non deſinent, armis fortes, virtute invicti, gloriâ æterni.

5. TRIBVTARIAM FACERE.] Anaſtaſius in vitâ Stephani III. *At verò idem protervus Longobardorum Rex, antiqui hoſtis invaſus verſutiâ, ipſa fœdera pacis, poſt quatuor menſes in perjurii incidens reatum, diſrupit. Multas in prædictum ſanctiſſimum virum, vel cunctum populum Romanum ingerens contumelias, varias illi minas dirigebat: cupiens quippe, Deo non ſibi contrario, cunctam hanc provinciam invadere, oneroſum tributum hujus Romanæ Vrbis inhabitantibus adjicere nitebatur: per unumquodq; ſcilicet caput ſingulos auri ſolidos annuè auferre inhiabat, & ſuæ juriſdictioni civitatem hanc Romanam, vel ſubjacentia ei caſtra ſubdere, indignanter aſſerebat.* Hoc fortaſſis prætextu, quia Ravennam occupaverat: æquum cenſens, Exarchum Romanis imperare. Aiſtulfus jam Exarchus erat, imò tanquam Imperator erat, & eandem Regio nomine poteſtatem affectabat. Sed novum hoc interim & inſolens, tributariam urbium Vrbem fieri, & Barbaro Regi parêre, quæ Orbem terrarum armis victum, tributo olim tenuiſſet, ſed quæ nullâ Fortunâ veterem gloriam exueret: non fortaſſis jam potens, ſed pia, quæ vera potentia eſt; non jam Domina, ſed Mater, quæ vera ſalus eſt; Eccleſiæ, quàm Imperii Majeſtate ſublimior, & cui Reges ipſi, populi, urbes obnoxiæ eſſent. Tributum autem velut jugum eſt, & victis imponi ſolet. Sed hanc gloriam ardentiùs Aiſtulfus affectabat, ut velut victor

& Triumphator, summo in Italiâ loco esset; nec minùs Religioni tribueret, quâ solâ securi Reges sunt, & in longam posteritatem sceptra extendunt.

6. IMMINENTIS BELLI PERICVLVM.] Bonâ caussâ, & Deo fretus. Publicum pietatis officium quid ni libenter commemorem? sed simplicissimis Anastasii verbis: *Cum multâ humilitate Stephanus procedens in Litaniâ, cum sanctissimâ imagine Domini Dei & Salvatoris nostri* IESV CHRISTI, *quæ* ἀχειροποίητος, non manufacta *nuncupatur, simulq; cum eâ alia diversa sacra mysteria recipiens, proprióque humero ipsam sanctam imaginem cum reliquis Sacerdotibus idem sanctissimus Papa gestans, nudisq; pedibus tam ipse, quàm universa plebs incedentes, in Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis, quæ Ad Præsepe nuncupatur (posito quoque in omnibus capitibus populorum cinere) cum maximo ejulatu pergentes, misericordissimum Dominum nostrum deprecati sunt. Alligavit quoque idem Papa adorandæ Cruci Domini Dei nostri pactum illud, quod nefandus Rex Longobardorum disrupit.* Quid deinde? auxilia à Pipino, Francorum Rege, petita sunt, & obtenta: cogique ad fœdera Aistulfus potuit.

7. VNICVM SALVTIS SVBSIDIVM.] Miserat enim Legatos Constantinopolim, *ut cum exercitu* (verba Anastasii sunt) *ad tuendas has Italiæ partes modis omnibus adveniret, & de iniquitatis filii morsibus Romanam hanc Vrbem, vel cunctam Italiam provinciam liberaret.* Sed vacua inanisque fuit Legatorum opera. Constantinus enim Copronymus tam erat infensus Pontificibus, ob fidem Catholicam strenuè assertam, & fortassis ob Imperium Vrbis Leoni Augusto abrogatum, quàm Longobardis; licet eum Exarchatu exuissent. Conversus igitur Pontifex ad Gallicas opes, ut idem ille narrat, *quemadmodum prædecessores ejus Beatæ memoriæ Dominus Gregorius Secundus, & Tertius, & Dominus Zacharias Beatissimi Pontifices Carolo excellentissimæ memoriæ Principi Francorum direxerunt, petentes sibi subveniri, propter oppressionem & invasionem, quas & ipsi in hac Romanâ Provinciâ à nefandâ Longobardorum gente perpessi sunt: ita modò & ipse venerabilis Pater divinâ gratiâ inspirante, clàm per quendam peregrinum suas misit litteras Pipino Regi Francorum, nimio dolore huic Provinciæ inhærenti conscriptas. Adhuc etiam non cessavit dirigens, ut suos huc Romam ipse Rex Francorum mitteret Missos, per quos eum ad se accersiri fecisset.* Venerunt Legati à Rege, inter quos Rodigandus Abbas, & Autharicus Dux; secumque duxerunt Pontificem, Ticinum cum eodem profecti. Sed priùs, ut verbis Anastasii dicam, *direxit ad Pontificem Aistulfus nequissimus Rex Missos suos, obtestans eum, nullâ penitus ratione auderet verbum sibi dicere, petendo Ravennatium civitatem, & Exarchatum ei pertinentem, vel de reliquis Reipublicæ locis, quæ ipse vel ejus prædecessores Longobardorum Reges invaserant. Ille verò ita ei misit in responsis, asserens, Se nullius trepidationis terrore silere velle ejusmodi petendi caussam. Conjungente verò Papam in civitatem, & prædicto nefando Regi præsentato, plura illi tribuit munera, & nimis eum obtestatus est, atque lacrymis profusis petiit, ut Dominicas quas abstulerat oves redderet, & propria propriis restitueret. Sed nullo modo apud eum hæc impetrare valuit. Nam & Imperialis Missus simili modo petiit, & Imperiales litteras illi tribuit, & nihil obtinere potuit. Prædicti verò Francorum Missi imminebant fortiter apud eundem Aistulfum, ut prædictum*

dictum Sanctissimum Papam in Franciam pergere relaxaret. Ad hæc convocans jam dictum Beatissimum virum, interrogavit, an ejus in Franciam properandi esset voluntas. Quod videlicet ille nequaquam siluit; sed suam illi propalavit voluntatem. Unde ille, ut leo, dentibus fremebat: pro quo & diversis vicibus suos satellites ad eum clàm misit, ut eum quoquo modo à tali intentu declinaret. Aliàs verò præsente Rodigando Sanctissimo Episcopo interrogavit eundem Sanctissimum Papam jam dictus Longobardorum Rex, An vellet ire in Franciam? & ita respondit: Quod si tua est voluntas me relaxandi, mea omnino est eundi. Quid verbis adeò spinosis utor? Tandem liberum iter impetravit, & aliquot assumptis comitibus, se dedit in viam. Post dies verò nonnullos Pipinum Regem, & Carolum ejus filium, qui à rerum gestarum gloriâ Magni nomen erat habiturus, convenit in Monasterio Sancti Mauritii, Regemque, ut Divi Petri caussam lubens susciperet, rogavit. Inde simul Parisios perrexit, & Galliarum Ecclesias, ut auctor est Walfridus Strabo, sacros plerosque hymnos psallere docuit. Aistulfus verò ut Pontificis impediret consilia, vi, imò precibus Rachis fratris sui, antea Regis, tunc Monachi, Gratianum, Abbatem Cassinatem, adegit, ut Carolomanum, fratrem Pipini, è Monasterio in Franciam dimitteret, ad res Italiæ componendas. Sed Pipinus fraudem subesse Aistulfi mandatis deprehendit. Itaque expeditionem in Italiam decrevit: sed prius *Pontificis salutiferis obtemperans monitis* (verba iterum sunt Anastasii, ut horrida, ita severa) *direxit suos Missos Aistulfo, nequissimo Longobardorum Regi, propter pacis fœdera, & propter sanctæ Dei Ecclesiæ, & Reipublicæ restituenda jura. Atque bis, & tertiò, juxta sæpè dicti beatissimi Papæ admonitionem, eum deprecatus est, & plura ei pollicitus est munera, ut tantummodò pacificè propria restitueret propriis. Sed ille, peccato imminente, obedire distulit. Adhæc idem eximius Francorum Rex, cernens, quod atrocissimi Aistulfi nequaquam valeret quoquo modo saxeum mollire cor, generalem contrà eum decrevit facere motionem.* Quid? Ductæ sunt copiæ; cumque semissem quasi itineris & molestiarum emensæ essent, *rursum ipse Sanctissimus Vir prædictum benignissimum deprecatus est Pipinum Regem; ut denuò sævissimo Aistulfo, diro Longobardorum Regi (si quo modo potuisset, vel serò tandem ejus sedare sævitiam) propria propriis saluberrimè suaderet reddere, absque humani effusione sanguinis. Et ita factum est. Atque denuò ipse benignissimus Francorum Rex suos eidem Aistulfo misit Missos. Sed & beatissimus idem Papa, & verè Papa, & bonus Pastor, ne sanguis effunderetur Christianorum, admonitionis & exhortationis Apostolicas ei direxit litteras, per eas & fortiter per omnia divina mysteria, & futuri examinis diem conjurans atque obtestans, ut pacificè, & sine ullâ sanguinis effusione, propria Sanctæ Dei Ecclesiæ & Reipublicæ Romanorum redderet. Sed iniquitate ejus obsistente, nequaquam acquiescere valuit. Potiùs è contrario minas & indignationes prædicto Pontifici, & Excellentissimo Pipino Regi, vel cunctis Francis direxit. Tunc fisus in omnipotentis Dei misericordiâ antedictus Pipinus, Francorum Rex, iter suum profecutus est, præmittens ante suum occursum aliquot è suis Proceribus, & cum eis exercituales viros, ad custodiendas proprias Francorum Clausas* (ita angustias Alpium appellat:) *ibique conjungentes remoti, residebant, proprii Regis præstolantes adventum. Audiens itaque protervus Rex Aistulfus,*

paucos fuisse Francos illos, qui ad custodiam propriarum venerant Clausarum, fidens in suâ fortitudine, subitò aperiens Clausas, super eos diluculè irruit cum pluribus exercitibus. Sed justus judex Dominus Deus & Salvator noster IESVS CHRISTVS *victoriam paucissimis illis tribuit Francis, qui & multitudinem illam Longobardorum superantes trucidavêre; ita ut ipse Aistulfus fugam arripiens, vix ab eorum evadere potuisset manibus, nisi Papiam se absque armis recepisset: in quam, præ timore Francorum, cum aliquammultis se detrusit. Ipsi verò Franci introeuntes Clausas, cunctum fossatum* (id est castra) *Longobardorum post peractam cædem abstulerunt, spolia multa auferentes. Conjungens autem Christianissimus Pipinus Francorum Rex, & sequipes etiam ejus antedictus Beatissimus Stephanus Papa factus, usque ad muros civitatis Papiæ uterque pervenerunt. Quam & obsidentes aliquot dies viriliter Francorum exercitus, constrinxêre. Tunc jam dictus Beatissimus & coangelicus Papa Pipinum deprecatus est, benignissimum Regem, ut jam amplius malum non procederet, neq; sanguis effunderetur Christianorum, commonens salutiferâ prædicatione, ut pacificè caussa finirentur. At hanc Christianissimus Pipinus Francorum Rex ejusdem Beatissimi Patris & boni Pastoris audiens adimplevit admonitionem. Sicq; dilectam Deo pacem ineuntes, in sceptro fœdera partium affirmaarunt inter Romanos, Francos, & Longobardos: dumq; obsides Longobardorum idem Francorum Rex aufert, spopondit et Aistulfus cum universis suis judicibus, sub terribili & fortissimo sacramento, atque in eodem pacti fœdere per scriptam paginam affirmavit, se illico redditurum civitatem Ravennatium cum diversis aliis civitatibus*. Hactenus horrido, & istius sęculi sermone Anastasius. Quadraginta verò obsides Pipino datos fuisse, tradit Gaguinus in Compendio suo.

8. ECCLESIAE BENEFICIO REX.] Cùm Franci subessent inertiæ Regum Merovingorum, cœperunt Præfecti Palatii, ita paullatim Regnum administrare, ut cuncta ad se traherent. Sed cùm ad Hildericum Stupidum sceptrum pervenisset, salus Franciæ in periculo erat, nisi Pipinus, & Carolomanus, Caroli Martelli filii, vim propulsassent. Nam & Alemaniam, & Baioariam, & Saxoniam victores ingressi, latè vastaverunt omnia, Regnumque Regi suo asseruerunt. Pipinus igitur cuncta videns suâ virtute stabilita esse, Regium etiam nomen affectavit. Et, ut est in Fragmento de Majoribus Domûs, & Annalibus Francorum, quos Hermannus Neuenarius Comes in lucem dedit, *missi sunt Burchatus Vuirtziburgensis Episcopus, & Folradus Presbyter Capellanus Romam, ad Zachariam Papam, ut consulerent Pontificem de caussâ Regum, qui illo tempore fuerunt in Franciâ; qui Nomen tantùm Regis, sed nullam potestatem Regiam habuerunt: per quos prædictus Pontifex mandavit, Meliùs esse illum Regem, apud quem summa potestatis consisteret: datâque Auctoritate summâ, jussit Pipinum Regem constitui. Hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem, Pipinus Rex Francorum appellatus est; & ad hujus dignitatem honoris, unctus sacrâ unctione manu sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi & Martyris, & more Francorum elevatus in solium Regni, in civitate Suessionum*. Hildericus verò detonsus, atque in Monasterium detrusus fuit. Sed ne putes hunc Pipinum, tanquam novum aliquem aut hesternum hominem, ad hoc culmen pervenisse, Genus hîc tibi, sed veris lineis à notâ origine deducam:

STEM-

STEMMA PIPINORVM.

CAROLOMANVS sæculo Christiano VI. sed præcipiti vixit, clari tum nominis ac potentiæ in Hasbaniâ, teste Sigeberto.

PIPINVS LANDESIVS, Præfectus Palatii Austrasiæ. Vxor ITTA, sive IDVBERGA.

S. AMELBERGA, nupta WITGERO Comiti: unde descendunt SS. REINILDIS & GVDILA sorores.

GRIMOALDVS, Præfectus Palatii Austrasiæ: in carcere necatus.

S. GERTRVDIS, Nivellensium apud Belgas Tutelaris: cujus adornat Historiam Admodum R. D. IOSEPHVS GELDOLFVS RYCKELIVS, Monasterii D. GERTRVDIS Lovanii Abbas; qui facundiam doctrinæ, prudentiam pietati, elegantiam nobilitati jungens, non Monasterio tantùm suo, sed Vrbi & Academiæ præclarum ornamentum adfert; in litteris & libris, si quid otii religiosissimæ curæ indulgent, occupatus.

S. BEGGA, nupta ANSIGISO, S. Arnulfi & Dodæ filio, Arnaldi nepoti, Ansberti & Blitildis Clotharii Regis filiæ pronepoti. Post mortem mariti vitam asceticam amplexa.

PIPINVS CRASSVS, HERSTALLIVS, Præfectus Palatii Austrasiæ; deinde Dux. Vxor PLECTRVDIS.

Concubina, ALPAIDIS, — soror Dodonis; qui S. LAMBERTVM, Episcopum Leodiensem interemit.

GRIMOALDVS; Præfectus Palatii. Vxor THEODESINDIS, filia Ratbodi Regis Frisonum.

DROGO, Præfectus Palatii, Campaniæ Dux.

CAROLVS MARTELLVS, Præfectus Palatii Francorum, Austrasiæ Dux. Vxor ADELHEIDIS.

PIPINVS BREVIS, Dux Neustriæ, Francorum Rex. Vxor BERTHA.

CAROLOMANVS, Dux Austrasiæ, postea Monachus Cassinensis.

GRYPHO, nothus, fratribus rebellis, & devictus.

CAROLVS MAGNVS.

Pipinus igitur hic, primus sui generis Francorum Rex. Dictus *Pusillus* à staturâ, ut scribit Odorannus Monachus, vel *Nanus*, ut est in Genealogiâ S. Arnulfi Metensis. Monachum Cœnobii Egolismensis miror: is Pipinum quoque Crassum, fuisse *Vetulum* & *Brevem* scribit. Scilicet, Pipini gentem Pygmæam nobis facit. Sed, ut de origine dicam, Pipinus Primus, Dux Neustriæ fuit, à Clothario Rege in Palatii Præfectum, quemadmodum de eo scribit Sigebertus in Chronico, adscitus. Laudes viri colligam, quæ sparsim apud Stephanum Abbatem, in vitâ S. Modoaldi Trevirensis habentur: *Fuit*, inquit, *probatissimæ vitæ, ac purissimæ famæ, sapientiæ domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controversiarum finis, munimentum Patriæ, decus Curiæ, via Ducum, & disciplina Regum.* Et alibi: *Clarebant tunc temporis in Palatio viri strenuissimi, idemq́ religiosissimi, inter quos eminebat Pipinus Carolomani filius, Dux clarissimus, & Major Domûs sub Clothario, Dagoberto, & Sigeberto potentissimis Regibus.* Et paulò pòst: *Eâ tempestate Dagobertus rerum potiebatur, sub quo idem Dux dignitate, modicùm à sublimitate Regiâ differente, præditus, omnia Regni negotia prudentissimâ dispositione ordinabat, præstabat tam in bello fortitudine, quàm justitiâ in pace. Erat enim erga Regem fidei servantissimus, erga populum verò tenacissimus æquitatis, & in disceptandâ utrorumque caussâ fortissimo animi judicio persistens, nec munera populi ad subvertendum jus Regium respiciebat, nec gratiam Regis ad obruendam populi justitiam attendebat.* O eximium caput: quis laudes luculentiores postulet? Pergo dicere: *Depravatum est cor Regis ad tempus, per mulieres, ut solet in magnâ rerum copiâ. Cæpit ergò tam avaritiâ quàm libidine æstuare, rebus Ecclesiarum novos thesauros implere. Cujus impudentiam dum Pipinus dolore permotus liberrimo ore increpasset, exprobrans, quòd maximus Dei beneficiis ingratus existeret; ille obscœnis libidinibus potiùs quàm sanis obtemperans consiliis, tentabat magis more phrenetici medicum quolibet modo extinguere, quàm à pravitatis suæ furore resipiscere. Sed benignus Dominus, qui suos salvare decrevit, nunc à malis liberat, nunc etiam innoxios servat; & pium Ducem à periculo mortis potenter eripuit, & malevolum Regem ab effusione justi sanguinis misericorditer revocavit. Nam saniore consilio reputans Dignitatis suæ statum labefactari, si virum nobilem, potentem, fide ac justitiâ popularibus acceptum perimeret, paulatim animum reflexit, cæpitq́ egregium Ducem in tantum revereri, ut conceptam malitiam, in pacem & gratiam commutaret.* In rebus gestis Sancti Wironis Episcopi leges, hunc virum Sanctum tantâ in veneratione à Pipino habitum fuisse, *ut tanquam Præsuli animæ suæ, vitaq́ patrono, propter eximiam sanctitatem sua illi peccata confiteri solitus sit; nec erubuerit ad faciendam confessionem, detractis calceis eum adire.* Nil mirum igitur Pipinum III. virum rebus gestis ac dignitate clarum, & qui Pipinum avum, Carolum Martellum patrem habuit, à Blitilde Clotharii Regis filiâ descendens, auctoritate Zachariæ Pontificis, Francorum diademate insignitum fuisse.

9. AD INGENIUM REDIIT.] Depulso Gallici exercitûs metu, pacta non pacta Aistulfus habuit, Narniam occupavit, & rectâ ad Vrbem infesto exercitu contendit. Stephanus Pontifex in epistolâ ad Pipinum rem totam enarrat, repræsentandâ, ne dissimulem, quid militaris furor peccâret: *Cognitum habeas, quomodò pacis fœdera à prædicto*

impio

impio Aistulfo Rege, & ejus gente dissipata sunt, & qualiter nihil juxtà ut constituit, & per vinculum sacramenti confirmatum est, valuimus impetrare. Et jam quia nullum augmentum nobis factum est, & in ipsis Iunii Kalendis cunctus ejusdem Longobardorum exercitus è Tusciæ partibus in hanc civitatem Romanam conjunxerunt, & resederunt juxta portam Beati Petri, atque Beati Pancratii, & Portuensem. Ipse verò Aistulfus cum aliis exercitibus conjunxit ex aliâ parte, & sua fixit tentoria juxta Portam Salariam, & cæteras portas. Et sæpius nobis dixerit: Aperite mihi Portam Salariam, & ego ingrediar civitatem; & tradite mihi Pontificem vestrum, & patientiam ago in vobis: sin minùs, videte, ne muros evertens, uno vos gladio interficiam, & videam quis vos eruere possit de manibus meis. Sed & Beneventani omnes generaliter se in hanc Romanam Vrbem conjungentes, resederunt juxta portam B. Ioannis, & B. Pauli Apostoli, & cæteras istius Romanæ Vrbis portas. Et omnia extra portam prædia longè latèq; ferro & igni consumpserunt, domos omnes comburentes, penè ad fundamenta destruxerunt, Ecclesias Dei incenderunt, & sacratissimas Sanctorum imagines in ignem projicientes, suis gladiis consumpserunt, & munera sacra, id est, Corpus Domini nostri IESV CHRISTI *in sua contaminata vasa, quos folles vocant, miserunt, & cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem munera. Velamina altarium, Ecclesiarum Dei omnia ornamenta (quod nimis crudele dictu est) auferentes, in propriis utilitatibus usi sunt. Servos Dei Monachos, qui pro officio divino in Monasteriis morabantur, plagis maximis tundentes laniaverunt; & Sanctimoniales feminas, atque Reclusas, quæ ab infantiâ & pubertatis tempore pro Dei amore sese Clausuræ tradiderunt, abstrahentes cum magnâ crudelitate polluerunt; quin etiam & in ipsâ contaminatione alias interficere nisi sunt. Et omnes domos cultas B. Petri igni combusserunt, imò omnium Romanorum (ut dictum est) domos comburentes extra Vrbem, funditus destruxerunt, & omnia pecuia abstulerunt, & vineas ferro ad radices absciderunt, & messes conterentes omnino devoraverunt: neque domus nostræ Sanctæ Ecclesiæ, neque cuiquam in hac Romanâ Vrbe commoranti spes remansit vivendi; quia (ut dictum est) omnia ferro & igne consumpserunt, & multos homines interfecerunt. Sed & copiosam familiam B. Petri, imò omnium Romanorum, tam viros, quàm mulieres jugulaverunt, & alios plures captivos duxerunt. Nam & innocentes infantulos à mamillis matrum suarum separantes, ipsosq; vi polluentes, interemerunt ipsi impii Longobardi; & tanta mala in hac Romanâ Vrbe fecerunt, quanta certè nec paganæ gentes aliquando perpetrârunt. Quin etiam (si dici potest) & ipsi lapides nostras desolationes videntes ululant nobiscum.* Gravia, enormia, & plusquam Barbara, fateor: sed quid est? si absque affectu rem putamus, promiscuum est, quod in Longobardis, tanquam peculiare accusatur. Omnis in hostem miles sævus est, & cùm in prædam ruit, neglecto imperio ac disciplinâ, humanitatem & Religionem ipsam negligit. Bellum omne bellum est, & scelera ac flagitia secum trahit. Sed solent quoq; hęc omnia in pejus hominum querelis augeri. Si, quæ hactenus & narravi & explicavi, examinentur, Barbarorum mitissimos Longobardos dixeris: non jam Barbaros, sed Italos, sed Insubres esse, cæli beneficio ad mitiorem vitę cultum traductos. Pipinus tamen querelâ Pontificis motus, summo studio cum copiis in Italiam acceleravit: præsertim cùm & sacræ minæ accederent, quas secunda epistola conti-

continebat. Franci igitur, Longobardorum dejectis præsidiis, Ticinum, cui Aistulfus salutem suam crediderat, cingunt, acriterque oppugnant. *Tunc Aistulfus* (ex Anastasio rem narrare pergo) *atrocissimus Rex Longobardorum, ut veniam sibi tribueret, Pipinum rogavit, & quas priùs contempserat conscriptas in pacti fœdere reddere civitates, se modis omnibus professus est redditurum. Et denuò confirmato anteriori pacto, quod per elapsam octavam Indictionem inter partes convenerat, restituit ipsas civitates, addens castrum, quod cognominatur Comaclum. De quibus omnibus receptis civitatibus donationem in scriptis Beato Petro atque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis misit possidendam; quæ & usque hactenus in archivo Sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur. Ad recipiendas verò civitates misit ipse Christianissimus Francorum Rex suum consiliarium, id est, Fulradum venerabilem Abbatem & Presbyterum. Et continuò ipse Rex feliciter cum suis exercitibus in Franciam repedavit. Prænotatus autem Fulradus venerabilis Abbas & Presbyter, Ravennatium partes cum Missis jam dicti Aistulfi Regis conjungens, & per singulas ingrediens civitates, tam Pentapoleos, quàm Æmiliæ, easq; recipiens, & obsides de unaquaque tollens, atque Primates secum, unà cum clavibus portarum civitatum deferens, Romam conjunxit; & ipsas claves tam Ravennatium Vrbis, quàmque diversarum civitatum ipsius Ravennatium Exarchatùs, unà cum supradictâ donatione, de eis à suo Rege emissâ in confessione B. Petri ponens, eidem Apostolo, & ejus Vicario Sanctissimo Papæ, atque omnibus ejus successoribus Pontificibus perenniter possidendas, atque disponendas tradidit: id est, Ravennam, Ariminum, Pisaurum, atque Fanum, Cesenam, Senogallias, Esium, Forum Pompilii, Forum Livii, cum castro Sussubio, Montem Feretrum, Acerragium, Montem Lucari, Serrum, Castellum Sancti Marini, Bobium, Vrbinum, Callium, Luceolos, Eugubium, Comaclum, nec non civitatem Narniensem, quæ à Duce Spoletino à parte Romanorum per evoluta spatia fuerat invasa.* His oppidis addit Leo Ostiensis à portu Lunæ Corsicam, Suranum, montem Bardonem, Vercetum, Parmam, Regium, Mantuam, & Montem Silicis, simulq; universum Exarchatum Ravennæ, sicuti antiquitus eum Imperatores Constantinopolitani possederant. Provincias item Venetiarum & Istriæ, totumque Ducatum Spoletinum, & Beneventanum.

9. AB APRO PERCVSSVS.] Breviter alludit Anastasius: *Dum hæc agerentur, ipse infelix Aistulfus quodam loco in venationem pergens, divino ictu percussus, extinctus est.* Annales Francorum à Pithœo editi, lapsum volunt: *Anno* IↃ.CCLVII. *Aistulfus in venatione quadam equo lapsus, Regnum cum vitâ perdidit.*

10. VELVT SCELERI IMMORTVVS.] Stephanus Pontifex in epistolâ, quæ exstat in Script. Cod. Pauuini: *Tyrannus ille sequax Diaboli Aistulfus, devorator sanguinum Christianorum, Ecclesiarum Dei destructor, divino ictu percussus est, & in Inferni voraginem demersus. In istis quippe diebus, quibus ad hanc Romanam urbem devastandam profectus est, post annui spatii circulum, ita divino mucrone percussus est, ut profectò in eo tempore quo fidem suam tentans, diversa piaculi scelera perpetrare ausus est, in eo & suam impiam finiret vitam.*

Hist.

HISTORIA.

HINC Regnum Desiderius,qui Aistulfo Comes-stabuli fuerat,[1] sibi vindicavit,non sine motu Longobardorum, & Insubrum, qui pariter Rachim reposcebant. Et venisset ille ad sceptra, semel abdicata, nisi Pontifex Desiderio favens, indigna viro Religioso vota refrenasset. In novo Rege summa pacis [2] & pietatis signa reluxerunt, sed (quæ pestis jam propemodum hereditaria erat) ambitione deinceps corrupta sunt. [3] Filiam Carolo Francorum Regi despondet, quæ [4] repudiata irarum,& dissidiorum caussa fuit, belloque suffecit. Cùm universæ Italiæ imperium affectaret, [5] Romam, ac deinde [6] Ravennam occultis factionibus turbat. Vt quoque infestum Pontifici Carolum redderet, Galliamque collideret, [7] Carolomani uxorem, filiosque, à patruo velut profugos, in clientelam suam admittit; eos si Reges Pontifex inungeret, pacem fieri posse. Quia dolus non successit, ad bellum consilia eruperunt. Quieta hactenus arma, repentinâ vi in Pontificem mota. [8] Ferraria, [9] Comaclum,[10] Faventia captæ: & quia ubique [11] Romanis jam infesti Longobardi, velut uno incendio Italia flagrabat. Pontifex in tantà rerum calamitate Vrbi quoq; timens,[12] ad Carolum [13] legatos mittit, auxilium implorat. Putares adhuc Pipinum vivere, aut reliquisse filium, qui natum se Ecclesiæ intelligeret. Tanto ardore itum est in bellum, ut [14] minari fata Longobardis viderentur. Quod terrorem augebat: partem copiarum [15] Rolandus & Oliverius ducebant. Collegerat interim exercitum Desiderius, numero validum, Alpiumque fauces occupavit. Non alio loco pellere faciliùs hostem potuit, si ausus modò consistere. Sed cohortes aliquot per cautes aviosque calles à Carolo jussæ circumduci, & à tergo se ostentantes, Regem terruerunt.[16] Cùm pugnare posset, fugere maluit, victoriæque famam hosti reliquit. Sanè tunc apparuit, non pro numero fuisse robur, ampliusque in rebus bellicis viros,quàm homines posse. Quid mi-

rum? jam ſive feſſi, ſive delicati Longobardi, & ducentorum plus minùs annorum deliciis in Italiâ emolliti, deſierant fortes eſſe. Sic ætate ac morâ labefactantur omnia; ſed [17] ſi corruptela accedit, præmaturo vitio corruunt. Deſiderius igitur Alpes deſerens, celeri fugâ Ticinum contendit, Regni fata mœnibus turribuſque crediturus. Vrbs obſeſſa eſt, & quod in extremis ſolet, acriter defenſa, donec primùm fames, hinc peſtilentia graſſari cœpit: quæ duo mala ampliùs quàm hoſtis nocebant. Interea plures paſſim urbes ad [18] Carolum Pontificemque deficiunt. Cùm tamen duraret obſidio, Carolus, diviſis copiis, Veronam quoque cinxit, quò à Deſiderio miſſus erat filius [19] Adalgiſus, ſceptri pridem conſors, heres non futurus. Sed ille imparem ſe longiori ratus bello, ne Rex eſſet, libertatem fugâ emit, & ex Vrbe prorumpens, in Græciam elapſus eſt. [20] Conſtantior adhuc pater, non felicior; & in præcipitio rerum cum fortunâ luctabatur. Tandem ad ultimam neceſſitatem compulſus, ſe, uxorem, liberoſque hoſtis arbitrio committit, hoc unum in ſolatium miſeriæ vertens, quòd à Carolo vinceretur. Membra Regni quaſſata erant, priuſquam caput concideret: poſt Deſiderium quoque nemo pugnandi fiduciam admiſit. Sic tandem, cùm clementiam omnes victoris mallent, quàm vim experiri, à Longobardis ad Francos ſceptra fortuna tranſtulit.

COMMENTARIVS.

1. SIBI VINDICAVIT.] Audebo porrò Anaſtaſii verbis Hiſtoriam explicare, in vitâ Stephani III. *Tunc Deſiderius quidam Dux Longobardorum, qui ab eodem nequiſſimo Aiſtulfo Tuſciæ in partes erat directus, audiens prædictum obiiſſe Aiſtulfum; ilicò aggregans ipſius Tuſciæ univerſam exercitûs multitudinem, Regni Longobardorum accipere niſus eſt faſtigium. Cujus perſonam deſpectui habens Rachis, dudum Rex, poſtmodum monachus, germanus prædicti Aiſtulfi; ſed & alii plures Longobardorum optimates cum eo, eundem Deſiderium ſpernentes, plurimam trans Alpes, vel cætera Longobardorum loca exercituum multitudinem aggregantes, ad dimicandum contra eum profecti ſunt. Ad hæc prædictus Deſiderius obnixè eundem Beatiſſimum Pontificem deprecatus eſt, ſibi ferre auxilium, quatenus ipſam Regiam valeret aſſumere dignitatem, ſpondens jurejurando, omnem prædicti Pontificis adimplere voluntatem. Inſuper & Reipublicæ redditurum ſe profeſſus eſt civitates, quæ remanſerant; imò & copioſa daturum munera. Tunc idem præci-*

pimus Pater & bonus Pastor, inito consilio cum sæpè dicto Fulrado venerabili presbytero, & Abbate atque Consiliario Christianissimi Pipini, Francorum Regis, misit suum germanum, Paulum scilicet Diaconum, atque Christophorum Consiliarium, unà cum prædicto Fulrado in partes Tusciæ, ad prædictum Desiderium: cum quo loquentes, confestim per scriptam paginam terribili juramento idem Desiderius cunctam professus est superiùs annexam sponsionem adimplere. Post hæc verò peracta, statim suum Missum, id est, Stephanum venerabilem Presbyterum cum Apostolicis exhortatoriis litteris prædicto Rachi, vel cunctæ genti Longobardorum direxit; properans & prædictus Fulradus venire cum aliquot Francis in auxilium ipsius Desiderii; sed & plures exercitus Romanorum, si necessitas exigeret, in ejus disposuit occurrere adjutorium. Sic igitur suffragantibus prædicti Summi Pontificis Deo acceptis precibus, ita Omnipotens Dominus disposuit, ut sine ullâ animarum periclitatione antedictus Desiderius, per jam dicti coangelici Papæ consensum, eandem quam ambiebat, assumeret Regalem dignitatem. Dum verò hæc agerentur, direxit Missum suum Sanctissimus Pontifex, & abstulit ipsas civitates, quas sæpè dictus Desiderius Rex reddere promiserat Beatissimo eidem Papæ, id est, Faventiam, cum castro Tiberiano, seu Gabellum, & universum Ducatum Ferrariæ in integro. Et annuente Deo Rempublicam dilatans, & universam Dominicam plebem, videlicet rationales sibi commissas oves, ut bonus Pastor animam suam ponens, omnes ab insidiis eruit inimicorum.

2. ET PIETATIS SIGNA.] Monasterium S. Benedicto sacrum in agro Brixiano exstruxit, & latifundiis locupletavit. Prætereà in gratiam Ansilbergæ filiæ Virginis, Cœnobium Sanctimonialium erexit, & amplissimo censu, egregiam testatus pietatem, auxit.

3. FILIAM CAROLO.] Annitente Bertrudâ, matre Caroli; quæ, ut est in Annalibus Francorum, pacis & pietatis se gratiâ, in Italiam simulavit proficisci: cùm interim clanculò filium conaretur Desiderii familiæ annectere. Id postquam percepit Stephanus IV. Pontifex, tanquam conjugium istud Ecclesiæ suæ grave & damnosum putaret, nec non Bertæ blanditiis Carolum Ecclesiæ tutelam segniùs gesturum, epistolâ conatus est impedire matrimonium; ex quâ nonnulla hìc adjiciam: *Quæ est enim præcellentissimi Filii Magni Regis talis desipientia, ut penitus vel dici liceat, quòd vestra præclara Francorum gens, quæ super omnes gentes enitet, & tam splendiflua ac nobilissima Regalis vestræ potentiæ proles, perfidâ (quod absit) ac fœtentissimâ Longobardorum gente polluatur, quæ in numero gentium nequaquam computatur. De cujus natione, & leprosum genus oriri certum est: nullus enim qui mentem sanam habet, hoc vel suspicari potest, ut tales nominatissimi Reges tanto detestabili atque abominabili contagio implicentur. Quæ enim societas luci ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli?* Et nonnullis interpositis: *Nullus, exteræ gentis assumptâ conjuge, innoxius perseveravit. Advertite quæso, quanti qualesq; potentes per alienigena conjugia à præceptis Dei declinantes, & suarum sequentes uxorum alienæ gentis voluntatem, validis correpti excessibus, immensa pertulêre discrimina.* Sic tandem claudit: *Quapropter & B. Petrus, Princeps Apostolorum, cui claves Regni cælorum à Domino Deo traditæ sunt, ac in cælo & in terrâ ligandi solvendique concessa est potestas, firmiter Excellentiam Vestram per nostram infelicitatem obtestatur: simulq; & nos unà cum*

omnibus Episcopis, Presbyteris, & ceteris Sacerdotibus, atque cunctis Proceribus, & Clero Sanctæ nostræ Ecclesiæ, Abbatibus etiam, & universis Religiosis divino cultui deditis, seu Optimatibus, & Iudicibus, vel cuncto nostro Romanorum istius provinciæ populo, sub Divini Iudicii obtestatione vos conjuramus per Deum vivum & verum, qui est Iudex vivorum & mortuorum, & per ejus ineffabilem Divinæ Majestatis potentiam, atque per tremendum Iudicii diem, cui omnes Principes, & potestates, & cunctum humanum genus, cum tremore assistere habebimus; nec non & per omnia divina mysteria, & sacratissimum corpus B. Petri, Vt nullo modo quisquam de vestrâ fraternitate præsumat, filiam jam dicti Desiderii, Longobardorum Regis, in conjugium accipere. Nec iterum vestra nobilissima germana Deo amabilis Ghisila tribuatur filio sæpè dicti Desiderii.

4. REPUDIATA.] Annales Francorum: *Hoc anno etiam Dominus Carolus Rex repudiavit filiam Desiderii Regis Longobardorum, anno postquam matris hortatu eam duxerat Vxorem & Hildegardem de gente Suevorum præcipuæ nobilitatis feminam in matrimonium accepit.*

5. ROMAM.] Anastasius in vitâ Stephani IV. *Sedulò idem Beatissimus Pontifex suos Missos, atque litteras commonitorias dirigere studebat antedicto Excellentissimo Carolo Francorum Regi, & ejus Germano Carolomanno itidem Regi. Imminentibus namque, & decertantibus in hoc sæpius nominatis Christophoro Primicerio, & Sergio Secundicerio pro exigendis à Desiderio Rege Longobardorum juribus Beati Petri, quæ obdurato corde reddere Sanctæ Dei Ecclesiæ nolebat. Inde nimiâ furoris indignatione contra prænominatos Christophorum & Sergium excandescens ipse Desiderius, nitebatur eos extinguere ac delere. Pro quo suo ingenio maligno simulavit se quasi orationis caussâ, ad Beatum Petrum huc Romam properaturum, ut eos capere potuisset. Dirigens ergò munera Paulo Cubiculario cognomento Afiarta, & aliis ejus impiis sequacibus, suasit eis, ut in Apostolicam indignationem eos deberet inducere. Eiq; idem Paulus consentiens, de eorum perditione occultè decernebat. Dumq; hoc cognovissent prædicti Christophorus & Sergius, eundemq; protervum Desiderium Regem Romam properaturum agnovissent, ilicò aggregantes multitudinem populi Tusciæ & Campaniæ, seu Ducatus Perusini, viriliter cum eadem populi congregatione eidem Desiderio Regi paravere se ad resistendum. Quin etiam Portas hujus Romanæ Vrbis claudentes, aliam ex eis fabricaverunt, & ita armati omnes existebant ad defensionem propriæ civitatis. Hæc dum agerentur, subitò conjunxit ad B. Petrum antedictus Desiderius Rex cum suo Longobardorum exercitu.* Quid porrò factum? Breviter ipse expediam. Per Legatos Pontifex evocatur: venit, & de jure Ecclesię disserit. Paulus interim suæ provinciæ incumbit, populum in Sergium & Christophorum, tanquam publicæ tranquillitatis eversores stimulat. Pontifex, audito tumultu, in Vrbem revertitur, plebem sedat. Desiderius sibi dari Sergium & Christophorum postulat, Vrbem turbat, & tandem utrumque per satellites intercipit, ac privatos oculis in Monasterium detrudit. Hac sævitiâ contentus Ticinum rediit; satis se peregisse ratus, si Pontificis auribus abstulisset eos, qui Ius Ecclesiæ continuò crepabant.

6. RAVENNAM.] Anastasius in Adriano: *Missi Desiderii Regis Beatissimo Adriano Præsuli magis confirmabant vinculo sacramenti, Regem suum omnes Iustitias, quas antedicto Domino Stephano Papæ non fecerat, eidem præcipuo Pontifici & summo Pastori perfectu-*

ctarum,

ctorum; & in vinculo charitatis insolubili connexione cum eo fore permansurum. Quorum juramentis credens ejus Beatitudo, direxit ad eundem Desiderium Regem Missos suos, pro his omnibus perficiendis: scilicet Stephanum Notarium Regionarium & Sacellarium, atque Paulum Cubicularium. Quibus egredientibus ab hac Romanâ Vrbe, & Perusiam venientibus, nunciatum est, quomodò Desiderius Rex abstulisset civitatem Faventiam, & Ducatum Ferrariæ, & Comaclum de Exarchatu Ravennate, quem Sanctæ memoriæ Pipinus Rex, & ejus filii Carolus & Carolomanus Excellentissimi Reges Francorum, & Patricii Romanorum Beato Petro concedentes obtulêre. Nec duo menses prateriêre, ex quo ipse Sanctissimus vir Pontificatus culmen adeptus est, cùm idem atrocissimus Desiderius easdem abstulit civitates, constringens ex omni parte cives, & Casales, & hæc omnia præsidia Ravennatium occupans; cunctaq; victualia, familias etiam, seu peculia ipsorum, vel quæ in ipsis præsidiis habere videbantur, abstulit. Itaq; cùm non posset aperto Marte Ravennates cogere, annonâ & fame aggressus est.

7. CAROLOMANI VXOREM FILIOSQVE.] Nam, ut Eginhartus scribit, mortuo Carolomano, uxor illius cum filiis, & quibusdam Francorum Optimatibus, Italiam fugâ petierat, & nullâ caussâ Contubernium leviri sui spernens, sub Desiderii patrocinio degebat. Addunt Annales, Carolum hunc ejus discessum impatienter tulisse. Desiderius oblatam sibi occasionem turbandæ Galliæ ratus, Legatos ad Adrianum misit, Non redditum iri Faventiam, Ferrariamque, nisi priùs se conveniret. *Nitebatur ipse Desiderius* (Anastasii hæc etiam verba sunt) *atque inhianter decertabat, quatenus ipsi filii ejusdem Carolomani Regnum Francorum assumerent; & ob hoc ipsum sanctissimum Præsulem ad se properandum seducere conabatur, ut ipsos Carolomani filios Reges ungeret, cupiens divisionem in Regnum Francorum immitteret, ipsumq; beatissimum Pontificem à charitate & dilectione Excellentissimi Caroli Regis Francorum & Patricii Romanorum separare, & Romanam Vrbem cunctamq; Italiam Regni Longobardorum potestati subjugare. Sed favente Deo, hoc nullo modo potuit impetrare; quoniam sicut lapis adamas, ita firmus exstitit Adrianus Pontifex.*

8. FERRARIA.] Vrbem hanc antiquo nomine fuisse Forum Allieni censet Cluverius in Italiâ suâ Antiquâ, Tacito lib. III. Histor. expressum. Ab Alliâ autem amne proprium nomen Allieni esse ex Asconio annotat. Præterea à Laurentio Vallâ in Historiâ Ferdinandi *Forum Arrii* dici, & ex antiquo *Allieni* detortum esse. Hinc ex *Foro Arrii*, vel ex contracto vocabulo Forarrio Ferrariam defluxisse. Qui citerioris eam originis faciunt, anno CIↃ. XCV. à Smaragdo Exarcho fossâ mœnibusque cinctam volunt: quæ sanè novitas tam felix est, ut cum primis Italiæ Vrbibus contendat. Vitalianus Pontifex Maximus eam Præsulatu, Constans II. Augustus pagis duodecim auxit. Sita est ferè ad ripam Padi, ædificiis, amplisque plateis nobilis, non sine voluptate, cùm Mediolano Patavium iter haberem, mihi lustrata. Imperatoribus paruit; tametsi omnia Exarchatûs oppida à Carolo Magno ditioni Pontificiæ fuerint adscripta. Ab Henrico III. Imperatore circa annum ∞. I. Mathildæ Comiti concessa est; quæ Vrbem Summo Præsuli posteà donavit. A Pontificio imperio ad Marchionum Atestinorum manus pervenit, anno ∞. C. XCV. Sed anno ∞. IↃ. XCVIII. iis rursum excidit, & operâ Clementis Octavi

antiquum Ecclesiæ imperium admisit. Magnorum virorum Patria, Cælii Calcagnini, Lilii Gregorii Gyraldi, præcipuè verò Ludovici Ariosti, ut alios omittam, ingenio & nomine clara.

9. Comaclum.] Civitas fuit in Padi Insulâ, penitus hodie destructa eversaque. Dicta aliquando *Cymaclum*, si conjecturæ fides, ἀπὸ τῶν κυμάτων, quòd in undis sita.

10. Faventia.] Vrbs antiqua est Flaminiæ, bonis Scriptoribus passim nominata, fidelissima Romano Imperio: postea Bononiensibus subjecta; queis Lambertatiorum, & Giremejorum factionibus occupatis, in libertatem se recepit. A Friderico II. arctâ obsidione fatigata, muros amisit: sed Manfredorum Principum industriâ iterum fossâ mœnibusque firmatur. Variam tamen fortunam continuò experta est: nam à Manfredis ad Cæsarem Borgiam, ab hoc iterum ad Manfredos; ab his deinde ad Venetos; à Venetis ad Ludovicum XII. Galliarum Regem, & sic ad Sedem Apostolicam lacera & fatigata pervenit. Hodie figulinis operibus ad miraculum est ingeniosa. Incolæ, Faventini Plinio; ager, Faventinus Varroni dictus est.

11. Romanis iam infesti.] Quia alii desunt, ad Anastasium redeo, & quæ scribo confirmatum eo: *Desiderius Longobardorum Rex, superbia atque jactantia fastu levatus, quâ horâ Ravennatium civitates abstulit, confestim direxit multitudinem exercitus, & occupare fecit fines civitatum, Senogalliensis, Montis Feretri, Vrbini, Eugubii, cæterarumq; Romanæ ditionis, plura homicidia, & deprædationes, atque incendia in ipsis finibus perpetrantes. Nam in civitatem Bleranam dirigens, generalem exercitum partium Tusciæ, dum ipsi Blerani in fiduciâ pacis ad colligendas proprias segetes, generaliter cum mulieribus & filiis & famulis egrederentur, irruêre repentè super eos Longobardi, & cunctos primates, qui intus in eadem civitate erant, interfecerunt, & prædam multam tam de hominibus, quàm de pecudibus abstulêre, ferro & igne cuncta in circuitu devastantes. Sed & in circuitu Romanæ Vrbis, sicut ceterarum civitatum multa mala ac deprædationes idem Desiderius perpetrare jussit, etiam & castrum Vtriculum occupare fecit.* Hunc igitur in modum Romanis Longobardi infesti fuêre.

12. Ad Carolum.] Quia in hac Historiâ nostrâ, frequens jam Carolus erit, originem ejus, appellationem, formam, vitam denique breviter contraham. Origo è Stemmate nota est. Filius enim fuit Pipini illius, qui ex Aulæ Præfecturâ ad Francorum Regnum pervenit. Appellatio Magni fuit, quam post Pompejum & Constantinum accepit: magisque tamen animo quàm corpore, ut de Formâ addam, prætulit, decorus ac procerus potiùs, quàm vastus aut immanis. Eginharti hîc verba æstimo: *Corpore fuit amplo atque robusto, staturâ eminenti, quæ tamen justam non excederet. Nam septem suorum pedum proceritatem ejus constat habuisse figuram.* Solitus autem erat, (quę Marquardi Freheri Observatio est) Virgam, sive Hastam auream diebus solennibus gestare, staturæ suę velut modum: quam postea Primarius quidam Germaniæ Episcopus, narrante Monacho Sangallensi, *pro Episcopali ferulâ improbus ambivit.* Abeant igitur, qui octo pedes, eosque longissimos cum Turpino hîc somniant, & Herculem è Carolo faciunt; nescientes, aliâ ratione potuisse Magnum esse. Pedis ille Carolini modulus ferè commu-

nis

nis fuit, si mensuram corporis velimus examinare. Nimirum, quia Pythagoras Herculis potuit magnitudinem è pede colligere, licebit pari ratiocinatione, & fortassis certiori, Caroli pedem è corporis modo definire. Tam quoque festivi hîc aliqui fuêre, ut putarent ad famam Magni dignitatemque Barbam facere: quam propterea prolixam ac palmarem nobis Turpinus fingit. Sed Eginhartus, qui in describendâ tanti viri formâ accuratus fuit, ne Barbæ quidem meminit: quippe cùm nihil ea rari aut luculenti haberet, etiam ferro fortassis solita demeti. Ipsum igitur post verba suprà citata audiamus: *Apice capitis rotundo fuit, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paullulùm mediocritatem excedente, canitie pulchrâ, facie latâ, & hilari; unde formæ auctoritas ac dignitas tam stanti, quàm sedenti plurima inerat.* Memini, cùm Patavii in ædibus Pinellianis, valetudinis & studiorum causâ adolescens agerem, me litteras videre MARCI VELSERI, Reipublicæ Augustanæ II. viri, ad omnem doctrinam & virtutem facti, Amici tum mei; quibus significabat, *Nummum se habere veterem, in quo puro mento imago Caroli expressa erat: fieri tamen potuisse, ut tonsoris negligentiâ faciem nonnihil interdum pili succrescentes inumbrarent. Hac enim specie Romæ in Musivo opere illius ætatis conspici.* Si hæc parva sunt, Vitam obiter attingo. Infinita bella strenuè confecit, Aquitaniam, Vasconiam, Britones, Suevos, Bajoarios, Hunnos, Danos, Boëmos, Histros, Dalmatas devicit, Longobardos Italiâ exuit, Saxonum ferociam domuit, & sedes coëgit mutare. Hinc nomen Magni accepit. Vir fuit Iustus, Magnanimus, adeòque Pius, ut omnes Sacras Ædes in Regno suo vetustate collapsas instaurârit, quasdam à fundamentis struxerit. Templum Aquisgranense (quod adhuc puer; à Parentibus ad hanc urbem ductus, vidi) eminuit, & Româ atque Ravennâ columnas accepit. Amicitiæ & hospitalitatis cultor eximius fuit: simultates cum fratre dissimulare potuit, quamvis quotidie provocatus. Tam clarum toto Orbe magnitudine rerum gestarum famam invenit, ut Aaron Rex Persarum, qui totum, Indiâ exceptâ, Orientem tum tenebat, gratiæ, atq; amicitiæ causâ, Horologium ex aurichalco affabrè factum, & Elephantem, aliaq; ei munera miserit, Hierosolyma quoq; in potestatem ejus transferens. Fuit valetudine prosperâ, brevis tamen somni. Patrii moris adeò tenax, ut petentibus Adriano, & Leone Pontificibus, vix Romanum habitum admiserit. Quaternis ferculis cœnabat; neque hoc parcimoniæ illius, sed temperantiæ æquum est tribui. Fuit enim liberalissimus: sic non in Regno suo dumtaxat egenos nutrivit, sed & in Syriâ, in Africâ, & Ægypto. Historiarum lectione oblectabatur: linguâ Latinâ expeditè orabat: Rhetoricam, Dialecticam, Mathematicam, pluresque disciplinas, suas fecerat: scribere tamen ei difficile fuit. Legendi & psallendi artem emendavit. Mensibus & ventis nomina imposuit. Ad summam, Vir fuit, *in quo nescias* (fragmentum est Pauli Diaconi è libro de Episcopis Metensis Ecclesiæ) *virtutem bellicam, an sapientiæ claritatem, omniúmque liberalium artium magis admireris peritiam.* Exercitium ei equus, & Venatio fuit. Numerosam sobolem tam è conjugibus, quàm concubinis tulit. Sed ex Hildegarde Suevicæ nationis feminâ Carolum, Pipinum, & Ludovicum, qui postea rerum potiti sunt. Rotrudim maximam

natu

natu filiam Græcorum Imperatori in matrimonium spopondit; dein mutato consilio, negavit. Molliori affectu erga liberos, quorum pro Magnitudine suâ perquàm impatienter mortem ferebat. Clemens adeò, ut Pipinum Spurium, caput cujusdam in se conjurationis, non graviùs, quàm vitâ Monasticâ mulctaverit; & secundæ conjurationis conscios exilio tantùm & cæcitate puniverit. Augusti nomen mirum in modum aversatus fuit. Senex tandem laborare febribus cœpit, & pede claudicare. Diem Aquisgrani clausit anno ætatis LXXII. Regni XLVI. Stemma ejus, quia ad illustrandam Historiam maximè facit, mox adjungam.

13. LEGATOS MISIT.] Priùs tamen optimus Præsul flectere tribus Legationibus Longobardorum Regem conatus est: sed operam perdidit. Nam ipse Desiderius cum Adalgiso filio in Romanam ditionem venit; multa damna illaturus, nisi sacrum Excommunicationis telum timuisset. Itaq; Legati maritimo itinere in Galliam à Pontifice missi. Carolus autem non statim cum copiis ad Alpes properavit; sed priùs Romam sciscitatum misit Georgium Episcopum & Gulfardum Abbatem, *inquirentes*, ut scribit Anastasius, *an Longobardorum Rex sublatas civitates, & omnes Iustitias B. Petri reddidisset, sicut falsè in Franciam dirigens asserebat se omnia reddidisse: & satisfacti sunt præsentialiter, nihil ab eo redditum fuisse.*

14. MINARI FATA.] Deus certè, fatumque cervicibus Longobardorum imminebant: nam Desiderius tam opulento Regno solâ pertinaciâ excidit. Quid caussæ habuerit, cùm validissimas Francorum copias ab Occidente, & Romanos ab Oriente non timuerit, certè nescio; nisi fortassis putaret Childebertum iterum pugnaturum, & Francorum impetus morâ, Vrbiumque munimentis, sustineri posse. Disce, quæso, obstinatum Desiderii animum ex Anastasio: *Postquam Legati Francorum è Pontifice cogonovissent, nullas urbes Ecclesiæ redditas, declinaverunt ad prænominatum Desiderium; qui & constanter cum deprecantes adhortati sunt, sicuti illis à suo Rege præceptum exstitit, ut antedictus, quas abstulerat civitates, pacificè Beato Petro redderet, & Iustitias parti Romanorum faceret. Sed minimè quicquam eorum apud eum obtinere valuerunt, asserentem, se minimè quicquam redditurum. Accepto itaq; responso hoc, reversi sunt ipsi Missi, qui subtiliùs cuncta referentes, & de maligno proposito nominati Desiderii Regis annunciantes Excellentissimo & à Deo protecto Carolo Regi; confestim idem mitissimus & revera Christianissimus Carolus Francorum Rex direxit eidem Desiderio suos Missos, deprecans, ut easdem quas abstulerat, redderet civitates, & plenarias parti Romanorum faceret Iustitias, promittens ei insuper tribui XIV. M. auri solidorum quantitatem in auro & argento. Sed neque precationibus, neq; muneribus ejus ferocissimum cor flectere valuit.* Imò cùm ad claustra Alpium pervenisset, *suos denuò Missos ad prædictum direxit Desiderium, deprecans, sicut pridem, ut quantitatem prædictorum solidorum susciperet Rex, & easdem pacificè redderet civitates, sed nequaquam penitus acquiescere voluit. Et dum in tantâ duritiâ protervus ipse permaneret Desiderius Rex, cupiens antedictus Christianissimus Francorum Rex pacificè Iustitias Beati Petri recipere, direxit eidem Longobardorum Regi, ut solummodò tres obsides, Longobardorum Iudicum filios, sibi traderet pro ipsis restituendis civitatibus, & continuò sine ullâ insertâ militiâ, aut commisso prælio, ad propria se*

pria se cum suis Francorum exercitibus reversurum. Sed neque sic valuit malignam ejus mentem frangere.

15. CVM PVGNARE POSSET, FVGERE.] Variant hîc Scriptores. Sunt verò qui volunt, Desiderium inter Novariam & Ticinum acri prçlio conflixisse; & hinc locum, quem nonnulli priùs Silvam Bellam dictum putant, Mortariæ nomen invenisse. Gaguinus lib. IV. in eandem it sententiam, his verbis: *Locum, ubi pugnatum est, propter interfectorum stragem, Mortariam incolæ appellaverunt; ubi sacella duo, unum B. Petro, alterum Divo Eusebio dicata sunt. In illo Amilius, in hoc Amicus sepultus est: qui tantâ formæ similitudine æquales fuisse traduntur, ut alter ab altero haud facilè discerni posset. Et hi quidem in Caroli exercitu militantes apud Mortariam occubuerunt.* Anastasius tamen, quem secutus sum, & Annales Francorum, & Religiosus Cœnobii Egolismensis in Vitâ Caroli Magni, Desiderium sine prçlio Ticinum contendisse adstruunt.

16. ROLANDVS ET OLIVERIVS.] Strenuos hos viros fuisse, Fabulæ compellunt ut credamus. Bernardinus Corius laudatus, rerum Mediolanensium Scriptor, tradit, aliâ Rolandum in Italiam viâ, aliâ Oliverium; Carolum verò per saltum montis Cinisii descendisse. Præterea, Rolandum Præfectum fuisse Britannici littoris, & in Pyrenæis montibus à Vasconibus peremptum, auctor est Eginhartus in Vitâ Caroli Magni. Gaguinus lib. IV. scribit, *Rolandum Carolo fuisse Magno ex sorore nepotem*; Oliverium verò, *Comitem & Parem Franciæ*.

17. SI CORRVPTELA ACCEDIT.] Multa hîc de blandis malis, quæ dulcedine suâ Reipublicæ navem in cautes rapiunt, adferre possem, nisi sacra Esaiæ vox omnibus dictis mihi potior videretur, cap. V. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia in conviviis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam; & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo siti exaruit: propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino. Et descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes gloriosiq; ejus ad eum. Et incurvabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur.*

18. CAROLVM, PONTIFICEMQVE.] Tradit Pontificum Scriptor, omnes civitates, quæ trans Padum erant, in Caroli potestatem venisse: in Pontificis verò, Spoletinos, Firmanos, Anconitanosque.

19. ADALGISVS.] Anastasius: *Adalgisus verò, ejus filius, assumens secum Autecharium Francum, & uxorem atque filios sæpe dicti Carolomani, in civitatem, quæ Verona nuncupatur, pro eo quòd fortissima præ omnibus civitatibus Longobardorum esse videretur, ingressus est.*

20. CONSTANTIOR.] Toto enim ferè anno obsidionem sustinuit. Fame tandem ac pestilentiâ coactus deditionem facere, se, uxorem, liberos, præter Adalgisum, qui Veronam, & inde Constantinopolim evaserat, Caroli arbitrio commisit. Hic urbem ingressus, *thesauros Regum repertos*, ut est in Annalibus, *exercitui distribuit*. Nunc Stemma ejus, quia ad hanc deinceps Historiam meam intelligendam admodum necessarium est, in quinque partes divisum, subjicio.

STEMMA CAROLINUM.

PIPINUS, Caroli Martelli F. è Præfecto Palatii Francorum Rex.

- **CAROLUS MAGNUS**, Francorum, & Longobardorum Rex, Romanorum IMPERATOR. Ex HILDEGARDE,
  - **CAROLUS**, Francorum Rex, qui ante Patrem obiit.
  - **PIPINUS**, Italiæ Rex, etiam ante Patrem extinctus.
    - **BERNARDUS**, à Patruo Ludovico oculis privatus.
  - **LUDOVICUS PIUS**, IMPERATOR.
    - 1 LOTHARIUS, IMP.
    - 2 PIPINUS, Aquitaniæ Rex.
    - 3 LUDOVICUS, Germaniæ Rex.
    - 4 CAROLUS CALVUS, IMP. *Quos singulos repræsento.*
- **CAROLOMANUS**, Suessionum Rex.

---

1 LOTHARIUS IMP.

- **LUDOVICUS II. IMP.** Successit Patri,
  - **ERMINGARDIS**, nupta Bosoni, Provinciæ Narbonensis, & Burgundiæ Superioris Regi.
    - **LUDOVICUS**, Italiæ Rex, à Berengario captus & excæcatus.
- **LOTHARIUS**, Lotharingiæ Rex.
  - **LOTHARIUS**, Comes Arelatensis.
    - **HUGO**, Italiæ Rex, contra Berengarium II.
      - **LOTHARIUS**, Italiæ Rex cum Patre, & post Patrem. Berengarii æmulus.
- **CAROLUS**, Burgundiæ Rex.

2. PIPINVS, Aquitaniæ Rex, qui ante Patrem Ludovicum Pium obiit.

CAROLVS, Aquitaniæ Rex. PIPINVS, Aquitaniæ Rex.
Vterque ob rebellionem ab avo Ludovico Pio relegatus.

---

3. LVDOVICVS, Germaniæ Rex.

CAROLOMANVS, Bavariæ, & post obitum Caroli Calvi Italiæ Rex. LVDOVICVS Iunior, Germaniæ Rex. CAROLVS III. CRASSVS IMP. Germaniæ, Italiæ, Galliæ Rex.

ARNVLPHVS IMP. post Patruum Carolum Calvum.

LVDOVICVS IV. IMP. LVTGARDIS, nupta Othoni Saxoniæ Duci, Mater Henrici Aucupis Imp.

---

4. CAROLVS CALVVS IMP. post mortem Ludovici II. Imp. Galliæ Rex.

LVDOVICVS BALBVS IMP. Galliæ Rex.

LVDOVICVS nothus, Galliæ Rex. CAROLOMANVS nothus, Galliæ Rex. CAROLVS SIMPLEX, Galliæ Rex.

ERYCI PUTEANI
HISTORIÆ
INSUBRICÆ
LIBER IV.
BREVIARIUM.

ITALIÆ *tranquillitas: rebellione mox perturbata. Sed vindex adest Carolus, filiumq́; Pipinum Regem esse jubet. Bellum deinde cum Aragiso, Adalgiso, Grimoaldo. Roma quoq; interno tumultu æstuans, excivit Carolum, & Imperatorem salutavit. Saracenorum Irruptio, à Bernardo Pipini F. repressa. Carolus Ludovicum filium consortem Imperii, Bernardum nepotem Regem Italiæ facit. Ludovicus pari exemplo inter filios potentiam partitus est. At Bernardus Galliæ Regnum armis petens, à bello ad judicium raptus, oculis privatur. Ad Italiam igitur regendam Lotharius missus est. In Ludovicum Pium, & patrem, filiorum impietas. Hi inter se hostes, bella tandem novâ Regnorum divisione componunt. Ludovicus Lotharii F. Italiæ Rex, & Imperator. Religio apud Mediolanenses schismate concussa. Nova, & sacrilegio infamis Saracenorum Irruptio. Leonis Pontificis virtus. Ludovicus Massaris latrocinium delet: Saracenos verò adhuc infestos summo nisu Italiâ expellit. Hinc turbæ: Carolus Calvus Regnum & Imperium occupat. Hinc Carolomanus Regnum, Ludovicus verò Balbus Imperium. Tandem Carolus Crassus totâ Majorum fortunâ augetur. Italiæ de Regno & Imperio decretum.*

HISTO-

HISTORIA.

CAROLI recentem victoriam [1] pietas [2], & clementia auxêre: nemo religiosiùs invasit Italiam, nemo mitiùs perdomuit. Regem tantùm Longobardi mutaverant, Dominum Insubres. Sedes & fortunæ cuique integræ. Nulla post bellum calamitas: nomen potiùs, quàm jugum servitutis victi sustinebant; &, ut simpliciter dicam, sub Francis velut liberi erant. Insigne terrere Regium poterat, quod victor [3] Moguntiaci ab [4] Archiepiscopo Mediolanensium [5] ferreâ coronâ redimitus, solenni admùdum ritu, assumpsit. Præfecti ex indigenis: [6] Leges non mutatæ, sed auctę. Romanis enim & Longobardicis Salicæ, quas appellare Francicas possis, accesserunt; liberumque unicuique, quibus vellet, vivere. Sanè debellatos hostes adhuc non diceres. Quippe Aragisus, Desiderii gener, Dux Beneventanis; Hildebrandus [7] Spoletinis; Rodgandus [8] Forojuliensibus constituti. Insubrum Regio, & quicquid in Galliâ Cisalpinâ Longobardi possederant, ab ipsâ jam gente deducto nomine, LONGOBARDIA appellata. Prorsus dedisse amplius, quàm eripuisse Victor videbatur. Igitur quemadmodum in Galliam abductus Desiderius, solitam post Regnum quoque appellationem retinuit: ita post Desiderium, suam deprehenderunt esse provinciam Longobardi, quia amiserant. Verùm ut & Pontificem scires [9] victoriæ participem, Exarchatus Romanæ ditioni accessit. Et tamen frustra, cùm sævire posset, benignus Carolus fuit. Abduci cum conjuge Desiderium gravius jam erat, quàm superatum esse. Quicquid securitatis causâ factum, pro contumeliâ fuit. Sed & odisse hostis beneficium victi cœperunt, postquam evecti sunt.

1. PIETAS.] Relictâ Ticinensi obsidione, cùm sacratissima Paschatis solennia instarent, assumptis comitibus nonnullis, ad Adrianum properavit, quod ex Anastasio annotamus, *& omnes gradus sigillatim sanctissimæ B. Petri Ecclesiæ deosculatus est, & ita ad prænominatum pervenit Pontificem, ubi in atrio super gradus juxta fores Ecclesiæ adstitit, eoq; suscepto, mutuoq; se amplectentibus, tenuit idem Christianissimus Carolus Rex dexteram manum antedicti Pontificis, & ita in eandem venerabilem aulam B. Petri Principis Apostolorum ingressi sunt, laudem Deo & ejus Excellentiæ decantantes, universus clerus, & cuncti Religiosi Dei famuli extensâ voce acclamantes: Benedictus qui venit in nomine Domini, &c. Sicq; cum eodem Pontifice ipse Francorum Rex, simulq; omnes Episcopi, Abbates, & Iudices, & universi Franci, qui cum eo advenerant, ad Confessionem B. Petri appropinquantes, seseq; proni ibidem prosternentes, Domino nostro Omnipotenti, & eidem Apostolorum Principi propria reddidère vota, glorificantes divinam potentiam in eo, quòd talem eis per interventionum suffragia ejusdem Principis Apostolorum concedere jussit victoriam. Expletâ verò eâdem oratione, obnixè deprecatus est antedictum almificum Pontificem, sibi licentiam tribui Romam ingrediendi* (erat enim tum temporis Divi Pétri Templum extra Vrbis pomeria) *ad sua orationum vota per diversas Dei Ecclesias persolvenda. Et descendentes pariter ad corpus B. Petri tam ipse Sanctissimus Papa, quàm Excellentissimus Francorum Rex cum Iudicibus Romanorum, & Francorum, seseq; mutuò per Sacramentum munientibus, ingressus est Romam continuò cum eodem Pontifice ipse Francorum Rex. In eodem Sabbato Sancto in Basilicam Salvatoris juxta Lateranas pariter sunt ingressi. Ibidem ipse Excellentissimus Rex mansit cum omnibus suis, quousque S. Baptismatis Sacramentum antedictus ter Beatissimus Pontifex celebravit: & ita postmodùm ad Beatum Petrum ipse Excellentissimus repedavit Rex.*

2. ET CLEMNTIA AVXERE.] Cicero pro Ligario: *Nullâ re propiùs homines ad Deum accedunt, quàm salute hominibus dandâ.* Seneca in Octaviâ:

—— Parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo,
Hæc summa virtus; petitur hac cælum
viâ.

3. MOGVNTIACI.] Oppidum hoc Mediolano vicinum, salubri aëre, fertili solo, Lambrum ab Oriente, & quasi Solis ductu recipiens, Padumque versùs amœnâ ripâ dimittens. Deliciæ olim Theoderici Regis, ac deinde Reginæ Theodelindæ: quemadmodum satis anteà dictum: an & addam, aliquando meæ? Cùm in Italiam, anno ∞. IↃ. XCVII. ætatis meæ XXIII. proficiscerer, è lacu Lario Moguntiacum me contuli, & jucundo flexu maturam tum anni felicitatem in collibus illis lustravi. Posteà suave etiam interdum fuit, oppidum per dies æstivos visere, hospitali familiaritate Optimi Candidissimiq; Viri HIERONYMI SEPTALII, eo tum loco Archipresbyteri, ad ingenii oblectationem frui. Aderat nonnunquam LVDOVICVS frater ejus, adhuc annis vigens; cui ingenium & industria dederant, in litteris scientiisq; omnibus oraculum, in medendi arte miraculum haberi. Memini, præsente etiam BARTHOLOMAEO ZVCCA, Epistolis Italicis claro, & dum vixit, Amico meo, disputationem nobis de nomine hujus oppidi institui, dum alii *Modoëtiam*, alii *Moditiam*, alii *Montiam*; ego tanquam antiquum & latinum *Mogun-*

tiacum præferrem. Nitebar auctoritate vetusti, & in publico constituti lapidis, qui ejusmodi Inscriptionem, litteris licet aliquot propemodum detritis, repræsentabat:

C. SERTORIVS. L. F
OVF. TERTVLLIANVS
VETERANVS. LEG. XVI.
CVRATOR. CIVIVM. ROMAN
MOGVNTIACI.

An TERTVLLIANVS legi adhuc possit dubito. Alciatus in Schedis suis loco ROMAN. legit OMN. Saxum videndum est: mea enim mihi scriptura periit.

4. ARCHIEPISCOPO.] Thomâ, è Crassorum familiâ. Fuit hic Patriâ Mediolanensis, virtutibus egregius. Peregrinationem Hierosolyma pietatis caussâ suscepit. Reversus, ab Adriano Pontifice ad Archiepiscopatum evectus est. S. Ambrosii instituta acerrimè defendit. XXX. annis Mediolanensium Ecclesiæ præfuit. Sepultus in Æde Divi Laurentii.

5. FERREA CORONA.] De hoc ritu alii scripserunt: quomodò autem fieret, è Rituali antiquo, qui Ordo Romanus inscribitur, didici. Regem è triclinio in Basilicam Episcopi deducebant, & sistebant Archiepiscopo; qui cùm solennes aliquas precationes habuisset, populum rogabat, An ex animi sententiâ tali se Regi subjici pateretur. Ille si respondisset se pati, Regemque admittere; statim Archiepiscopus pectus, caput, & brachia Regis sancto oleo perungebat, Deumque obtestabatur, ut Regem liberis, & belli gloriâ clarum redderet. Post illa, gladio, armillis, chlamyde, annulo, sceptro, & coronâ ferreâ Regem exornabat, & in solium deductum osculabatur; denique rem divinam faciebat.

6. LEGES NON MVTATAE.] Sapienter Alcibiades apud Thucydidem lib. VI. existimat, *Tutissimos eos inter homines degere, qui antiquis legibus moribusq., etiamsi minùs bonis, Rempublicam administrant*. Ad Aristotelem, imò ad Aphorismos meos venio, lib. II. Politicorum, cap. VI. ubi Respublica Hippodami Milesii examinatur. *Non aliena Quæstio: An Leges patrias antiquitus institutas, novis & melioribus mutare fas sit? Non simpliciter, nisi publica utilitas suadeat. Rebus autem in omnibus semper periculosum est innovare, sæpe pernitiosum*. Deinde, damno & commodo velut collatis, res etiam religiosiùs expenditur: *Commodum, quod mutatione quæritur, cùm magnum non est, magnum autem damnum, quod ipsa mutatio adfert; melius est, ut & in Legibus, & in Magistratibus tolerentur quædam, quàm tollantur. Imò melius, ut parva potiùs aliqua mala sint, quàm inducantur quæ apparent tantùm bona. Neque enim, qui mutaverit Leges, tantum boni dabit, quantum mali, qui ad consuetudinem mutandi, & sic non parendi, cives duxerit.* Vt claudam, *Dixeris, valere Leges, quæ diu fuerunt: vi & vigore spoliari, quoties mutantur. Mutentur quoque: An igitur omnes? & in omni sive Regni, sive Reipublicæ statu? Alius statuat.* Nostro sæculo sunt, qui existiment, mutari leges posse de annonâ, de invehendis mercibus, de pœnarum acerbitate & lenitate: quia vis necessitatis nullis legibus adstringitur: spem quoq; lucri, si fallax non est, minimè rejiciendam. Sed si necessitas imperet etiam summam legum mutari, quid ages? Primùm, longâ consultatione negotium examina. Deinde obtende veterum legum prætextum. Postremò, Nationis Genio te quàm maximè accommoda. Et his adhibitis, adhuc verebor, ut cuncta tibi secunda sint. Locrenses quoque ve-

tustis

tustis legibus mirum in modum adhæsêre, ut est apud Demosthenem, Oratione contra Timocratem. Si quis novam legem ferre contenderet, priùs laqueo gulam obligabat; ut si minùs honesta utilisque populo videretur, confestim fractis faucibus temeritatem lueret. Carolus quidem prudentissimo consilio liberum omnibus fecit, Longobardicis, an Francicis sive Salicis vivere. Simpliciter autem dixi, Salicas Francicas esse, cùm Salii, Franci, qui ad Salam, vel Isalam sedes habuerunt. Volunt autem Varamundum Francorum Regem, Honorii temporibus, auctorem harum Legum fuisse, adhibitis in consilium Viris Sapientibus, quos *Gastos*, usitatâ adhuc Belgis voce, quasi Catones, à singulari virtute nominatos fuisse nonnulli arbitrantur. De hisce est in Prologo Legis Salicæ: *VVisogast, Arbogast, Salogast, & VVindogast, per tres mallos* (malli autem vocabulo Germanico comitia sunt) *convenientes, omnes caussarum origines, solicitè discurrendo tractantes, de singulis judicium decreverunt.* Sigebertus, aliique Latinâ terminatione hæc nomina, sed paullò aliter exprimunt: *Visogastum, Lesogastum, Husegastum, Salogastum*. Ripuariæ verò Leges recentiores sunt, natæ, postquam in Galliis Franci sedem fixerant, & à Rheni, Mosæ, Mosellæ ripis Ripuarii appellati sunt.

7. SPOLETINIS.] Spoletium, quod posteriores Spoletum dixêre, oppidum est Vmbriæ, Romanorum Colonia, Cicerone & Livio auctoribus. Situm ad radicem collis, cui arx munitissima imposita est. Romanorum fidem bello Punico constantissimè coluit. Inclinante Imperio à Gothis multas calamitates accepit. Solus Theodericus favisse urbi visus est, exstructo splendidissimo Palatio. Narses posteà eversa illius opera tam egregiè instauravit, ut Longobardi eam Ducatûs sedem elegerint. His Fractis, à Friderico Ænobarbo, quod Ecclesiæ Capiti faveret, funestâ clade quassatum fuit. Multa hodie antiquitatis vestigia retinet: Fanum Concordiæ, Theatri fundamenta, & sublimes Aquæductus.

8. FOROIVLIENSIBVS CONSTITVTI.] Et quidem omnes liberi, si feudi vinculum (res nova novo vocabulo dicenda est) excipias. Formulæ sacramenti hæ erant: *Promitto me Domino meo Carolo, & filiis ejus fidelem futurum, in totâ vitâ, sine fraude doloque malo.* Et: *Iuro per hæc sancta Dei Evangelia, me in posterum fidelem ei futurum, ut vasallum Domino, nec id quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit, enunciaturum in ejus detrimentum scientem.* Hoc verò sacramentum si violassent, vel si sine herede diem obiissent, Investitura (ut sermone sequiori utar) in alium transferebatur. Idem jus obtinebat in Vasallis, Feudatariis, Comitibus, Valvasoribus, & Capitaneis.

9. VICTORIAE PARTICIPEM.] Festo Paschatis, ut suprà retuli, Rex Romam venerat, & *quartâ feriâ*, ut Anastasius scribit, *constanter eum Pontifex deprecatus est, atque admonuit, & paterno affectu hortari studuit, ut promissionem illam, quam ejus sanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex, & ipse præcellentissimus Carolus cum suo germano Carolomano, unà cùm omnibus judicibus Francorum fecerat B. Petro, & ejus Vicario sanctæ memoriæ Domino Stephano juniori Papæ, quando in Franciam perrexit pro concedendis diversis civitatibus ac territoriis istius Italiæ Provinciæ, & contradendis Beato Petro, & omnibus Vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret*

pleret in omnibus; cumq́ ipsam promissionem, quæ in Franciâ, in loco qui vocatur Carisiacus, facta est, sibi relegi fecisset, complacuerunt illi & ejus Iudicibus omnia quæ ibidem erant annexa. Et propriâ voluntate, bono ac libenti animo aliam donationis promissionem adinstar anterioris, ipse antedictus præcellentissimus & reverà Christianissimus Carolus Francorum Rex asscribi jussit, per Etherium Religiosum ac prudentissimum Capellanum & Notarium suum: ubi concessit easdem civitates, & territoria Beato Petro, eásque Pontifici contradi spopondit per designationem confinium; sicut in eâdem donatione contineri monstratur: id est, à Lunis cum Insulâ Corsicâ, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, deinde in Verceto, deinde in Parmâ, deinde in Regio, & exinde in Mantuâ, atque Monte Silicis; simulq́ & universum Exarchatum Ravennatium, sicut antiquitus erat, atque Provincias Venetiarum & Istriæ, nec non cunctum Ducatum Spoletanum, & Beneventanum. Factâq́ eadem donatione, & propriâ suâ manu, ipse Christianissimus Francorum Rex eam corroborans, universos Episcopos, Abbates, Iudices etiam & Graphiones in eâ subscribere fecit. Exarchatui quoque novum vocabulum indidit, vocavitq́; Romaniam, sive Romaniolam. Quinetiam novam rationem psallendi, in gratiam Pontificis, Francorum Ecclesiis intulit: ut Apostolicæ Sedis auctoritas, ubique vigeret, claraque haberetur. Verba Scriptoris Egolismensis adjungam, pleniùs sic indicaturus, quantum in omnibus almæ Ecclesiarum Parenti Rex tribuerit: *Reversus est Rex piissimus Carolus, & celebravit Romæ Pascha cum Domino Apostolico. Ecce orta est contentio, per dies Pascha, inter Cantores Romanorum, & Gallorum. Dicebant se Galli meliùs cantare, & pulchriùs quàm Romani. Dicebant se Romani doctissimè cantilenas Ecclesiasticas proferre, sicut docti fuerant à S. Gregorio Papâ: Gallos corruptè cantare, & cantilenam sanam destruendo dilacerare. Quæ contentio ante Dominum Regem Carolum pervênit. Galli verò, propter securitatem Domini Regis Caroli valdè exprobrabant Cantoribus Romanis. Romani verò, propter auctoritatem magnæ doctrinæ, eos stultos, rusticos, & indoctos, velut bruta animalia affirmabant, & doctrinam S. Gregorii præferebant rusticitati eorum. Et cùm altercatio de neutrâ parte finiret, ait Dominus piissimus Rex Carolus ad suos Cantores: Dicite palàm, Quis purior est, & quis melior, fons vivus, an rivuli ejus longè decurrentes? Responderunt omnes unâ voce, Fontem velut caput & originem puriorem esse: rivulos autem ejus, quantò longiùs à fonte recesserint, tantò turbulentiores, & sordibus & immunditiis corruptiores. Et ait Dominus Rex Carolus: Revertimini vos ad fontem S. Gregorii, quia manifestè corrupistis cantilenam Ecclesiasticam. Mox petiit Dominus Rex Carolus ab Adriano Papâ Cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. Et ille dedit ei Theodorum, & Benedictum Romanæ Ecclesiæ doctissimos Cantores, qui à S. Gregorio eruditi fuerant, tribuitque Antiphonarios S. Gregorii, quos ipse notaverat notâ Romanâ. Dominus verò Rex Carolus revertens, misit unum Cantorem Metas, alterum in Suessionis civitatem: præcipiens, de omnibus civitatibus Franciæ magistros scholæ Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis discere cantare. Correcti sunt ergò Antiphonarii Francorum.*

HISTORIA.

RODGANDVS res moliri novas ausus, ad defectionem proximas quasque concitat urbes, & velut accendit. Gliscit tumultus, atque adeò facere quisque videbatur strenuè, qui arma sumeret. Majoris jam momenti erat, reprimere Rodgandum, quàm Desiderium debellasse. Ac sanè bello opus erat, ut tempestas resideret. Redit igitur in Italiam cum exercitu Carolus, & [1] cruenta adhuc sanguine Saxonum arma in Longobardos transferens, non tam vincit, quàm vicisse se ostendit. Quia ipse iterum Rex pugnavit, uno prœlio totus ille tumultus oppressus est, cæso hostium exercitu. Rodgandus captus, concitati belli scelus ultimo supplicio expiavit. Sic post regni fatum adhuc se concussit Longobardorum fortuna, ultimoque velut nisu collapsa est. Sed Carolus, cùm in [2] Germaniâ deinceps, [3] Hispaniâque prosperè rem gereret, majoris esse virtutis opus intellexit, Italiam [4] retinere, quàm subjicere; populosque nonnullos faciliùs [5] vinci, quàm regi. Itaque filium Pipinum [6] ferream sumere coronam jussit, & Longobardis regiâ potestate præesse. Sic tamen Aragisus, [7] ambitione inflatus, insurrexit, Principis nomine assumpto, Ducis abdicato: atque his gradibus ad Regnum adspirabat. Tanquam bello sufficeret, quia Desiderii gener; Pontificiam ditionem infestam habuit. Igitur rebus iterum [8] præstò est Carolus, suoque ductu tumultum compescit.

COMMENTARIVS.

1. CRVENTA ADHVC.] Carolo Longobardicis bellis intento, Saxones Hassorum terminos igne ferróque fuerant populati. Quam injuriam æquo animo uon concoquens, *priusquam eum Saxones venisse sentirent* (ut est in Annalibus Francorum) *tripartitum in eorum regiones misit exercitum, qui incendiis ac direptionibus cuncta devastans, compluribus etiam Saxonum, qui resistere conati sunt, interfectis, cum ingenti prædâ regressus est.* Neq; hac vindictâ contentus, in Carisiaco denuò *consilium init, ut perfidam ac fœdifragam Saxonum gentem bello aggrederetur, & eousq; perseveraret, dum aut victi Christianæ religioni subjicerentur, aut omnino tollerentur: habitoq; consilio apud Duriam villam, generali conventu, Rheno quoque*

quoque transmisso, cum totius Regni viribus Saxoniam petiit, & primo statim impetu Sigiburgum arcem, in quâ Saxonum præsidium erat, pugnando capit. Eresburgum aliud castrum à Saxonibus destructum munivit, & in eo Francorum præsidium posuit. Inde ad Vuisiram fluvium veniens, in eo loco, qui Brunnesberg vocatur, congregatam Saxonum multitudinem offendit, quæ eum à transitu fluminis arcere conabatur. Sed frustrà: nam in primâ congressione pulsi fugatiq; sunt, & magnus eorum numerus ibidem interfectus est. Plura etiam ibidem Rex gessit, priusquàm in Rotgandum Forojuliensem Ducem expeditionem susciperet.

2. IN GERMANIA.] Denuò contra Saxones; qui ut occupatum Regem rebus Italicis intellexêre, ad ingenium reversi, Eresburgum expugnârunt, Sigiburgumque tentaverunt intercipere. Rex igitur habito Wormaciæ conventu, contractis copiis, magnâ celeritate Saxoniam petiit, & ad fontem Lippiæ ingentem multitudinem coëgit sibi supplicem fieri. Eresburgum jam dirutum instauravit, Lippiæ arcem imposuit. Sic tamen Saxoxones adhuc rebellaverunt. Ille reversus, ferocem & perfidam gentem ad has conditiones adegit; ut si denuò insurgerent, patriâ privarentur libertate: & in fidei pignus maxima multitudo sacro Baptismi fonte abluta est.

3. HISPANIAQVE.] Annales Francorum, & Religiosum Egolismensem adducerem, nisi Regino Monachus Prumiensis, pleniùs in Chronico suo hanc historiam enarraret. Verba sunt: *In eundem etiam locum venerunt Saraceni de partibus Hispaniæ, quorum hæc sunt nomina: Ibina, Iarabi, & filius Denizesi, qui Lammenjoseph nominabatur, & gener ejus, ubi etiam multitudo Saxonum baptizati sunt, & sacramenta secundum consuetudinem dederunt; ut perderent ingenuitatem & omnem hereditatem, nisi conservarent susceptam Christianitatem, & promissam fidelitatem Regis, & filiorum ejus, nec non etiam & Francorum.* Nonnullis etiam interstitis: *Carolus cum exercitu Hispaniam ingressus est. Venit enim primò ad Pampilonam civitatem, deinde ad Cæsaraugustanam urbem perrexit, ubi innumerabilis multitudo de partibus Burgundiæ, & Austrasiæ, vel Bajoariæ, seu Provinciæ, & Septimaniæ, pars etiam Longobardorum in auxilium Francorum convenerunt. Obsidione itaque civitatis territi Saraceni, obsides dederunt, & immensum pondus auri. Ejectis itaque Saracenis de Pampilonâ, murisq; ejusdem civitatis dirutis, Vasconibusq; subjugatis, in Franciam revertitur.* Sub hanc expeditionem, Ordinem Parium Franciæ, à Carolo institutum, auctor est Gaguinus libro IV. his verbis: *Priùs tamen quàm expeditionem produceret, rem tanto Principe dignam ordinat. Ex omni præcipuâ Francorum nobilitate XII. selegit, quos secum in militiam produceret, eos Pares appellans: quia scilicet æquali inter se dignitate Regi constantes perpetuò essent: neque cujusquam nisi Parlamenti tantùm Senatus judicio obnoxii tenerentur; qui conservandis, coronandisq; Francorum Regibus adessent. Hi etiam nunc insequentibus nominibus designantur: Remensis Archiepiscopus; Laudunensis, atque Lingonensis Pontifices, Duces; Bellovacus, Novionensis, atque Catalaunensis Episcopi, Comites sunt appellati. Ex seculi Principibus, Burgundus, Normannus, & Aquitanus Ducatûs dignitatem; Flandrensis autem, Tolosanus, & Campanus Comitatûs prærogativam obtinuêre.* Toletanus negat Carolum Pampilonam & Cæsaraugustam subjugasse: parte duntaxat Vasconiæ territâ, coactum in Galliam se reci-

recipere. Sed quid? nónne Eginhartus in vitâ Caroli Magni scribit, Alfonsum, Gallæciæ & Asturiæ Regem, Caroli fuisse amicum; Carolumque in litteris ab eo tantùm voluisse *suum* appellari? Nónne Annales Francorum tradunt, eundem Regem, per Froiam Legatum, papilionem Carolo misisse, & posteà expugnatæ Vlyssiponæ manubias? Iidem illi non quidem dissimulant, Regem infeliciter in Vasconiâ pugnasse: sed cum ab expeditione rediret. *Pyrenæi saltum ingressus est, in cujus summitate Vascones, insidiis collocatis, extremum agmen adorti, totum exercitum perturbabant magno tumultu. Et licet Franci Vasconibus, tam armis, quàm animis præstare viderentur: tamen iniquitate locorum, & genere imparis pugnæ inferiores effecti sunt. In hoc certamine plerique Aulicorum, quos Rex copiis præfecerat* (Rolandus, Oliverius, Anselmus, Egelibardus) *interfecti sunt, direpta impedimenta; & hostis propter notitiam locorum in diversa dilapsus est. Cujus vulneris accepti recordatio, magnam partem rerum feliciter gestarum in corde Regis obnubilavit.* Si Toletanus ea quæ jam traditurus sum, tanquam vana ac fabulosa rejecisset, pedibus lubens volensq; in ejus sententiam irem. Tantus enim Carolus est, ut magnitudo illius, Poëticis fulcris non egeat. Tradit Iacobus de Voragine, Turpinum Archiepiscopum Remensem ad Luitprandum Decanum Aquisgranensem scripsisse: D. Iacobum in somnis adstitisse Carolo, & rogasse, ut sepulchrum suum à Saracenis assereret, liberumque faceret peregrinantium pietati iter. Post illa Carolum iter suscepisse, ejusque non armis, sed precibus corruisse Pampilonæ mœnia, totamque deinde Hispaniam subjugatam esse. Tum verò, Agolantum, Regem Africæ, trajecisse in Hispanias, & conflixisse cum Carolo, solosq; Duces Carolum & Agolantum prælio superfuisse. Quid præterea? omnes hastas Francorum in arbores fuisse mutatas. Neque se intra hanc Metamorphosim continet Auctor; sed plura & luculentiora figmenta adjungit.

4. RETINERE QVAM SVBIICERE.] Florus lib. II. cap. XVII. *Difficilius est provinciam retinere, quàm facere: viribus parantur, jure retinentur.* Q. Curtius, lib. IV. *Facilius est quædam vincere, quàm tueri. Quàm hercle expeditiùs manus nostræ rapiunt, quàm tenent!* Qui hujus sententiæ exemplum præter Carolum postulat, suadeo ut Plutarchum in vitâ Pyrrhi Regis pervolvat.

5. VINCI QVAM REGI.] Vera hæc omnino vox est. Nam Saxones undecies vinci debuerunt, antequàm possent regi.

6. FERREAM CORONAM.] Annales Francorum tradunt, Pipinum Caroli filium, ab Adriano Pontifice in Regem unctum fuisse: *Baptizavit Pontifex filium ejus Pipinum, unxitq; in Regem: unxit etiam & Ludovicum fratrem ejus. Quibus & coronam imposuit. Quorum major, id est Pipinus, in Longobardiâ, minor verò in Aquitaniâ Rex est constitutus.* Eadem ferè Regino.

7. AMBITIONE INFLATVS.] Argumento sunt diplomata illius, cum hac subscriptione: *E sacratissimo nostro Palatio.* Quod amplius est, ab Episcopis suis inungi, & coronari voluit.

8. PRAESTO EST CAROLVS.] Annales repræsento: *Contractis celeriter copiis, in ipsâ hiemalis temporis asperitate Italiam ingreditur. Cumq; in Florentiâ Tuscorum civitate Natalem Domini celebrasset, cum maximâ celeritate Romam ire contendit.*

Quò

Quo cùm venisset, ac de profectione suâ in Beneventum, tam cum Adriano Pontifice, quàm cum suis Optimatibus deliberasset, Aragisus Dux Beneventanorum, audito ejus adventu, compertâque in terram suam intrandi voluntate, propositum ejus avertere conatus est. Misso enim Romoaldo minore filio suo cum muneribus ad Regem, rogare cœpit, ne terram Beneventanorum intraret. Sed ille longè aliter de rebus incohatis faciendum sibi judicans, retento secum Romoaldo, cum omni exercitu suo Capuam civitatem Campaniæ accessit, inde bellum aggressurus, ni memoratus Dux propositum Regis salubri consilio prævenisset. Nam relictâ Benevento, quæ caput illius terræ habetur, in Salernum maritimam civitatem, velut munitiorem se cum suis contulit; missâque Legatione, utrosque filios Regi obtulit, promittens se ad omnia quæ imperarentur libenter obediturum. Cujus precibus Rex annuens, divini etiam timoris respectu, bello abstinuit, & minore Ducis filio, nomine Grimoaldo, obsidis loco suscepto, majorem patri remisit. Accepit insuper à populo obsides XI, *misitq́ Legatos, qui & ipsum Ducem, & omnem Beneventanum populum per sacramenta obstringerent.* Hunc Aragisum Regino Heregisum vocat, scribitq́; præter Grimoaldum, Ducis filium, obsides à Beneventanis XII. datos fuisse.

HISTORIA.

DESIERAT hic in sinu ignis, & mox è Græciâ incendium immissum, [1] fomite Adalgiso, Desiderii filio, qui Constantini viribus armatus, in Calabriam exercitum trajecit. Occurrunt, jussu Pipini, Vinigisus legatus Regius, Hildebrandus Spoletinorum Dux, Grimoaldus Aragisi filius, Beneventanorum Princeps, qui Pipini gratiam, Adalgisi Avunculi necessitudini antetulit. Quis potentiæ ludus! A Longobardis ipsis destrui reliqua Longobardi Regis spes debuit. Tantâ pertinaciâ pugnatum est, ut dubia aliquantisper hæreret fortuna, dum fidem Longobardi, robur Græci testatum Regibus conantur reddere. Tandem infra fidem robur fuit, fuso transmarino exercitu. Cladem ipse Adalgisus auxit, captus, atque inter tormenta extinctus. Hæc vincentium feritas. Sed nec fidei constans Grimoaldus fuit: tanquam Adalgiso invidisset Regnum, paucis pòst annis moliri ipse cœpit. Igitur à Pipino & fratre ejus Ludovico in ordinem redactus est. Hac jam rerum pace Pontificem varia * Romanorum factio divexavit, velut ad priscam adspirantium libertatem: ac jam majus bello restabat opus, quod nisi Carolus perficeret, frustra vicisse

 videre-

videretur. In Italiam, & 3 ad urbem venit, non pulchriori facinore pietatem professus, quàm quòd Ecclesiæ caput, Romæ Principem restituit: dignus jam sanè, qui 4 Augusti nomine & titulo consecraretur. Hanc gratiam Pontifex retulit, velut fulcrum labanti Occidenti subjiciens, quo Religio potissimùm niteretur. Ergò Imperii insignia, quæ cum Momyllo nuper desierant, renata sunt; sed in Galliâ Germaniaque deinceps resplenduerunt. Italia, quia sub Augusto non suo, turbari mox iterum cœpit. Initium 5 à Pipino, qui obiter primùm 6 cum Beneventanis, acriùs 7 deinde cum Venetis victor collisus est. Mox Mediolanum veniens, ut res Insubrum ordinaret,[8] morbo correptus obiit.

COMMENTARIVS.

1. FOMITE ADALGISO.] In caussâ hujus belli Scriptores dissident. Sunt qui tradant hanc esse, quòd Carolus Ducatum Beneventanum sibi subjecerit, cùm Orientales Augusti eum anteà in patrocinium suum accepissent. Annales Francorum asserunt aliâ de caussâ bellum hoc conflatum: *Interea Constantinus Imperator ob negatam sibi Regis filiam iratus, Theodorum Patricium, Siciliæ Præfectum, cum aliis Ducibus suis fines Beneventanorum vastare jussit; qui cùm imperata exsequerentur, Grimoaldus, qui eodem anno post mortem Patris Dux Beneventanorum à Rege datus est, & Hildebrandus Dux Spoletanorum, cum copiis quas congregare potuerunt, in Calabriâ eis occurrerunt, habentes secum Legatum Regis Vinigisum, qui postea in Ducatu Spoletano Hildebrando successit; commissoq; prælio, immodicam ex iis multitudinem ceciderunt, & sine suo suorumq; gravi dispendio victores facti, magnum captivorum ac spoliorum numerum in sua castra retulerunt*. E Theophane colligas, belli hujus architectum Adalgisum fuisse, impedivisseq; nuptiarum fœdera, ut bellum aliquando inter eos oriretur, & hac occasione in Regnum paternum ipse rediret. Sed spe suâ dejectus est. Eadem Sigebertus.

2. ROMANORVM FACTIO.] Amici Adriani Pontificis, Paschalis Primicerius, & Campulus Sacellarius, cùm ferre non possent vitia sua à Sanctissimo Præsule Leone III. exagitari, & nonnulla Adriani Acta rescindi; primò calumniis Pontificem sunt insectati; quæ deinde cùm è voto non succederent, insidias cœperunt viro optimo moliri. Anastasius ex asse Historiam enarrat: *Cùm die quadam more solito in Litaniâ, quæ ab omnibus Major appellatur, Leo Pontifex procederet, ubi sibi populus obviàm sacrâ religione occurrere deberet, ut secundum annuam consuetudinem Litanias, & Missarum solennia, cum Sacerdotibus celebraret, & Omnipotenti Domino pro salute Christiani populi preces funderet, & cùm secundum olitanam traditionem sancta Romana Ecclesiæ, in Ecclesiâ B. Georgii Christi Martyris, in ejus natali ipsa Litania prædicata fuisset, omnes*

tam

tam viri, quámq; femina devotâ mente catervatim in Ecclesiâ Beati Christi Martyris Laurentii, quam Lucina dicunt, sive ad Craticulam, ubi Collecta prædicata erat, occurrerunt. Et dum dictus Venerabilis Pontifex à Patriarchio egressus fuisset, obviàm illi sine planetâ Paschalis Primicerius occurrit, & in hypocrisi veniam illi petebat, dicens: Quia infirmus sum, & ideò sine planetâ veni. Tunc Sanctissimus Præsul veniam illi dedit: similiter & Campulus Sacellarius. Qui in dolositate pariter in Pontificali obsequio pergentes, & dulcia verba, quæ non habebant in pectore, cum eo loquentes, maligni, iniqui, ac perversi, falsiq; Christiani, prorsùs pagani, filii Diaboli in unum se satanicè colligentes, pleni iniquâ cogitatione in ipso itinere ante Monasterium Sanctorum Stephani & Silvestri, quod Dominus Paulus Papa fundaverat, clàm armati assistere, atque repentè de loco insidiarum exilientes, ad ipsum (quod dictu nefas est) trucidandum absque ullâ reverentiâ confluxerunt, Paschale ad caput stante, & Campulo ad pedes, secundum iniquum eorum consilium. Quo facto, omnis qui circa eum erat populus, cùm esset inermis & in divino officio præparatus, timore armorum perterritus, in fugam conversus est. Ipsi verò insidiatores atque operatores malorum, Iudaico more, sine ullo divino, vel humano honoris intuitu, ferino more eum comprehendentes, in terram projecerunt, & absq; ullâ misericordiâ scindendo, exspoliantes eum, crudeliter oculos evulsère, & ipsum penitus cæcare conati sunt. Nam & lingua ejus ab ipsis præcisa est, & ut ipsi omnino tunc arbitrati sunt, cæcum eum, & mutum in mediâ plateâ dimisère. Verùm ipsi maligni Paschalis & Campulus, sicut veri pagani & impii, ad ipsius Monasterii Ecclesiam ante Confessionem eum trahentes, ante ipsum venerabile altare iterum oculos, & linguam ampliùs crudeliter eruerunt, & plagis eum diversis ac fustibus cædentes laniaverunt, & semivivum in sanguine revolutum ante ipsum altare dimisère. Postmodùm verò sub custodiâ in ipso monasterio dimisére. Timore autem perterriti, sicut ipse Hegumenus Monasterii S. Gerasimi professus est, fecerunt eum ad se duci clàm per noctem, tam Paschalis malignus, qui tunc Primicerius erat, quàm Campulus Sacellarius, & Maurus Nepesinus; & miserunt in prædictum Monasterium S. Silvestri cum pluribus iniquis consentaneis ipsorum malefactoribus. Sic eum per noctem exinde abstrahentes deduxerunt in Monasterium S. Gerasimi, & in arctâ & angustâ custodiâ eum reclusserunt. Sed Deus omnipotens, qui eorum malitiam præsciendo, diu patienter sustinuit, ipse eorum iniquos conatus mirabiliter destruxit. Contigit enim, cooperante Domino, & Beato Petro Apostolo suffragante, antedictum Papam, cùm ab ipsis carnificibus in Monasterium S. Gerasimi in custodiam mitteretur, & visum recepisse, & linguam ad loquendum ei restitutam esse. Et ut ostenderet omnipotens Deus super suum famulum solitam misericordiam, & magnum miraculum; divino ejus nutu fideles Christiani viri, videlicet Albinus Cubicularius, & alii fideles, Deum timentes, ex ipso eum claustro occultè auferentes, in Basilicam B. Petri Apostolorum Principis, ubi ejus sacratissimum corpus quiescit, deduxère. Qui omnes audientes, & videntes mirabilia Dei, qui innocentem & justum Pontificem de manibus inimicorum eruit, glorificaverunt Dominum Deum dicentes: Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia magna solus, & non deserit sperantes in se. Sed in eo adimplevit misericordiam suam, ut manifestaretur gloria Dei, & mirabilia in illo, quemadmodum promisit sperantibus in se, Psalmistâ dicente: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus

nus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo? Et iterum: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis. Et verè à tenebris eum Dominus eripiens, lumen reddidit, & linguam ad loquendum restituit, & totis eum solidavit membris, & in omnibus operibus mirabiliter deducens confortavit. Quantum gaudium habuère Christiani homines & fideles; tantum mœrore & tristitiâ angustiati illi, nesciebant quid agerent; & in periculo se esse existimantes, quærebant semetipsos interficere. At dum non invenirent quid aliud agerent, Domum Albini, fidelis B. Petri Apostoli, & ejusdem Pontificis deprædantes, destruxerunt. In ipsâ B. Petri Apostoli aulâ dum degeret prædictus Pontifex, confestim Vinigisus gloriosus dux Spoletanus cum suo exercitu obviavit ei; & cùm Summum Pontificem videntem & loquentem conspexisset, venerabiliter eum respiciens, Spoletum deduxit, glorificans & laudans Deum, qui per talia mirabilia eum clarificavit.* Quid prætereà? Protinus eum, ut compendio dicam, ad Carolum, qui in Saxones pugnabat, multis & Episcopis, & Abbatibus officii causâ adjunctis, misit. Carolus autem de adventu Pontificis certior factus, Hildivaldum Archiepiscopum, Aschariumque, & mox Pipinum Regem ei obviàm misit. Tandem & ipse ivit, tantumque Præsulem honorificè excepit. Pontifex liberam colloquii copiam nactus, de calumniis sibi objectis egit, & quantum ab adversariis passus esset, exponit. Rex deprompto solatii officio, rogat, ut apud se maneat, utque Padeburnæ altare, & templum Eresburgicum dedicet. Adversarii interim nec sibi desunt; sed hostem suum diris calumniis apud Regem conscindunt: quæ parum tamen, aut nihil in innocentiam valuerunt. Nam Carolus Præsulem tam Archiepiscopis, quàm Episcopis innumeris, filioque suo comitatum, Romam remisit. Vrbem is cùm ingrederetur, *Romani præ nimio gaudio* (Anastasii denuo verba sunt) *suum recipientes Pastorem, omnes generaliter in vigiliis B. Andreæ Apostoli, tam Proceres Clericorum cum omnibus Clericis, quamque Optimates, & Senatus, cunctaque militia, & universus populus Romanus, cum Sanctimonialibus, Diaconissis, & nobilibus Matronis, cum universis feminis, simul etiam & cunctæ Scholæ peregrinorum, videlicet Francorum, Frisonum, Saxonum, atque Longobardorum, simul omnes connexi ad Pontem Milvium cum signis, & bandis, & canticis spiritualibus susceperunt, & in Ecclesiam B. Petri Apostoli deduxerunt, ubi & Missarum solennia celebravit.* Post illa Episcopi à Carolo missi, inquirere in caussam Pontificis cœperunt, quæstionemque de conjuratis habere: compertà verò Leonis innocentiâ, Paschalis, & Campulus in vincula conjecti sunt.

3. AD VRBEM VENIT.] Habito Moguntiæ conventu, ipse voluit caussæ Iudex Carolus venire, & ultor simul Beneventanæ defectionis. Annales Carolini, & iisdem pænè verbis illi à Pithæo editi: *Iter in Italiam indixit: atque inde profectus cum exercitu Ravennam venit, ibique septem non ampliùs dies moratus, Pipinum filium suum cum eodem exercitu in terram Beneventanorum ire jussit; movensque de Ravennâ cum filio Anconam usque pervenit; quo ibi dimisso, Romam proficiscitur. Pridie quàm illò veniret, Leo Papa apud Numentum ei occurrit, & cum magnâ veneratione ibidem suscepit. Post cœnam, quâ simul refecti sunt, illò illi manente, Pontifex ad Vrbem processit, posteroque die in gradibus Basilicæ B. Petri Apostoli cum Episcopis, & universo Clero circumsistens, advenientem Regem, equoque descenden-*

scendentem, Deo laudes dicendo, & gratias agendo suscepit, & cunctis psallentibus in Ecclesiam ejusdem Beatissimi Apostoli, Deum glorificans atque magnificans, introduxit. Facta sunt hæc VIII. *Kal. Decemb. Post septem verò dies Rex, concione vocatâ, cùm Romam venisset, omnibus patefecit; & exinde quotidie iis propter quæ venerat facienda operam impendit: in quibus, ut maximum, ita difficillimum erat quod primò incohatum est, de investigandis videlicet quæ Pontifici objiciebantur criminibus. Qui tamen, postquam nullus eorundem criminum probator existeret, coram omni populo in Basilicâ B. Petri Apostoli Evangelium ferens, ambonem conscendit, invocatoq. S. Trinitatis nomine, de objectis se criminibus jurejurando purgavit.* Formula quâ se purgavit, in Romano Ordine exstat, in hunc modum: *Nota res est, fratres Charissimi, malos adversum me homines insurrexisse, meq. ac vitam meam gravissimis criminibus infamasse. Cujus rei cognoscendæ gratiâ Clementissimus hic ac Serenissimus Rex Carolus, unà cum Sacerdotibus, ac Principibus suis, in hanc Urbem se contulit. Quamobrem ego Leo Pontifex Sacræ Romanæ Ecclesiæ à nemine judicatus, neq. coactus, sed meâ voluntate impulsus, purgo me, præsentibus vobis, coram Deo, & Angelis ejus, qui conscientiam novit, & B. Petro Principe Apostolorum, in cujus conspectu consistimus. Neque sceleratas res, quas mihi objiciunt, perpetrasse, neque perpetrari jussisse, Deum testans, in cujus judicium venturi sumus, & in cujus conspectu consistimus. Et hoc facio, non legibus obstrictus, neque hanc consuetudinem, aut decretum in Sanctâ Ecclesiâ successoribus meis & fratribus Coëpiscopis imponere cupiens, sed ut certiùs iniquis vos suspicionibus liberem.* Rex igitur Paschalem & Campulum, ut reos læsæ Majestatis, capite damnavit. *Pro quibus tamen* (ut est in Annalibus) *Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit. nam & vita, & membrorum integritas eis concessa est: cæterùm pro sui facinoris magnitudine exilio damnati sunt,* &c, quod Anastasius expressit, in Galliam missi.

4. AUGUSTI NOMINE ET TITULO.] Tantis beneficiis obstrictus Leo, referre hostimentum studuit. Unde cùm Carolus *die sacratissimâ Natalis Domini*, ut in iisdem est Annalibus, *ad Missarum solennia Basilicam B. Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, assisteret Leo Papa, coronam capiti ejus imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante:* CAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM, VITA ET VICTORIA. *Post quas laudes à Pontifice more antiquorum Principum adoratus est; ac deinde omisso Patricii nomine,* IMPERATOR *&* AUGUSTUS *appellatus.* Eginhartum credo de Augusti nomine scribentem aliquid affectui suo in optimum Principem tribuisse, his verbis: *Romam veniens propter reparandum, qui nimus conturbatus erat, Ecclesiæ statum, ibi totum hiemis tempus protraxit: quo tempore Imperatoris, & Augusti nomen accepit, quod primò tantum aversatus est, ut affirmaret se, eo die, quamvis præcipua solennitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si consilium Pontificis præscire potuisset.* Vides adulatiunculam. Nam ipse Carolus Adriano Pontifici satis anteà animum suum litteris patefecerat: *Carolus Dei gratiâ Rex Francorum, & Longobardorum, & Patricius Romanorum. Si Ecclesiarum Dei servis munificentiam nostram impertimus, eorumq. studiis libenter obsequimur, id nobis ad Augustalis Excellentiæ culmen proficere credimus, & quod cunctis pretiosius est dignitatibus, æter-*

num retributionis præmium capessere non diffidimus.

5. A PIPINO.] Hîc Regnum Italiæ, ut plurimùm S. Adelhardi Abbatis operâ administrabat, qui Pontifici Leoni, ut Paschasius Ratbertus asserit, tam fuit familiaris, ut ab eo audierit: *France sciendo scias, quia te si aliud invenero, quàm te credo, non ultrà necesse est Francorum aliquem huc venire, cui credere debeam.*

6. CUM BENEVENTANIS.] Annales ita habent: *In Italiâ Reate civitas similiter capta, & incensa est, ejusq; præfectus Roshelmus comprehensus. Castella quæ ad ipsam civitatem pertinebant, in deditionem recepta sunt. Zathus & Roshelmus unâ die ad præsentiam Imperatoris deducti, & exilio damnati sunt.* Et quid ni adjicio? *Ortona civitas Italiæ in deditionem accepta. Nuceria quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit, præsidiumq; nostrorum in eâ positum. Grimoaldus Beneventanorum Dux, in Nuceriâ Vinigisum Comitem Spoleti, qui præsidio præerat, adversâ valetudine afflictum obsedit, & in deditionem accepit, captumq; honorificè habuit.* Posteà verò *Vinigisus à Grimoaldo redditus est.* Sed neque hæc res ad pacem suffecit: anno enim IↃ. CCC.XII. emere eam à Carolo compulsus fuit, & tributi nomine, ut est apud Reginonem, & in iisdem Annalibus, XXV. millia Solidorum auri persolvere.

7. DEINDE CUM VENETIS VICTOR.] Quod salvâ Reipublicæ Venetæ gratiâ dictum sit: Non ex vero plerique de hoc bello, & origine tantæ Urbis scripserunt, si veri hi Annales sunt. Altiùs igitur hanc, quam attigi Historiam, ex iisdem illis repetam. Anno IↃ. CCC. VI. *Statim post natalem Domini, venerunt Vilharius & Beatus, Duces Venetiæ, nec non & Paulus Dux Iaderæ, atque Donatus ejusdem Civitatis Episcopus, Legati Dalmatarum, ad præsentiam Imperatoris, cum magnis donis; & facta est ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus, & populis tam Venetiæ, quàm Dalmatiæ.* Eodem anno *Classis à Nicephoro Imperatore, cui Niceta Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur.* Anno IↃ. CCC. VII. *Niceta Patricius, qui cum classe Constantinopolitanâ in Venetiâ se continebat, pace factâ cum Pipino Rege, & induciis usque ad mensem Augustum constitutis, statione solutâ Constantinopolim regressus est.* Anno IↃ. CCC.IX. *Classis Constantinopoli missa, primò Dalmatiam, deinde Venetiam appulit: cumq; ibi hiemaret, pars ejus Comaclum Insulam accessit, commissoque prælio contra præsidium, quod in eâ dispositum erat, victa atque fugata Venetiam recessit. Dux autem qui classi præerat, nomine Paulus, cùm de pace inter Græcos & Francos constituendâ, quasi sibi hoc esset injunctum, apud Pipinum Italiæ Regem agere moliretur, Vilhario & Beato Venetiæ Ducibus omnes conatus ejus impedientibus, atq; ipsi etiam insidias parantibus, cognitâ illorum fraude, discessit.* Anno IↃ. CCC.X. *Interea Pipinus Rex perfidiâ Ducum Venetorum incitatus, Venetiam bello terrâ marique statuit appetere: subactâque Venetiâ, ac Ducibus ejus in deditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit.* Eadem consensu, Aimonius, Ado, Regino, & Religiosus Cœnobii Egolismensis. Neque diu tamen sub Italiæ Regibus Urbs fuit. Nam Carolus, Pipino mortuo, Venetiam Nicephoro restituit. Veneti Scriptores (qui omnes tamen recentiores sunt) commemorant, Pipinum quidem classe ad æstuaria Venetiæ venisse, Brondulum, etiam Clodiam, Palæstrinam, Albiolam,

Metamaucumq; invasisse; sed cùm Rivoaltum intrasset, levibus eorum lintribus, qui, Heracleâ eversa, eò confugerant, omnes illius copias cæsas captasque asserunt; & hac victoriæ occasione fundamenta Amplissimæ Vrbis jacta esse. Vnus ex Antiquis Constantinus, lib. De Administrando Imperio, cap. XXVIII. non victos Venetos, sed ad conditiones pacis traductos scribit. An sacri hic diadematis fidem æstimare liceat, alii statuant. Non ubique veritati litatum esse, nimis verum est. De tributo quod addit, exprimo: *Ex illo verò tempore exiguum quotannis tributum solvunt. quod etiam hodie obtinet. Solvunt enim quotannis Italiæ sive Papiæ Regi denariorum* (διβάρια an aliter intelligas?) *argenti non signati libras triginta sex. Atque hoc modo bellum inter Francos & Venetos cessavit.* Nolo plura.

8. MORBO CORREPTVS OBIIT.] In ipsâ Regiâ, VIII. Eid. Iul. Anno Christi IↃ. CCCX. Vir egregiis, & verè regiis virtutibus ornatus, vitâ longiori dignus; quem Insubres non tam Rege, quàm Patre spoliati, luxerunt. Cadaver Veronam delatum est, in Monasterium Sancti Zenonis, ab ipso constructum. Vnum duntaxat filium, Bernardum; sed quinque filias, Adelheidem, Atalam, Gunradam, Berthaidem, & Thedradam, ut Eginhartus Auctor est, superstites reliquit. Diem verò clausit anno ætatis suæ XXXIII. quemadmodum Theganus natione Francus, Chorepiscopus Trevirensis, in rebus Ludovici tradit.

HISTORIA.

NOVA hoc tempore Barbaries Italiæ imminebat: [1] SARACENI, ex Africâ & Hispaniâ collectis copiis bellum illaturi. Sic à Meridie & Occidente imbellis conjuravit feritas, & quia hostem timebat (nam Bernardus Pipini filius cum valido exercitu subsidio missus erat) ab incepto destitit, designatamque rabiem in [2] Corsicam & [3] Sardiniam, sed cum damno suo, effudit.

COMMENTARIVS.

1. SARACENI.] E felici Arabiâ abominanda hæc latronum manus, exitio multarum gentium prorupit. Illam enim Arabiam ad Septentrionem colunt, tradente Ptolemæo, Syraceni & Saraceni. Gens fuit numerosa, ac bello potens. Persarum Regi cum reliquis Arabibus, usque ad Heraclii tempora, annum scilicet Salutis IↃ. CXX. subjecta fuit. Tunc primùm jugum excussit; ac minitari Orbi universo cœpit, Ductore Mahumete, *quem Saraceni Prophetam suum dicunt* (verba sequar Imperatoris Constantini) *ex amplissima tribu Ismaëlis Abrahami filio deductum. Zenarus enim Ismaëlis pronepos, ipsorum omnium pater dicitur. Hic filios genuit duos, Mundarum, & Rhabeam. Mundarus autem, Cusarum, Casum, Thymimen, Asandon, & alios nonnullos; qui Madianiticam eremum*

mum sortiti, pecudes alebant, in tentoriis habitantes. Interiores verò etiam his sunt non ex eâdem tribu, sed ex Lectanis, qui Homeritæ dicuntur, id est Amanitæ. Fertur verò hoc modo. Cùm pauper & orphanus esset Mahomet, visum ei fuit operam suam locare mulieri opulentæ, consanguineæ, cui nomen Chadiga, ad camelos agendos, negotiandúmque cum alienigenis in Ægypto & Palæstinâ. Inde paullò pòst confidentior, ubi mulierem viduam blanditiis demulsisset, uxorem eam accipit. Palæstinam autem cùm frequentaret, & cum Iudæis ac Christianis viveret, sermones aliquot, & solutiones Scripturæ investigavit. Cùm verò morbo laboraret comitiali, indoluit valdè uxor ipsius, quòd illustris & opulenta cùm esset, tali nupsisset viro, non solùm egeno, sed epileptico. Hanc ut placaret, dixit, Terribilem se videre visionem Gabrielis Angeli, quam cùm ferre non posset, deficere atque concidere: persuasitq́, falsum ei testimonium perhibente Arriano quodam Monacho mendace, lucri caussâ. Atque hoc modo deceptâ muliere, tribulibusq́ suis Prophetam ipsum esse deprædicante, mendacium fraudis ad Bubacharum, virum ambitiosum, processit. Auctus deinde hereditate uxoris, etiam nomine & auctoritate crevit, ejusq́ fraus perversa & hæresis Æthrebi partes obtinuit. Circumcisionem, & porcinæ, vinique abstinentiam præcepit. Iejunium mensem servare continuum, noctibusque tantùm vesci suos voluit. Adorant verò Saraceni Veneris sidus, quod Cubar appellant, & inter preces *Alla ova Cubar*, id est Deus & Venus, clamitant. An fortassis quod illâ die Rex Mahumetes factus fuit? Ad meridiem conversi Deo supplicant. Vxores quot pro facultatibus licet, fas ducunt habere. Adulteras capite plectunt: Mancipiis pro libidine utuntur. Voluptates corporis piorum felicitati minimè officere existimant. Tres Razales, id est, Prophetas admittunt, Mahumetem, Mosem, & Christum: quem quo loco à suis haberi Mahumetes voluerit, hîc è Ioanne Damasceno ponam: *Christum autem dicit Verbum esse Dei, & ejus filium: sed creatum atque servum, cumq́ fatetur è Mariâ sine semine generatum. Ait enim, Verbum ac Spiritum Dei, cùm in Mariam introisset, genuisse filium, qui Dei Propheta & servus est. Iudæos autem contra legem, eum in crucem agere voluisse, &, cùm eum tenuissent, ejus quidem umbram egisse in crucem, Christum autem nec in crucem actum fuisse, nec mortuum. Deum enim ad se transtulisse in cælum, quod ei esset carissimus. Hoc etiam commemorat, Christum cùm in cælum pervenisset, à Deo interrogatum fuisse, an Dei filium se esse dixisset? eumq́ facit hoc modo respondentem: In me Domine sis placato animo: scis hanc meam orationem non fuisse, meq́ tuam non fastidire servitutem. Homines sunt isti, qui contra leges hoc me dixisse arguerunt, falsoq́ me circumvenerunt crimine, & vehementer errarunt. Tum Deum hæc vult ei respondisse: Scio hanc tuam non fuisse orationem. Aliaq́ multa monstri similia in eo narrat Commentario, quæ ridicula sunt.* Veteres Leges recipiunt: novæ verò eo continentur volumine, quod patriâ linguâ Alcoranum vocant. Liber à Ioanne Hispano, tempore Martini V. Pontificis, in latinum sermonem, & operâ Demetrii Cydonii in Græcam translatus fuit. Sanè superstitione suos armavit Mahumetes, ut vani mysterii fiduciâ audentiùs in Persas irent. Et planè ita contigit, compertumq; est hoc facto omnem multitudinem lubentiùs vatibus quàm ducibus parêre. Mortuo Mahumete, plures Principes gentis posteà exstitêre; qui diviso inter se exercitu, varias sedes occu-

occupârunt. Et sic quoque, quod mireris, Res Arabica incrementum sumpsit. Alii Calyphas, Amorræos alii, Admiratos, Miramomelinos, Sultanos se voluêre appellari. Abubachar primus à Mahumete Rex, gazam, & universam regionem circumjacentem sui juris fecit. *Tum*, ut Theophanes scribit, *apparuisse ferunt in meridie cometam gladii formam præ se ferentem, Arabum (ut eventus declaravit) invalescens Imperium designantem*. Vmar, qui aliis Homar, Hierosolymam, omnemque Syriam invasit, Theodorum Heraclii Augusti fratrem fudit: Rogatu Sophronii Hierosolymitanorum Episcopi, pepercit universis Palæstinæ Ecclesiis. Othman tertius à Mahumete, Africam sibi tributariam fecit, devicto Gregorio Præfecto Prætorio, qui Provinciam Tyrannide occupârat. Mabiæ Præfecti operâ Cyprum, & Aradum Insulam devastavit, Constantinopolim, Ephesum, Halicarnassum, Smyrnam, reliquasque Ioniæ civitates magnâ clade affecit. Rhodo Colossum, qui ∞. CCC. LX. annis steterat, avexit; quem Iudæus mercator cùm emisset, coactus fuit XXX. millia camelorum, scribente Constantino; nongentos tantùm, auctore Theophane, adhibere, ut omne æs, quò lubebat, veheret. Posteà verò navali prælio Constans Imperator devictus est, & totâ classe exutus. Theophanem loquentem edducam: *Anno* XIII. *Constantis, præcepit Mahuvias, Saracenorum Princeps, armaturam fieri magnam navium, quò ascenderet ad Regiam Vrbem classis eorum. Omnis autem apparatus eorum apud Tripolim Phœnices consistebat. Verùm hoc viso, duo fratres quidam Christianis amici, Tripoli manentes, filii buccinatoris cujusdam, Zelo Dei sauciati, ad carcerem civitatis cucurrerunt impetu: habebat autem multitudinem Romanorum vinculatorum: & disruptis portis, vinculisq́ solutis, in Amiram irruerunt. quo perempto, unà cum his qui cum eo erant, præparaturâq́ omni igni traditâ, in Romaniam navigio transierunt. Veruntamen nec sic illi ab eâdem præparaturâ cessaverunt. Sed Mahuvias quidem militat contra Cæsaream Cappadociæ: Ablulathar verò fabrum navalis structuræ constituit; qui veniens, divertit in locum, vocabulo Phœnicem Lyciæ, ubi erat Constans Imperator, & Romanus Stolus* (id est exercitus) *cum eo navaliter pugnaturi. Cumq́ futurum esset ut Imperator cum ipso, navigio præliaretur, contemplatur nocte illâ visum; videlicet apud Thessalonicenses se esse. Porrò cuidam conjectori somniorum expergefactus narrat visionem. Qui ait: O Imperator, utinam nec dormisses, nec somnium aspexisses! Nam esse Thessalonica*, θὲς ἄλλῳ νίκην, *innuit; quod interpretatur, Alteri cede victoriam, id est, ad inimicum tuum victoria revertitur. Sed Imperator nihil metuens, ad prælium navalis pugnæ Romanorum classes alacriter præstruxit. Quibus in hostem irruentibus, superantur Romani, & commixtum efficitur mare sanguine Romanorum. Induit autem Imperator alium veste suâ, & insiliens prædictus buccinatoris filius in Regiam scapham, Imperatorem arripuit, & in aliam navim transductum inopinatè servavit. Porrò ipse fortissimus viriliter insistens Imperatoriæ navi, multos occidit, mortiq́ seipsum pro Imperatore contradidit. Hunc præterea hostes circumdantes, & in medio retinentes, putabant ipsum esse Imperatorem. Postquam autem multos occiderunt, interfecerunt hostes unà cum eis & ipsum, qui portabat Imperatoriam vestem. Ast Imperator taliter in fugam versus servatur, & derelictis omnibus, navigat Constantinopolim*. Floruerunt igitur usque ad tempora Maguet Persarum

Principis qui cùm Himbraclem Babyloniâ exturbare vellet, Muchaletum Turcam è Scythiâ accersivit, à quo tam potente auxiliatore Persidis Imperio fuit exutus. Neque hoc contenti fuêre Turcæ, sed Calypham Syracini cujusdam operâ intermerunt, & totâ Ægypto potiti sunt. Hinc Saracenos Asiâ expulerunt. Sedes igitur novas quærere compulsi, & in Africam transgressi, Metropolim Carthaginem fecerunt. Posteà Siciliam, Sardiniam, Baleares, & alias quasdam Tyrrheni maris insulas invaserunt. Gliscentibus deinde Hispaniæ turbis, auspicio Tariffi, & dein Musæ, in Hispaniam transfretârunt; totamque, Occiso Roderico, & Sanctio Regibus, regionem præter Astures naturâ loci munitos, subjugantes, in tria Regna divisêre, quorum sedes Corduba, Hispalis, & Carthago fuêre. Sed tanta res hæc est, ut non sine lectoris offensâ, tam leviter debeat transmitti. Contraham igitur è Scriptore nupero tantæ originem calamitatis, & primordia Barbaræ servitutis, quâ Hispania sæculis plurimis oppressâ elanguit: *Hoc anno, Regni sui tertio, Rodericus injuriam patris sui ulcisci festinans, duos filios Vvitizæ, Furmaldum, & Erpulionem de Hispaniâ cum summo dedecore expulit. Qui ad Tingitanam Provinciam transfretantes (tenebatur enim illa pars à Gothis) Iuliano Comiti illius regionis adhæserunt, quem Vvitiza Rex inter suos secretarios familiarem habuerat & carissimum. Is condoleas de expulsione eorum & dedecore, consilium init cum eis, quatenus Saracenos evocaret, & cum eis illatas sibi injurias vindicarent. Ad hoc facinus peragendum incitabat Iulianum, quòd Rodericus Rex filiam ipsius, Cavam nomine, non pro uxore, sed potiùs utebatur pro concubinâ; quam tamen pro uxore à patre petierat, & acceperat. Erat hic Iulianus vir sagax & astutus, qui & callidè excitavit Francos, ut oppugnarent Hispaniam Citeriorem. Fingens tamen esse se amicum Regi Roderico, callidè consuluit, ut equos & arma ad Gallias mitteret, & in Africam: quia in Interiore Hispaniâ ipse regnabat.* Scilicet, ne aliquando subditi, arreptis armis, Furmaldum, & Erpulionem in paternum Regnum restituerent. Credidit Rex: nam eidem conjurationi clâm favebant Archiepiscopi Hispalensis, ac Toletanus: & confestim rigido edicto, arma equosque, Regni sui firmamenta, proscripsit. *Igitur Erâ* Iↄ. CCLII. *Vlit fortissimus Rex Barbarorum totius Africæ, ducatu Iuliani, & filiorum Vvitizæ fretus auxilio, ut cognovit arma & equos non esse in Hispaniâ, & civitates esse absque muris, Tariffum Strabonem, unum ex ducibus exercitûs sui, cum* XXV. *millibus fortium pugnatorum ad Hispaniam præmisit, ut cognitâ Iuliani dubiâ fide, bellum cum Hispaniæ Rege inciperet. Terrebant namque Barbarorum Regem laquei dolosi Telepsensis Comitis, si fortè adessent: quippe qui ipsum habuerat semper infestum, ac fortem viribus, consilioq; sapientem expertus. Ceperunt tunc Saraceni Hispaniam, & circumjacentes urbes; quia eas absque murorum ambitu invenerant. Rex autem Rodericus dum videt dolos Iuliani Comitis Tingitani, & labores sensit, collecto Gothorum exercitu, armatus ut potuit, acer & fortis, primò subiit pugnam: adeo ut per* L. *continuos dies infatigabiliter dimicans,* XVI. *M. hostium exercitûs interficeret. Sed postquam Iuliani fraus per totam Africam declaratur, Muza exercitûs Africani Regis Princeps, cum infinitâ multitudine equitum peditumq; ad Hispaniam dirigitur.* Quibus viribus Hispania Gothis erepta, Saracenos aliquot seculis dominos agnovit. Paulò pòst, imperante Leone Isaurico,

Anno

Anno Christi Iↄ. cc.xvii. Masalmâ & Zulcimino ducibus Constantinopolim triennali obsidione presserunt; sed cùm frigore & fame affligerentur, ignisque etiam naves ambussisset, cœpit eos obsidionis tædere. Collectis igitur vasis discesserunt. Anastasius, Beda, Theophanes, aliique funestum hoc bellum descripsêre. Regressi, Bulgarorum gentem supra Danubium bello attentant; sed rebus infeliciter gestis, amissisque xxii. millibus, ad naves remeant. Anno Christi Iↄ. cc.xxv. Sardiniam denuò devastaverunt; & ii qui in Hispaniâ degebant, ab Eudone Aquitaniæ Duce in Galliam vocati, Garumnam, Burdigalamque occupârunt; Templum Sancti Hilarii Pictavis incenderunt. Posteà à Carolo Martello ad internecionem cum Rege Abdiramâ deleti fuerê. Scribit Paulus Diaconus Saracenorum cecidisse ccci. millia. Anastasius in Gregorio Secundo ccc. lxxv. millia fuisse trucidata affirmat. Annales verò addunt, reliquos prælio elapsos naufragio periisse. Deinde iterum in Provinciâ cùm Avenionem occupassent, auxilio Luitprandi, idem Martellus Saracenos attrivit; non passus Galliam Arabicæ servituti cervicem præbere. Anno Christi Iↄ. ccc.v. ex Oriente, Aaronis auspicio, exercitum trecentorum millium in Nicephorum Orientis Augustum duxerunt: qui missis Legatis annuum trecentorum millium nummorum spopondit tributum, ut liber, an servus? imperaret. Anno Christiano Iↄ.ccc.vii. iidem Rhodum validâ classe oppresêre, & Miram Lyciæ civitatem obruerunt: sed quia S. Nicolai reliquias irreverenter habuerant, ferè omnes, agitatâ turbinibus classe periêrunt: & illi qui ex Hispaniâ in Sardiniam, & Corsicam prædatum venerant, amissis tredecim navibus, & aliquot millibus suorum victi fugatique sunt à Burcharto, Imperatoris Caroli Comite stabuli: ut est in Annalibus, & Reginone. Anno postmodùm Iↄ. ccc.xii. Hispaniæ & Africę Saraceni copias junxerunt: ut validiori impetu Italiam invaderent: quo audito, Carolus Bernardum Nepotem in Italiam misit; adjunxitque ei Wallonem filium Bernardi patruelis sui.

2. IN CORSICAM.] Insula est Maris Inferi, culta olim à Phocensibus, tum à Liguribus, postea à Romanis, qui Marianam, & Aleriam Colonias eò deduxerunt. Cætera tenebant Barbari, ex quibus ingentem servorum numerum Romani abducebant: sed minimè frugi, imò nequam ea fuisse mancipia docet Strabo. Occidente Romanorum Imperio, Saracenis cessit. His profligatis, Genuensibus; postea Pisanis. Nunc iterum à Genuensibus tenetur. In eâ Insulâ exul Seneca scripsit ad Helviam. Plinius xxxiii. urbes eam habuisse auctor est. Resinam magnâ ubertate refundit, & mel, quod amarum esse notavit Servius in librum. iv. Georg. fortassis ob taxi copiam, è quâ apiculæ mella hauriunt.

3. ET SARDINIAM.] Insula viii. millibus passuum à Corsicâ divisa. Facies ejus est instar soleæ. Manilius:

Sardiniam in Libyco signant vestigia plantæ.

Est & illud mirum, quòd Serpentibus careat, cùm aër maximè noxius sit. Silius Italicus:

Serpentum tellus pura ac viduata veneno,
Sed tristis cælo, ac multâ vitiata palude.

Tacitus, de Iudæis à Tiberio in Sardiniam

diniam missis: *Si ob gravitatem cæli interiissent, vile damnum.* Hanc Insulam primùm Ilienses & Locrenses inhabitasse tradit Aristoteles. Posteà Romani de eâ cum Carthaginensibus certaverunt, victoresque in eam colonias miserunt. Romanorum rebus attritis, Saraceni; his pulsis, Genuenses, & Pisani occupaverunt. Hodie Hispanorum imperio paret.

4. SED CVM DAMNO SVO.] Nam *pars quæ Sardiniam* (ut est in Annalibus) *venerat, penè tota deleta est*. Putares eos iterum Monachos vendidisse. Nuper enim à Burcharto iisdem illis locis probè fuerant mulctati. Caussam addunt Annales: *Eò quòd anno superiore contra omnem Iustitiam de Patelaria Insulâ sexaginta monachos asportatos, in Hispaniâ vendiderunt; quorum aliqui per liberalitatem Imperatoris iterum ad sua loca reversi sunt.* Videtur hoc genus prædonum in imbelles Religiosos semper plusquàm hostili crudelitate sæviisse. Nam anno Iↄ. CCC. XXXIV. ut est in Æra Hispanicâ, ducentos Monachos apud Caradignam interemerunt. O Barbariem! quam nuper etiam non Barbari exercuerunt.

HISTORIA.

TVM verò Carolus, jam ætate gravis fractusque, continuâ felicitate fluentem tot annorum fortunam maturo consilio velut stabiliens, Ludovicum filium [1] consortem Imperii, Bernardum nepotem Regem Italiæ constituit. Sed quid? dum partitus est Regna, potentiam fregit. Inter fratres [2] plùs dominandi cupiditas, quàm sanguinis jus potuit. Odia, & mox dissidia genuit divisa majestas: tum in belli caussas suspicio, & diversùm trahentes ministri valuerunt. Ludovicus [3] Aquis Grani ab ipso patre, Bernardus [4] Moguntiaci ab Archiepiscopo Mediolanensium coronatus, alter Imperii, alter Regni Italici onus mox subivit. Carolus, tanquam rebus constitutis ac firmatis, paullopòst [5] fatis concessit: vir fortior, an felicior dubites; dignus, qui Magni cognomen acceperit. Pugnando strenuus, vincendo clemens, regendo pacificus. Armis consiliisque rem Christianam constituit, & parem pace laudem promeritus, [6] litteras doctrinamque, jam exoletam, Christianis reddidit. Ergò quòd adhuc Latini sumus, quòd Barbariem exuimus, Carolo debemus. Cessit Romanos Pontifici, & ubique Romanos fecit. Magnum opus! Paullatim, velut è nocte, artes, disciplinæ, elegantiæ emersêre; & quæ in Italiâ perierant, toto ferè Orbe renatæ. Trans Alpes Imperium

iverat:

iverat; sequi cultus ingenii debuit: Religio propagata erat, his fulcris ac pedamentis indigebat. Negares ultrà Barbaros esse, nisi novos Ecclesia, & Italia hostes invenisset.

COMMENTARIVS.

1. FILIVM CONSORTEM IMPERII.] Annales, & Eginhartus hujus coronationis meminerunt. Sed Theganus Chorepiscopus Trevirensis in Commentario, quem de gestis Ludovici scripsit, fusè eam explicat: *Supradictus Imperator, cùm jam intellexisset appropinquare sibi diem obitûs sui (senuerat enim valdè) vocavit filium suum Ludovicum ad se cum omni exercitu. Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus loco positis, habuit grande colloquium cum eis in Aquisgrani Palatio, pacificè & honestè admonens, ut fidem erga filium suum ostenderent, interrogans omnes à maximo usque ad minimum, si eis placuisset, ut nomen suum, id est, Imperatoris, filio suo Ludovico tradidisset. Illi omnes responderunt, Dei esse admonitionem illius rei. Quo facto, in primâ Die Dominicâ ornavit se cultu Regis, & coronam capiti suo imposuit, incedebatq; clarè vestitus & ornatus, sicut eum decuerat. Perrexit ipse ad Ecclesiam, quam à fundamentis construxerat, pervenitq; ante altare in eminentiore loco structum cæteris altaribus, & consecratum in honorem Domini nostri* IESV CHRISTI, *super quod coronam auream aliam, quàm ipse gestabat in capite suo, jussit poni. Postquam diu oraverunt ipse & filius ejus, locutus est ad filium suum coram omni multitudine Pontificum & Optimatum suorum, admonens eum, imprimis Omnipotentem Deum diligere & timere, ejus præcepta servare in omnibus, Ecclesias Dei gubernare, & defendere à pravis hominibus; sororibus suis, & fratribus qui erant natu juniores, & nepotibus, & omnibus propinquis suis indeficientem misericordiam semper ostendere præcepit: deinde Sacerdotes honorare ut Patres, populum diligere ut filios, superbos & nequissimos homines in viam salutis coactos dirigere, Cœnobiorum consolator, & pauperum esset: Fideles ministros & Deum timentes constitueret, qui munera injusta odio haberent. Nullum ab honore suo, sine caussâ discretionis, dejiceret; semetipsum omni tempore coram Deo, & omni populo irreprehensibilem demonstraret. Postquam hæc verba, & alia multa coram multitudine filio suo ostenderat, interrogavit, an obediens voluisset esse præceptis suis. At ille respondit, lubenter obedire, & cum Dei adjutorio, omnia præcepta, quæ mandaverat ei pater, custodire. Tunc verò jussit Pater ut propriis manibus coronam, quæ erat super altare, elevaret, & capiti suo imponeret, ob recordationem omnium præceptorum, quæ mandaverat ei pater. At ille jussionem Patris implevit. Quo facto, audientes Missarum solennia, ibant ad Palatium. Sustinuit enim filius patrem eundo & redeundo, quàm diu cum eo fuerat filius. Non post multos dies, magnificis donis honoravit eum Pater & dimisit ire in Aquitaniam.*

2. PLVS DOMINANDI CVPIDITAS.] Statius lib. I. Thebaidos, de Oedipi filiis Etheocle & Polynice:

Protinus attonitis fratrum sub pectore motus,
Gentilesq; animos subiit furor, ægraq; lætis
Invidia, atque parens odii metus; in-

de Regendi
Sævus Amor, ruptaq; vices, jurisq; secundi
Ambitus impatiens, & summo dulcius unum
Stare loco, sociisque comes discordia Regnis.
Sic ubi delectos per torva armenta juvencos
Agricola imposito sociare affectat aratro;
Illi indignantes, queis nondum vomere multo
Ardua nodosos cervix descendit in armos,
In diversa trahunt, atque aquis vincula laxant
Viribus, & vario confundunt limite sulcos:
Haud secus indomitos præceps discordia fratres
Asperat.

3. AQVISGRANI.] Vrbs Galliæ hæc Belgicæ est, inter Rhenum & Mosam sita, thermarum miraculis clara, & âd naturæ delicias condita: quam obiter anteà attigi: si maternam originem respiciam, etiam Majorum meorum aliquando sedes. Volunt hanc aliqui Antonini *Vetera* esse, sed volunt: Luitprandus Ticinensis *Grani Palatium* appellat, Regino *Thermas Grani*, alii istius ævi simpliciter *Aquas*, populum *Aquenses*. Posteà cœptum Aquisgranum dici, cujus nominis ratio non una redditur. Sunt qui nescio à quo Grano, Neronis fratre, deducunt, ab eo, inquam, qui nunquam fuit. Nonnulli ab Apolline Granno, in Rhætiâ aliquando culto: quæ opinio tam à veritate, quàm à Rhætis Belgæ, sejuncta est. Quid si igitur à Serenio Grano Præside Romano, qui Adriani Imperatoris tempore, condidisse Vrbem videtur? Ita sentit Clarissimus Vir & Amicus noster, PETRVS BERTIVS, Regis Galliæ Geographus, in Commentariis rerum Germanicarum: vel ideò in hanc sententiam adductus, quòd videret, hoc nomen etiam ante Caroli tempora usurpatum. Attila, ut aliis urbibus vicinis, ita huic gravis fuit: quam in sedem Carolus posteà elegit, auxit, ornavit, thermis illis vel imprimis invitatus. Sic deinceps *Sedes Regia*, *Vrbs Regalis*, *Prima Regum Curia*, & *Caput omnium Civitatum & Provinciarum Galliæ* appellata est: à Normannis verò sub Carolo Calvo vastata. Palatium à Magno exstructum amisit. De thermis hisce Ligurinus lib. 1.

Sunt ibi secreti terræ cacique meatus,
Dissimilique modo tacitâ tellure latentes
Ejaculantur aquas. Aliàs nam sulphure vivo
Ferventes undante ferunt erumpere fumo:
Ast alii gelido veluti de fonte liquores
Emanant. Tunc ducta cavis canalibus unda
Confluit in quandam mirâ ratione lacunam.
Regia sic calidis miscentur balnea thermis,
Marmoreósque gradus veterum sollertia circùm
Artificum posuit, per quos descendat in undam
Quantum quisque volet: gelidas hinc, inde calentes
Invenit, arbitrióque suo sibi temperat undas.
Hos illis secreta locis natura vapores
Addiderit, manuúmve labor, quæratur ab illis,
Qui loca nota colunt: caussas secretáque rerum
Majores fido possunt audisse relatu.

Volunt verò aquas istas sulfure, sale, bitumine imbutas scaturire: nervo-

nervosis, contusis, vulsis, ruptis, distortisque membris salutares esse. Quid etiam? perquàm utiles mulieribus, ut calfacto utero faciliùs concipiant: quemadmodum per has delicias quarumdam sterilitas pelli potuit.

4. [MOGUNTIACI.] Priùs tamen, ut est in Annalibus, eum Aquisgrani Regem appellari jusserat.

5. FATIS CONCESSIT.] Eginhartus: *Cùm Aquisgrani biemaret, mense Ianuario febre validâ correptus, decubuit: qui statim, ut in febribus solebat, cibi sibi abstinentiam indixit, arbitratus hac continentiâ morbum posse depelli, vel certè mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci pleuritidem vocant, illoq; adhuc inediam sustinente, neque corpus aliter quàm rarissimo potu sustentante, septimo postquam decubuit die, sacrâ Communione perceptâ, decessit*, horâ diei tertiâ, ut Nithardus auctor est. Theganus aliqua Eginharto addit: *Sciens quod facturus erat, extensâ manu dexterâ, virtute quâ poterat, signum Sanctæ Crucis fronti imprimens, & super pectus, & omne corpus consignavit. Novissimè autem colligens pedes suos, extendens brachia & manus super corpus, clausit oculos, psallens hunc versum leniter: In manus tuas commendo spiritum meum*. Redeo ad Eginhartum: *Tumulatus est in eâ Basilicâ, quam ipse propter amorem Dei & Domini nostri* IESU CHRISTI, *& ob honorem Sanctæ & æternæ Virginis Genitricis ejus, proprio sumptu, in eodem vico construxit. In hac sepultus est, eadem quâ defunctus die, arcusq; super tumulum deauratus, cum imagine, & titulo exstructus, cujus hæc ferè sunt verba:* SUB HOC CONDITORIO SITUM EST CORPUS CAROLI MAGNI, ATQUE ORTHODOXI IMPERATORIS; QUI REGNUM FRANCORUM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVIII. FELICITER TENUIT. DEGESSIT SEPTUAGENARIUS, AN. DOMINI IↃ. CCCXIIII. INDICTIONE SEPTIMA. V. CALEN. FEB. *Appropinquantis finis complura fuêre præsagia. Per tres continuos, vitæq; termino proximos annos, & Solis, & Lunæ creberrima defectio; ac in Sole macula quadam atri coloris septem dierum spatio visa. Porticus, quam inter Basilicam & Regiam operosâ mole construxerat, die Ascensionis Domini subitâ ruinâ usq; ad fundamenta collapsa. Item pons Rheni apud Moguntiacum, quem ipse per decem annos ingenti labore & opere mirabili è ligno ita construxit, ut perenniter durare posse videretur, ita tribus horis fortuito incendio conflagravit, ut præter quod aquâ tegebatur, ne una quidem hastula ex eo remaneret. Ipse quoque cùm ultimam in Saxoniam expeditionem contra Godefridum Regem Danorum ageret, quadam die cùm ante ortum Solis castra egressus, iter agere cœpisset, vidit repentè delapsam cælitus cum ingenti lumine facem, à dextrâ in sinistram per serenum aëra incurrere, cunctisque hoc signum quid portenderet mirantibus, subitò equus cui insidebat, deorsum capite merso decidit, eumq; tam graviter ad terram elisit, ut fibulâ sagi ruptâ, baltheoq; gladii dissipato, à festinantibus qui aderant ministris exarmatus sine adminiculo levaretur. Iaculum quoque, quod tunc manu tenebat, ita elapsum est, ut viginti, vel eo amplius pedum spatio procùl jaceret. Accessit ad hoc creber Aquensis Palatii tremor, & in domibus, ubi conversabatur, assiduus laqueariorum crepitus. Tacta etiam de cælo, in quâ posteà sepultus est, Basilica, malumq; aureum, quo culmen tecti erat ornatum, ictu fulminis dissipatum, & supra domum Pontificis, quæ Basilicæ contigua erat, projectum est. Erat in eâdem Basilicâ in margine coronæ, quæ inter superiores & inferiores* arcus

arcus interiorem ædis partem ambiebat, synopide scriptum, continens quis auctor esset ejusdem templi, cujus in extremo versu legebatur Princeps CAROLVS. *Notatum à quibusdam, eodem quo discessit anno, paucis ante mortem mensibus eas, quæ Princeps exprimebant litteras, ita esse deletas, ut penitus non apparerent. Sed superiora omnia, sic aut dissimulavit, aut sprevit, ac si nihil horum ad res suas pertineret.* Anno post obitum CLXVI. Sanctorum Ordini à Paschali Pontifice insertus est: sed Ecclesiæ Romanæ Martyrologio inscriptus non invenitur. Gaguinus lib. IV. de Apotheosi in hunc modum scribit: *Carolus ob vitæ merita in numerum Sanctorum relatus esse à plerisque creditur. Cui etiam loci incolæ diem festum agunt: idq; ab Ecclesiâ Romanâ permitti Ostiensis Iurisconsultus tradit. Quo exemplo Ludovicus* XI. *Carolum à Parisiensibus coli nostrâ ætate imperavit, missis vicatim nunciis, qui diem festum celebrari populo indicerent, pœnâ capitis repugnantibus indictâ.* Videndæ quoque Additiones Molani ad Martyrologium Vsuardi.

6. LITTERAS DOCTRINAMQVE.] Hoc erat Principem agere, eas amplecti artes, quæ ferociam morum emolliunt, & ad humanitatem homines ducunt. Eginharti ad rem verba sunt, in vitâ Caroli: *Artes Liberales studiosissimè coluit, earumq; Doctores plurimùm veneratus, magnis afficiebat honoribus.* Ipse Carolus clausulâ Epistolæ, sive Edicti, ad Litterarum Cultores & Religiosos: *Igitur quia curæ vobis est, ut Ecclesiarum ad meliora semper proficiat status; obliteratam penè majorum desidiâ, reparare vigilanti studio Litterarum satagimus officinam, & ad pernoscenda Liberalium Artium studia, nostro etiam invitamus exemplo.* Hinc Academiæ & Scholæ, quemadmodum hodie adhuc vigent: quibus egregia ornamenta Religio accipit, temporumque Barbaries correcta est. Ergò & in Germaniam bonæ scientiæ ac disciplinæ venerunt, & qui sola noverant arma populi, tractare Litteras ausi sunt. An miramur, apud Septentrionales tandem viguisse Imperii majestatem? fulcra & fundamenta sua accepit. Quorsum differo? Breviter in ipsâ Historiâ, quæ dici possunt, dixi. Carolus enim post tot victorias, ut majore laude æternus esset, bellum Barbariei indixit, & intulit. Quo exemplo plures posteà Imperatores ac Pontifices strenui, bene de genere humano meriti sunt: sed nostro tempore FERDINANDVS, cujus Augustissimam pietatem suspicimus, VRBANVS, cujus Doctissimam Sanctitatem veneramur, novum Orbi terrarum lumen intulerunt: quorum ille subigit, quicquid vinci non poterat; hic è BARBERINO VRBANVS factus, felicissimorum nobis faciem temporum naturâ & virtute Optimus, nomine & dignitate Maximus reducit. Longùm, longùm uterque vivat, ac luceat!

HISTORIA.

LVDOVICVS paterno exemplo imprudens, suis quoque filiis Regna distribuit: & qua solemnitate! Principum populorumque comitiis. Lotharium igitur maximum natu, Imperatorem, simulque Regem Franciæ renunciat, Pipi-

Pipinum [1] Aquitaniæ, Ludovicum [2] Bavariæ. Hinc non levis motus, ſtimulante ambitionem invidiâ, & quaſi jure veſtitam. Bernardus Francorum Regnum quodam naſcendi ordine ratus ſibi deberi (quippe Pipino, majori Caroli filio editus) paternam ætatis prærogativam in belli cauſſam contulit. Regem ſuum Italia ſequitur, & [3] conjurat; eoque facilior, quia ab Anſelmo Mediolanenſium, & Volfoldo Cremonenſium Antiſtite concitata. Sic Regni cauſsâ in patruum arma Bernardus movet, ſaltusque Alpium præſidiis occupat. Pro Ludovico Germania & Gallia ſurrexêre: quippe pro Imperatore. Sed ſine Marte & cæde debellatum eſt. Nam cùm quotidie ſive cauſſam, ſive fortunam Bernardi plures Procerum deſererent, prodi metuens, ultro arma ſubmiſit hoſti, ſeque & exercitum tradidit. Iure judicioque conjurationis crimen agitatum: ipſiusque Regis nomen damnatorum numero aſſcriptum. Non ſine ſanguine, ſed citra mortem ſupplicium ſtetit; utque vivus velut non viveret temerarius juvenis, [4] luminibus orbatus eſt. Antiſtites dignitate moti [5] vitæ Monaſticæ mancipantur. Inſubribus igitur in pœnam fuit, Principem habere cæcum. Sed is jam magnâ parte mortuus, paullopòſt, velut contumeliâ [6] tabeſcens, deceſſit. Mediolanum quàm amârit, moriens teſtatus eſt: hîc [7] ſepeliri voluit.

COMMEMTARIVS.

1. AQVITANIAE.] Tertia hæc Galliarum pars eſt, ſcribente Cæſare libro 1. De Bello Gallico: *Gallia eſt omnis diviſa in partes tres: quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum linguâ Celtæ, noſtrâ Galli appellantur.* Belgæ à Rheno ad Matronam extenſi erant: hinc Celtæ ad Garumnam: inde Aquitani ad Pyrenæos & mare. Sub Auguſto verò aliter, aliterque poſteà diviſa eſt. Dictam etiam Aremoricam olim fuiſſe, apud Plinium leges, libro xv. cap. xvii. Sed unde Aquitania? an ab oppido Aquis? Ita nonnullis viſum. Felicitatem regionis pulchrè Salvianus deſcribit, lib. vii. *Nemini dubium eſt, Aquitanos ac Novempopulos medullam ferè omnium Galliarum, & ubere totius fœcunditatis habuiſſe: nec ſolùm fœcunditatis, ſed quæ præponi interdum fœcunditati ſolet, jucunditatis, voluptatis, pulchritudinis. Illic omnis admodum regio, aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut diſtincta culturis, aut conſita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut in-*

terfusa fluminibus, aut crinita messibus fuit: ut verè possessores ac Domini terra illius, non tam soli istius portionem, quàm Paradisi imaginem possedisse videantur.

2. BAVARIAE.] Populi hi Boji sunt, qui Bojohæmo pulsi, in Vindeliciam, Augusti tempore, migravêre. Varia autem ævo posteriore nomina, sicuti & provincia, sortiti sunt, dictique *Bojoarii*, *Bojovarii*, *Bajoarii*, *Bajovarii*, *Baivarii*, & ut alia omittam, *Bavari*. Ludunt verò, qui Bojos hîc & Avares conjungunt, & vocabuli caussâ unam è geminâ gentem componunt. Æno & Lyco fluviis claudi, & Suevis conterminos esse, omnes sciunt. Sed Pauli Diaconi hîc verba expendenda sunt, lib. III. qui Noricorum nomine Vindeliciam comprehendit: *Noricorum provincia, quam Bajoariorum populus inhabitabat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occidente Sueviam, à Meridie Italiam, ab Aquilonis verò parte Danubii fluenta*. Omnino Vindelicia inter Suevos & Noricos media est. Ænus autem, qui Vindelicos ab Oriente claudit, ad terminos Salviæ nequaquam pertingit, nisi Noricos & Vindelicos eosdem esse dicamus.

3. CONIVRAT.] Leo Ostiensis in Chronico: *Fuêre sane hujus conspirationis auctores, Egiddeus, Regalium amicorum primus, Reginerius, olim Comes Palatii Imperatoris, & filius Reginerii, sed & Reginaldus Præpositus Cameræ Regalis. Erant autem hujus sceleris conscii quamplures Clerici, seu Laici; inter quos aliquos Episcopos hujus tempestatis procella involvit, Anselmum scilicet Mediolanensem, Volfoldum Cremonensem, sed & Theodulfum Aurelianensem.*

4. LVMINIBVS ORBATVS.] Ita consensu Scriptores omnes, Ludovici autem pietatem ad hoc supplicium descendisse, mirum, nec mirum est: Patruus erat. *Ipse etiam*, scribente Leone, *maximè ut Rex Bernardus fieret, apud patrem caussa fuerat.*

6. VITAE MONASTICAE.] Theganus testatur etiam Caroli Magni liberos extra matrimonium natos, Drogonem, Theodericum, & Hugonem; nec non Adelhartum, virum pietate conspicuum, ob suspicionem criminis Monasterio clausos fuisse.

6. TABESCENS DECESSIT.] Annales Francorum simpliciter: *Anno* IↃ. CCC. XVIII. *Bernardus, Francorum judicio excæcatus, moritur*. Et Theganus Chorepiscopus Trevirensis, De Rebus Gestis Ludovici: *Tertio die post amissionem luminum Bernardus obiit. Quod audiens Imperator, magno cum dolore flevit multo tempore, & confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis, & judicio eorum pœnitentiam suscepit, propter hoc tantùm, quia non prohibuit Consiliarios hanc crudelitatem agere. Ob hanc caussam multa dedit pauperibus, propter purgationem animæ suæ*. Nithardus tamen lib. I. De Dissensionibus filiorum Ludovici, Bernardum scribit, *à Bertmundo Lugdunensis provinciæ Præfecto luminibus pariter & vitâ privatum esse*. Quid Leo? *Bernardum & Reginerium impatientiâ amissi luminis, mortem sibi conscivisse*. Sed Annales, & Theganum sequi malui.

7. SEPELIRI VOLVIT.] In templo S. Ambrosii, cum hac inscriptione: BERNARDVS CIVILITATE MIRABILIS, CAETERISQ. PIIS VIRTVTIBVS INCLYTVS REX HIC REQVIESCIT. REGNAVIT ANNOS IV. MENSES V. OBIIT XV. KAL. MAII. INDICTIONE XI. FILIVS PIAE MEMORIAE PIPINI.

HIS-

HISTORIA.

Hinc Italiam Ludovicus per Legatos administravit: sed cùm sic quoque nutare res viderentur, [1] mittere Lotharium placuit; ut fieret Rex, qui erat, & ferro coronaretur, qui jam auro fuerat redimitus. Peractis solennibus, Insubres tanquam suos cœpit regere. Mox & Imperii purpurâ Romæ [2] à Pontifice auctus, totam patris fortunam superstitis referebat, sanguine filius, dignitate socius, & [3] hinc bello hostis. Sceleris origo à Pipino Aquitaniæ Rege, qui patri offensus, ne solus pietatem læderet, in partes quoque fratrem utrumque traxit. Primus quidem motus industriâ Ludovici sopitus est; sed [4] acriori rursus fragore erupit. Arma utrimque sumpta, acies directæ, & frustra cohibere furorem Pontifex coràm tentavit. Tamen, ut fraudi potiùs, quàm prælio scelus committerent, in colloquium patrem pelliciunt, & comprehendunt. Id egêre Pipinus & Ludovicus: amplius etiam Lotharius; quasi plus eripere patri posset, qui plus acceperat. [5] Piaculo ab Episcopis infamatum, & hæc injuria est, arma, Imperiique insignia solenniter jubet ponere, hæc violentia: pullâ deinde veste circumduxit, & ostendit, hoc ludibrium. Quid mirum, nullam Regni societatem esse? jus suum servare natura non potest: cùm pietatem prostravit ambitio, nullum scelus leve est. Sed tantum nefas [6] Proceres non tulêre, affectu jam & miseratione filii. Etenim in seculi dedecus insurgentes, vi armatâ pristino fortunę fastigio Ludovicum reddidêre. Ille verò, ut verè Pius esset, filiis ignovit. Redit [7] mox in Italiam Lotharius, etiam post fortunam acer, furentis animi virus [8] in suum jam Regnum, quia ad auxilia anteà ferenda tardum, aut in partes difficile, effundit. Itaque templa passim bonis spoliare cœpit, [9] Pontificem impetere, Saracenos, Italiæ passim litora infestantes, negligere. Hîc verò lenis iterum Ludovicus: nam per legatos Pontificis admonitus, veniâ, quàm pœnâ corrigere filii errorem maluit, patrem se potiùs, quàm Imperatorem cogitans.

tans. Quare [10] corripuisse contentus, in gratiam recipit, & novo insuper honore ingenium ejus flectens, tutorem Carolo filio, quem Pipini loco, per eos dies mortui, Regem Aquitaniæ dederat, constituit. Cùm Lotharius cessaret, novos adhuc motus ciere frater ejus [11] Ludovicus cœpit, educto in patrem iterum exercitu: non tam scelestus, ut confligeret. Pudore novi sceleris deterritus, & tanquam piissimi hostis timeret adspectum, fugienti similis ac trepidanti recessit, inque Regni sui latebras se abdidit. Sic sine prœlio & sanguine victor Ludovicus, [12] morbo mox & mœrore interiit, gravioribus velut injuriis liberorum divinitus subtractus. Atque hunc majorem Posteritas Regem diceret, si tam felix pater, quàm pius Princeps fuisset. Obstiterunt filii, velut ad seditiones nati, non passi ad plenam gloriam optimum clementissimumque virum consenescere.

COMMENTARIVS.

1. MITTERE LOTHARIVM PLACVIT.] Adjunxit ei, ut est in Annalibus, *Walachum Monachum, propinquum suum, fratrem videlicet Adelharti Abbatis, & Gerungum Ostiariorum Magistrum*. Hi alibi, Wala, & Geruntius vocantur. Nuper quoque Pipinum filium in Aquitaniam, Ludovicum in Bajoariam miserat.

2. A PONTIFICE.] Annales: *Lotharius verò secundum Patris jussionem, cùm in Italiâ justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italiâ prepararet, rogante Paschale Papâ, Romam venit, & honorificè ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud Sanctum Petrum Regni coronam, & Imperatoris & Augusti nomen accepit. Inde Papiam regressus, mense Iunio, ad Imperatorem venit.*

3. HINC BELLO HOSTIS.] Originem hujus conspirationis summatim constringam, præcipuè ex Auctore vitæ Ludovici Imperatoris, qui se Aulicum illius fuisse alibi asseverat. Mortuâ Ermingarde matre Ludovici, Pipini, & Lotharii, Ludovicus Imperator quandam Iuditham, filiam Huelphi Comitis, sive, ut alii scribunt, Welfonis, uxorem asscivit, Augustamque fecit. Ex hac duos filios, Carolum & Rodulfum genuit, eosque mirificò amore prosecutus est. Quæ res, præter odium novercæ, Ludovicum, Pipinum, & Lotharium vehementer exacerbavit. Accessit & Aulicorum invidia in Bernardum Hispanum, Imperatorii Cubiculi Præfectum, quem cum Augustâ rem habere affirmabant. Erupit igitur in flammam, quicquid fratres jam Reges offenderat, & conscriptis copiis paratos se injuriam vindicare professi sunt. Pater, ut fomitem turbarum amoveat, Bernardum dimittit, uxorem Lauduni in Monasterio B. Virginis collocat. Neque id satis, compellitur eandem dimittere, &

comis

comis præcisis, Sanctimonialem facere. His ita peractis, jure, non armis passi sunt rem geri. Neomagum convenitur; & quia Ludovicus inermis venerat, multorum precibus flexi sunt, veniamque filiis Pius Pater dedit. Molanus in Chronico Sanctorum Belgii scribit, hanc Iudithbam consanguineam fuisse Ludovici: ideoque Imperatorem frequenter à Frederico Trajectensi Episcopo reprehensum, nuptiasque, ut incestas, damnatas esse; quippe sine Romani Pontificis permissu, & contra Canonum decreta contractas. Quid hujus rei sit, alii judicent.

4. ACRIORI RVRSVS FRAGORE.] Cœperat Pipinus nova iterum moliri: sed in initio à Patre oppressus fuit, imò Aquitaniâ (quam posteà tamen recuperavit) exutus: Regnum autem adscriptum Carolo filio Iudithæ. Quid fit? Fratres ad arma consurrexêre, communem velut injuriam ulturi. His auditis, Gregorius Pontifex Româ venit, suadere concordiam conatur: sed quia fortè priùs ad Lotharium & Ludovicum fratres diverterat, à Patre haud eo honore, quo par erat, susceptus est. Suadet tamen pacem, largitur munera, omnemque movet lapidem, ut discordia extinguatur. An dicam? saxa non homines, Barbaros non consanguineos cùm se affari comperit, infectâ re ad Vrbem redit. Theganus auctor est, utrasque acies in Campo Magno constitisse, *qui est inter Argentariam & Basileam, qui usque hodie nominatur Campus mendacii, eò quòd ibi plurimorum fidelitas extincta est.* An fortassis eorum, qui deserto Ludovico Patre, ad filios, exutâ Sacramenti religione, confugiebant? Audiamus Theganum. *Consiliati sunt nonnulli, ut Imperatorem derelinquerent, & ad filios ejus pervenirent, imprimusq; illi, qui eum anteà offenderant, cæteris sequentibus. Quâdam nocte maxima pars deseruit eum, & tentoria sua relinquentes pervenerunt ad filios. In crastinum verò reliqui qui remanserant, venerunt ad Imperatorem, quibus præcepit, dicens: Ite ad filios meos, nolo ut ullus propter me vitam aut membra amittat. Illi infusi lacrymis recedebant ab eo. Iam tunc separatam ab eo habebant Vxorem ejus: Quam statim miserunt in civitatem Italiæ Dertonam. Non multo pòst tempore susceperunt Patrem, & duxerunt eum secum. Quo facto discesserunt. Pipinus perrexit in Aquitaniam, Ludovicus in Bavariam. Ludovicus verò duxit secum Patrem in Compendium Palatium, & ibi valdè afflixit eum cum Episcopis, & cæteris nonnullis. Iusserunt enim eum ire in Monasterium, & ibi esse omnibus diebus vitæ suæ. Quod ille renuens, non consensit voluntati eorum. Omnes enim Episcopi molesti fuerunt ei, & maximè hi, quos ex servili conditione honoratos habebat, cum his qui ex Barbaricis nationibus ad hoc fastigium perducti sunt. Elegerunt tunc impudicum unum & crudelissimum, qui dicitur Ebbo, Remensis Episcopus, qui erat ex originalium servorum stirpe, ut eum immaniter affligeret. Inaudita locuti sunt, inaudita fecerunt, quotidie improperantes ei. Abstulerunt ei gladium de femore, induentes eum cilicio.* Horrenda hæc; imò Barbara, Barbaro stilo digna.

5. PIACVLO AB EPISCOPIS INFAMATVM.] Meis, an alienis verbis dicam? Exstat Exauctoratio Ludovici Pii, à Pithœo cum reliquis Annalium Scriptoribus edita, quæ solennem istam atrociæ Compendiensis scenam repræsentat: ego quæ ad rem maximè faciunt, excerpam. Hæc igitur

Ff Episco-

Episcoporum erga Imperatorem suum fuit audacia, pietate velata: *Omnibus in Christianâ fide constitutis scire convenit, quale sit ministerium Episcoporum, qualisq; vigilantia atque solicitudo eis circa salutem cunctorum adhibenda sit, quos constat esse Vicarios Christi, & clavigeros Regni cælorum, quibus à Christo tanta collata est potestas, ut quodcunque ligaverint super terram, sit ligatum & in cælo, & quodcunque solverint super terram, sit solutum & in cælo. Et in quantum sint ipsi periculo constituti, si ovibus Christi pabulum vitæ ministrare neglexerint, & errantes ad viam veritatis arguendo, obsecrandoq; reducere pro viribus non studuerint, juxta illud Propheticum: Si non annunciaveritis iniquo iniquitatem suam, & ipse in impietate suâ mortuus fuerit, sanguinem ejus de manu tuâ requiram. Et multa his similia ad Magisterium Pastorale pertinentia, quæ in divinis sparsim continentur*. Plura sunt, & officio pietatis plena. An verò exordio suo reliquæ Actorum partes decenter respondeant, porrò videamus: *Quia ministerium sibi commissum Ludovicus Princeps negligenter tractavit, & multa quæ Deo & hominibus displicebant, & fecit, & facere compulit, vel fieri permisit, & in multis nefandis consiliis Deum irritavit, & Sanctam Ecclesiam scandalizavit; & novissimè omnem populum sibi subjectum ad generalem interitum contraxit*; in Templo S. Mariæ, coram filio Lothario, & universâ plebe compulerunt *Optimum Ludovicum, prostratum in terram super cilicium, ante sacrosanctum Altare confiteri, ministerium sibi commissum, satis indignè tractasse, & in eo multis modis Deum offendisse, & Ecclesiam Christi scandalizasse, populúmque per suam negligentiam multifariè in perturbationem induxisse: & ideò ob tantorum reatuum expiationem, publicam & Ecclesiasticam expetere pœnitentiam, quò miserante Domino per eorum ministerium, & adjutorium percipere mereretur absolutionem tantorum criminum, quibus Deus ligandi atque solvendi intulerat potestatem. Quam etiam iidem Pontifices, utpotè medici spirituales salubriter admonuerunt, asserentes ei, quòd puram & simplicem confessionem sequeretur vera remissio peccatorum, ut apertè confiteretur errata sua, in quibus maximè se Deum offendisse profitebatur, ne fortè interiùs aliquid tegeret, aut in conspectu Dei quippiam dolosè ageret, sicut jam pridem in Compendio Palatio, ab alio sacro conventu correptus coram omni Ecclesiâ eum fecisse, omnibus notum erat; ne sicut tunc, ita & nunc per simulationem & calliditatem duplici ad Deum corde accedendo, ad iram potiùs quàm ad veniam suorum peccatorum provocaret, quoniam Scriptura testatur: Simulatores & callidi provocant iram Dei.* Dederunt ei deinde schedium, in quo octo capitibus scelera miserrimi Ludovici distincta habebantur: quibus lectis, *reum se coram Deo, & coram Sacerdotibus, vel omni populo, cum lacrymis confessus, & in cunctis se deliquisse protestatus est, & pœnitentiam publicam expetiit; quatenus Ecclesiæ, quam peccando scandalizaverat, pœnitendo satisfaceret; & sicut fuerat scandalum, multa negligendo, ita nimirum se velle professus est esse exemplum, dignam pœnitentiam subeundo. Post hanc verò confessionem, illam suorum reatuum chartam & confessionis, ob futuram memoriam, Sacerdotibus tradidit, quam ipsi super altare posuerunt, & deinde cingulum militiæ deposuit, & super altare collocavit, & habitu sæculi se exuens, habitum pœnitentiæ per impositionem manuum Episcoporum suscepit*. Auctor vitæ Ludovici tradit, pullâ indutum fuisse, & adhibitâ ingenti custodiâ in tenebras detrusum. Mali hujus caus-

sam

ſam non obſcurè Theganus videtur in Ludovici Auguſti imprudentiam transferre: quòd è viliſſimâ plebe oriundos ad Epiſcopale faſtigium permitteret evehi. Ibo enim, homo ſervilis ſanguinis, Remenſis erat Antiſtes, & ſic primus Parium Franciæ, Tragœdiæ hujus anteſignanus. Sed Theganum audiamus: *Vt ex viliſſimis ſervis Summi Pontifices fierent, non prohibuit; quod tamen maximum eſt malum in populo Chriſtiano, ſicut teſtatur Regum Hiſtoria de Ieroboam filio Nabath, qui erat ſervus Regis Salomonis, & poſt eum Principatum habebat ſuper decem tribus filiorum Iſraël. Refert enim Scriptura de eo in hæc verba: Non eſt reverſus Ieroboam de viâ ſuâ peſſimâ, ſed è contrario fecit de noviſſimis populi Sacerdotes excelſorum, & propter hanc cauſſam peccavit domus Ieroboam, & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ. Poſtquam tales culmen accipiunt, nunquam ſunt, ſicut anteà, tam manſueti, & ſic domeſtici, ut non ſtatim incipiant eſſe iracundi, rixoſi, maliloqui, obſtinati, injurioſi, & minas omnibus ſubjectis promittentes: & per hujuſmodi negotia cupiunt ab hominibus timeri & laudari. Turpiſſimam cognationem ſuam à jugo debitæ ſervitutis nituntur eripere. Tunc aliquos eorum liberalibus ſtudiis inſtruunt, alios nobilibus feminis conjungunt, & propinquas ſuas filios nobilium cogunt accipere. Propinqui autem poſtquam aliquid intelligunt, ſenes nobiles derident atque deſpiciunt; ſunt elati, inſtabiles, inverecundi.* Noſtrum ſæculum an abit?

6. PROCERES NON TVLERE.] Auctor vitæ Ludovici: *Lotharius Patrem ſuum ducens, Aquiſgrani hiemare aggreditur. Intra hiemis hujus durationem gregatim populi, tam Franciæ, quàm Burgundiæ, nec non Aquitaniæ, ſed & Germaniæ coëuntes, calamitoſis querelis de infortunio Imperatoris querebantur. Et quidem in Franciam Eggebardus Comes, & VVilhelmus Comes ſtabuli, quos poterant ſibi in unione voluntatis reſtituendi Imperatorem coadunabant. A Germaniâ verò Hugo Abbas in Aquitaniam miſſus à Ludovico* (hic jam credo innocentem ſe præſtare voluit: quia Patrem tragicâ Epiſcoporum pietate non vexaverat) *& ab eis qui illuc confugerunt, à Drogone ſcilicet Epiſcopo, & reliquis, Pipinum in hoc ipſum inſtigabat. Porrò Bernardus & VVarinus in Burgundiâ conſiſtentem populum ſuaſionibus accendebant, promiſſionibus alliciebant, juramentis adſtringebant, & in unum fœderabant.* His auditis Lotharius primùm ſe purgare cœpit, culpam Epiſcopis imponere; tandem, relicto Parente in Monaſterio S. Dionyſii, Viennam fugere. Pergit idem Auctor: *At verò ii, qui cum Imperatore remanſerant, eum ad recipiendas Imperatorias infulas hortabantur. Sed Imperator quanquam modo quo prædictum eſt, Eccleſiæ eliminatus communione, nequaquam tamen præpropera voluit acquieſcere ſententiæ: ſed Dominicâ quæ in craſtinum advenit, in Eccleſiâ S. Dionyſii Epiſcopali miniſterio voluit reconciliari, & per manus Epiſcoporum armis accingi conſenſit. In quâ re tanta exultatio populi excrevit, ut etiam ipſa elementa viderentur injuriam patienti compati, & relevato congratulari. Etenim uſque ad illud tempus tanta incubuerat procellarum vis, pluviarumq; vehementia, ut extra ſolitum aquarum ſuperabundantia excreſceret, flatuq; ventorum imperviabiles fluminum alveos redderet. Sed in illius abſolutione ita quodammodò viſa ſunt conjuraſſe elementa, ut mox & venti ſævientes miteſcerent, & cœli facies in antiquam, & multo tempore inviſam ſerenitatem rediret. Imperator ergò ab eo loco iter cepit: ſed nequaquam filium abeuntem perſequi,*

qui, licet multis hortantibus voluit. Inde ergò Nantogilum, ac postea venit Carisiacum villam Regiam: ubi consistens opperiebatur filium Pipinum, & eos qui trans Matronam residebant; sed & eos, qui trans Rhenum ad Ludovicum filium confugium fecerant; sed & ipsum Ludovicum, qui ad ipsum veniebat. Quo consistente, medio quadragesima tempore, arridente etiam lætitiâ ipsius diei & officii, exhortante cantilenâ Ecclesiasticâ, ac dicente: Lætare Hierusalem, & diem festum agite omnes, qui diligitis eam. Magna multitudo fidelium ibidem occurrit, congratulans communi lætitiæ. Quos Imperator benignè suscipiens, & pro fideli integritate gratias agens, Pipinum quidem filium in Aquitaniam cum lætitiâ dimisit; cæteros autem ad loca sibi congrua redire lætos permisit. Ipse autem Aquasgrani pervenit, ibiq; Iuditham Augustam, ab Italiâ eam reducentibus Rotaldo Episcopo & Bonifacio, recepit. Nithardus tradit, Ludovicum clanculò Gundibaldum Religiosum quendam ad Pipinum & Ludovicum misisse, ac spopondisse: *si in suâ restitutione unà cum his qui hoc cupiebant, adesse voluissent, Regnum utrisque se ampliare velle. Ac per hoc perfacilè cupidèque paruisse.*

7. MOX IN ITALIAM,] Auctor vitæ Ludovici: *Adversus Lotharium tum Pater Ludovicus, tum reliqui ejus filii Ludovicus atque Pipinus castra moventes, coëgerunt Lotharium, ut supplex veniam petiturus veniret ad Patrem; quibus unà cum ejus sectatoribus Ludovicus indulsit, atque accepto ab eis fidelitatis juramento, in Italiam ire præcepit, obstruens transitum, nequando sine custodum concessione in Gallias redire posset.* Nithardus auctor est, conjurationis conscios ab ipso Lothario, supplicio plexos, & in exilium deportatos fuisse. Verba sunt: *Hinc hi qui cum Lothario senserunt, in consilium deducti, & ab ipso Lothario ad mortem dijudicati, aut vitâ donati in exilium retrusi sunt.*

8. IN SUUM IAM REGNUM.] Lotharius nuper, cùm Patrem in Monasterio S. Dionysii reliquisset, eisdem impietatis clauibus Galliam affecerat. Aulicus Ludovici: *Fuit audita miseranda clades, quam perpessa est Civitas Cabillonensis tunc temporis à Lothario in viâ posito, cùm ei adversaretur. Tunc enim accidit, ut resistente illi ipsâ, quòd se ad defendendum parata esset munita civitas, factione eorum qui rebellarunt ab Imperatore, & ipsum sequebantur, Lotharius eam expugnans, cuncta ferro igniq; tradiderit, unâ salvâ miraculo Basilicâ, in memoriam S. Georgii fabricatâ.* Quin & Ecclesias à Lothario exspoliatas, omnesque qui Patri studuerunt occisos; imò sororem Bernardi Sanctimonialem, dolio clausam in Ararim præcipitatam, Theganus scribit. Et hæc Barbara sunt.

9. PONTIFICEM IMPETERE,] Morbo laborabat Regum nuper Longobardorum, & pudebat angusti eum limitis, conabaturq; Romanæ ditioni auferre, quicquid Parentum liberalis pietas contulerat.

10. CORRIPUISSE CONTENTUS.] Longè mitior & sanctior Guilielmo Siciliæ Rege, qui, ut Maurolycus scribit, Rogerium filium, & adhuc puerum, quia à tumultuosâ plebe equo impositus, & per urbem deductus, atq; Rex appellatus erat, ictu calcis occîdit.

11. LUDOVICUS COEPIT.] Indignabatur, fratris Pipini filium, adhuc puerum, Regno Aquitaniæ à Carolo, Iudithæ filio, exclusum, sibi verò Bajoariam duntaxat datam: imò indignabatur, Carolum, antequam Rex Aquitaniæ crearetur, Neustriam, ut ex Astronomo Auli-

Aulico, qui res gestas Ludovici stilo commisit, discimus, à Patre dono accepisse: se eum esse, qui Patrem Imperio deturbatum in libertatem vindicaverat. Conversus igitur ad arma, assumptisque Saxonibus & Thuringis, Alemaniam invadere statuit. *Quæ res* (ita idem ille Aulicus scribit) *maximum incommodum Ludovico Imperatori peperit. Etenim cùm jam senili ætate gravaretur, & phlegmatis abundantiâ (quæ hieme augmentatur) ultra solitum pulmo ejus gravaretur, pectusq; quateretur, accessit etiam hic tristis nuncius.* Et posteà: *Cum maximâ igitur fatigatione, impugnantibus valentiam ipsius præmissis casibus, pervenit imminente sacratissimâ Paschali solennitate Aquasgrani, ibiq; eam cum solitâ devotione celebravit. Quâ explicatâ, cœptum negotium acceleravit explere. Nam Rheno transmeato, Thuringiam continuato itinere penetravit; ubi Ludovicum morari per id tempus didicit. In quâ cùm eum conscientia morari non pateretur, utpote jam Patre propinquante, rebus etiam diffideret, salutem in fugæ præsidio posuit. Redempto enim itinere, per Sclavorum terram in propria redit. Quò illo quidem redeunte, Imperator generalem conventum in Urbe Vangionum, quæ nunc VVormatia dicitur, congregari præcepit. Et quia res Ludovici taliter se habebant, Carolus autem filius ejus cum matre in Aquitaniâ versabatur; Imperator ad filium suum Lotharium in Italiam misit, jubens ut eidem placito interesset, quatenus secum de hac re deliberaret. Quo in tempore deliquium Solis contigit, tertiâ die Litaniæ Majoris insolito modo. In tantum enim lucis recessu tenebræ prævaluerunt, ut nihil à noctis veritate differre videretur. Stellarum namque ratus ordo ita cernebatur, ut nullum sidus lucis Solaris hebetudinem pateretur; quin potiùs Luna, quæ se ei adversam præbuerat, paullatim Orientem petendo, primum corniculatim illi lumen à parte Occidentali restitueret, in morem sui, quando prima vel secunda cernitur; & sic per augmenta totam venustatem tota rota Solis reciperet. Quod prodigium licet naturæ adscribatur, tamen lamentabili exitu consummatum est. Portendebatur enim per hoc, maximum illud lumen mortalium, quod in domo Dei super candelabrum positum omnibus lucebat, piissimæ recordationis Imperatorem dico, maturrimè rebus humanis subtrahendum, mundúmque ejus discessu in tenebris tribulationum relinquendum.* Sed morbum, & mœrorem, & mortem in ipsâ Historiâ attigi, & iam explicatum eo.

12. MORBO MOX ET MOERORE.] Qui vitam scripsit, extrema quoque repræsentet: *Cœpit ergò fastidio tabescere, & nauseanti stomacho, ad cibum potúmque intendere, crebris suspiriis urgeri, singultibus quati, ac per hoc virtute destitui. Naturâ enim suis desertâ comitibus, necesse est ut vita fatiscat. Quod cernens, jussit parari sibi habitacula æstiva, atq; expeditionalia in Insulâ quadam contiguâ Moguntiacæ civitati: ibiq; viribus desertus, lectulo se committit. Porrò quis explicet ejus pro Ecclesiæ statu sollicitudinem, vel pro ejus concussione mœrorem? Quis enarrare lacrymarum flumina, quas pro acceleratione Divinæ clementiæ fundebat? Non enim se recessurum dolebat, sed quod futurum noverat gemebat, dicens se miserum, cujus extrema clauderentur talibus miseriis. Aderant autem ejus consolationi venerabiles antistites, & alii servi Dei quamplurimi, inter quos erat Hethius, venerabilis Trevirorum Archiepiscopus, Otharius, Moguntiæ similiter Archiepiscopus, sed & Drogo, frater Domini Imperatoris, Metensis Episcopus, nec non Sacri Palatii Archicapellanus; quem quantò sibi propin-*

 qui-

quiorem noverat, tantò ei familiarius sua omnia, & semel credebat. Per eundem quotidie confessionis munus, Sacrificium Spiritûs contribulati, & cordis humiliati, quod Deus non despicit, offerebat. Cibus ejus erat solummodò per dies quadraginta Dominicum corpus. laudante eo justitiam Dei, & dicente: Iustus es Domine, ut quia Quadragesima tempus non jejunans exegi, saltem coactus idem jejunium tibi exolvam. Iussit autem venerabili fratri suo Drogoni, ut Ministros Cameræ suæ ad se venire faceret, & rem familiarem, quæ constabat ex ornamentis Regalibus, scilicet coronis, & armis, vasis, libris, sacerdotalibus vestibus per singula scribi juberet. Cui prout sibi visum fuit, quid Ecclesiis, quid pauperibus, postremò, quid filiis elargiri deberet, edixerat. Quid attinet omnia persequi? Pius Imperator piè obiit, XII. Kal. Iulii, anno Imperii XXVII. vitæ LXIV. Christi IↃ. CCCXL. Metis verò sepultus est, in templo S. Arnulphi, in quo & matris Hildegardis monumentum. Qualis verò moribus, formâ, & toto genere vitæ fuerit, è Thegano depromam: *Erat staturâ mediocri, oculis magnis & claris, vultu lucido, naso longo & recto, labris non nimis densis, nec nimis tenuibus, forti pectore, scapulis latis, brachiis fortissimis; ita ut nullus ei arcu, vel lanceâ sagittando æquiparare posset, manibus longis, tibiis longis, & ad mensuram gracilibus, pedibus longis, voce virili, linguâ Græcâ & Latinâ valdè eruditus; sed Græcam magis intelligere poterat quàm loqui, Latinam verò sicut naturalem æqualiter loqui poterat. Sensum verò in omnibus scripturis spiritualem, & moralem, nec non anagogicum optimè noverat. Poëtica carmina gentilia, quæ in juventute didicerat, respuit, nec legere, nec audire, nec docere voluit. Erat fortis in membris suis, agilis & impiger, tardus ad irascendum, facilis ad miserandum. Quoties manè in quotidianis diebus ad Ecclesiam perrexerat causâ orationis, flexis genibus fronte tetigit pavimentum, humiliter diu orans, aliquando cum lacrymis; & omnibus moribus bonis semper ornatus, & verè largus.* Paullò pòst: *Erat in cibo, potuq. sobrius, & indumentis suis moderabilis. Nunquam aureo resplenduit indumento, nisi tantùm in summis festivitatibus, sicut Patres ejus solebant agere. Nihil illis diebus induit præter camisiam, & feminalia auro texta, limbo aureo, baltheo præcinctus, & ense auro fulgente, ocreas aureas, & chlamydem auro textam, & coronam auream auro fulgentem in capite gestans, & baculum aureum in manu tenens. Nunquam in risu exaltavit vocem suam, nec quando in festivitatibus ad lætitiam populi procedebant thymelici scurræ, & mimi cum choraulis & cytharistis ad mensam coram eo. Tunc ad mensuram coram eo ridebat populus: ille nunquam vel dentes candidos suos in risu ostendit. Quotidie ante cibum eleemosynarum largitionem exhibuit, & ubicunque erat, Xenodochia secum habebat.* Pii nomen an non sic meruit?

HISTORIA.

SED quid? deinceps in se conversi, majori contentione miscuerunt rabiem, quia [1] non ex æquo Regna possidebant. Tanquam armis justiùs partituri fortunam relictam, in Lotharium Ludovicus & Carolus conspirant: & quid, nisi

nisi Manibus infesti patris, cujus & judicium repudiant, & voluntatem rescindunt? Putares etiam mortuum oppugnari. Nefas! Magnis subsidiis hæc audacia fulta, tantæ robur potentiæ scidit: & cùm ad prœlium accinctus esset Lotharius, deprehendit etiam suarum in se virium partem concitatam, ampliusque in pugnam hostes ducere, [2] quàm possiderent. [3] Victus igitur & fugatus, pacisci potuit. Carolo, quicquid à mari Britannico ad Mosam extenderetur, cessit: Ludovico omnis trans Rhenum tractus: Lothario Belgica, quæ [4] Austrasiæ pars erat, item Burgundia, Provincia, Italia, & Imperii dignitas. Atque hic Austrasiam ordinans, novo Regno nomen de suo nomine indidit, quod adhuc durat. Tanquam sic quoque sorti suæ impar, filium Ludovicum, admodum juvenem, in Italiam misit, [5] Regem, & simul Imperatorem. Talem pronunciavit ipse, & mox Pontifex ingenti totius Italiæ applausu insignivit. Gratus Insubribus novus Rex fuit, cujus præsentis tutelâ & patrocinio munirentur. Cùm ille tamen non minùs Religioni quàm Regno studeret, interno ulcere felicitas populi intabuit. Etenim, quiescentibus armis, bellum fuit, & quia in rebus sacris, gravius atque periculosius. Vt scires post Regem esse, qui turbare faciem Reipublicæ posset, [6] Angilbertus Mediolanensium Archiepiscopus novo noxioque exemplo ab Ecclesiâ Romanâ descivit. Leve damnum, si cum viro pertinacia desiisset: duravit superstes, caussisque subnascentibus, robur colligens, ducentos admodum annos traxit.

COMMENTARIVS.

1. NON EX AEQVO.] Lothario enim Regnum Italiæ, & Galliæ, Imperiique titulum Pius Pater cesserat, Ludovico & Carolo Aquitaniæ & Bajoariæ, ut ipsi appellabant, angustias.

2. QVAM POSSIDERENT.] Fusè ista Nithardus Caroli Magni è Bertâ Nepos, in libris De Dissensionibus filiorum Ludovici Pii.

3. VICTVS.] Ad Fontanetum, Altissiodorensis agri vicum, fraternæ acies talem tantamq; mutuò stragem ediderunt; ut si hostis quispiam ausus fuisset Galliam intrare, occasionique manum injicere, facilè rerum potiri potuisset. Neque Lotharii animus hac tantâ

suorum

ſuorum cæde frangi potuit. Collecto enim exercitu rursùm experiri adversùs utrumque germanum, Ludovicum Carolumque tentavit: ſed repreſſus eſt, coactusque fugam capeſcere, cùm paucis ad Rhodani ripam conſedit. *Cùm igitur Ludovicus & Carolus* (Nithardi verba ſunt lib. IV.) *eum à Regno ſuo abiiſſe certis indiciis cognovère, Aquas Palatium, quod tunc ſedes prima Franciæ erat, petunt, quid conſultiùs de populo ac Regno, à fratre relicto, agendum videretur, deliberaturi. Et primùm quidem viſum eſt, ut rem ad Epiſcopos Sacerdotesq́, quorum aderat pars maxima, conferrent, ut illorum conſultu, veluti numine divino, harum rerum exordium atque auctoritas proderetur.* Illi, cùm Lotharii & cædes, & perjuria, & reliquam impietatem diu multumque conſideraſſent, rigidam in eum ſententiam tulerunt. Priùs tamen utrumque fratrem *percunctati ſunt: Vtrùm per veſtigia fratris ejecti, an ſecundum Dei voluntatem regere voluiſſent? Reſpondentibus autem, in quantum noſſe & poſſe Deus illis concederet, ſecundum ejus voluntatem ſe & ſuos gubernare, & regere velle, aiunt:* Tum Epiſcopi: *auctoritate Divinâ ut illud ſuſcipiatis, & ſecundum Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.* Neque illi ſecus ac Antiſtites hortabantur, fecerunt; ſed Regnum Lotharii bonâ fide inter ſe partiti ſunt. Poſteà tamen, ſupplicante Lothario, crebriſque legationibus flagitante: vellent, exceptis Italiæ, Aquitaniæ, Baioariæq; provinciis, tertiam ſibi duntaxat Galliæ partem adjicere, ut Auguſtæ dignitatis majeſtatem tueretur. His, & pluribus id genus tantum profecit, ut fratres emolliti, amplius donârint quàm exegerat. Italiam enim illi reliquerunt ex aſſe, & partem Galliæ. Neque Pipini filium ab hac Regnorum diviſione excluſère; ſed paternum Aquitaniæ ſceptrum adoleſcenti conceſſum eſt. Ludovicum igitur & Carolum hîc laudes: qui Lothario diſſimiles, animo & corpore quodammodò conſpirabant, teſte Nithardo lib. II. De Diſſenſionibus filiorum Ludovici: *Erat quidem utrique forma mediocris cum omni decore pulchra, & omni exercitio apta. Erat uterq; audax, largus, prudens, pariter & eloquens: omnemq́ præmiſſam nobilitatem excedebat fratrum ſancta & veneranda concordia. Nam convivia erant illis penè aſſidua, & quodcumque pretium habebant, hoc alter alteri perhumanè dabat. Vna domus erat illis convivis, & una ſomni. Tractabant tam pari conſenſu communia, quàm & privata. Non quicquam aliud quilibet horum ab altero petebat, niſi quod utile ac congruum illi cenſebat.*

4. AVSTRASIA.] Alia tempora, alia nomina, ſive homines, ſive regiones ſpectes, Hæ præcipuè, ut creſcunt imperio, vel etiam mutantur, appellationem variant. In Galliâ Germaniaque aliquando Auſtraſia non erat, illa temporibus Caroli Magni celeberrima; poſteà deſiit quoque, tanquam non fuiſſet: certè ubi fuerit, ignorari cœptum eſt. An inveſtigo? ſed breviter, &, ut quod vero aut proximum, aut ſimile eſt, ſequar. Res Francorum à Clodoveo auctæ, tanquam ad originem redirent, ſubjecto jam Rheno, è Galliâ in Germaniam extenſæ ſunt. Quâ occaſione totum hoc imperium, quia diffuſum, Orientis & Occidentis nominibus diviſum fuit, partemque Franci vernaculo ſermone *Oſtrich*, partem *VVeſtrich* dixère, Latinè Auſtraſiam, atque etiam Auſtriam, & Weſtraſiam, corruptè Neuſtriam. Faciunt huc Eginharti verba, quibus incrementa

Regni

Regni Francici à Carolo Magno facta exprimit: *Regnum Francorum, quod post patrem Pipinum, magnum quidem susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut pæne duplum ei adjecerit. Nam cùm priùs non amplius quàm ea pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim Oceanúmque & mare Balearicum jacet, & pars Germaniæ, quæ intra Saxoniam & Danubium Rhenumq; & Salam fluvium, qui Thuringos & Sorabos dividit, posteà à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur; & præter hæc Alemani atque Bajoarii ad Regni Francorum potestatem pertinerent: ipse per bella memorata primò Aquitaniam & Vasconiam totúmque Pyrenæi montis jugum,* (contraham quæ sequuntur) *tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica est, & ad eam quæ à Francis incolitur latitudine dupla putatur, cùm longitudine possit esse consimilis. Post, utramque Pannoniam, aliásque Germaniæ nationes ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit.* Quà igitur ante Caroli tempora Imperium Francorum patuit, in Orientale & Occidentale divisum fuit. Hinc Franci Orientales, Franci Occidentales; Francia Orientalis, Francia Occidua. Francia Orientalis etiam Teutonica, quà extendebatur linguæ Teutonicæ, sive Theotiscæ usus; Francia Orientalis, Romanâ, sed spuriâ utebatur, quam Rusticam appellatam fuisse indicat Canon Concilii Turonensis: *Episcopus Homilias aperte transferre studeat in Rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quò faciliùs possint cuncti intelligere.* Hæc igitur Romana hodie adhuc Gallica est, eousque exculta, ut inter primas æstimetur. Sed à linguâ ad regionem redeo, quæ tamen linguæ indicio se prodit, & Orientalem Franciam, sive Austrasiam, ab Occiduâ, sive Vestrasiâ, distinguit. Regino ad annum IↃ. CC. LXXVIII. Austrasiæ vocabulum cum Bajoariæ; Otho Frisingensis ad annum IↃ. CC. XLIII. Austriam cum Alemaniâ & Thuringiâ, Neustriam cum Provinciâ conjungit: *Pipinus & Carolomanus Regnum dividunt: Carolomano Austriam, Alemaniam, Thuringiam; Pipino verò Neustriam & Provinciam sortito.* Si nec id satis, prodeat Godefridus Viterbiensis, & provincias Orientalis Franciæ, quæ Austrasia est, recenseat: *Anno IↃ. CCC. LXXXI. Arnulfus totam Orientalem Franciam, quæ hodie Teutonicum Regnum vocatur, id est, Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam, & Lotharingiam rexit: Occidentalem verò Franciam Odo tenuit.* Sic quidem non omnino jam obscura Austrasia est, Franciam totam Teutonicam, & Belgas simul omnes complexa, cujus metropolis Mediomatrices. At Vestrasia, sive Neustria, quicquid inter Ligerim & Sequanam ad Oceanum usque situm est, continet: cujus partem Carolus Crassus pactione Normannis cessit. Quid fit? Novi coloni, ut magis sibi regionem vindicarent, Neustriæ nomen in Normaniæ commutârunt. Austrasiæ appellationem filii Ludovici Pii, post gravissima bella divisione factâ, fregerunt. Cessit Ludovico (ut in Historiâ narro) Germania, qui & Germanicus fuit appellatus: Carolo Francia: Lothario Italia cum Imperio, & in Germaniâ ea loca, quæ inter Rhenum & Mosellam, ad veteres Mediomatrices, Leucos, & Treviros pertinebant: Pipino filio Aquitania. Hac ratione ditio Ludovici, Regnum Orientale; Caroli, Occidentale dicta est: media à Lothario Lotharingia, quasi Lotharii Regnum appellari cœpit, & arctioribus posteà

Gg limiti-

limitibus nomen clausit. Divisa etiam Austrasia in Superiorem & Inferiorem erat. Superior, quæ & Mosellanica & Tullingia, adhuc nomen à Lothario inditum servat. Inferior, ut varios dominos, ita & varias appellationes accepit.

5. REGEM.] Ludovicus, stimulantibus aliquot infestis Pontifici Episcopis, cum justo exercitu in Italiam venit. Ditionem igitur Ecclesiasticam rapinis & populationibus Francorum obnoxiam fuisse, Anastasius scribit, in vitâ Sergii II. *Ex quo in oras Bononiæ Civitatis teligeris exercitibus sunt ingressi, tantas cædes, tantasq́ strages in populos peregerunt, ut qui per urbes & agros sparsi erant, tyrannicâ crudelitate perterriti, relictis propriis locis, per abdita & latebras se absconderent. Cùm verò hæc per omnem locum singulásque urbes, atque vicos, & agros sævâ operarentur nequitiâ, ad pontem pervenerunt Capellæ, & cùm tanta esset cæli serenitas, ut in toto aëre nubes aliqua, aut pluviæ signum nusquam videri potuisset; subito atrarum non modica densitas nubium facta est, & nimbosis procellis & coruscationibus circumdati, quidam de Primatibus Drogonis consiliariis fulminis ictu percussi, ac interempti sunt. Hoc videntes horribile signum, nimio omnes fracti timore Franci correpti sunt; sed nullatenus mentis ferocitatem deponentes, atroci voluntate ad Vrbem properabant. Quorum adventum antedictus beatissimus Papa Sergius fieri propiùs cùm cognovisset, in ejusdem Excellentissimi Ludovici Regis occursum universos Iudices ad ferè novem milliaria ab hac Romanâ Vrbe direxit: quem cum signis & magnis resonantibus laudibus susceperunt. Et dum Vrbi penè unius milliaris spatio appropinquasset, universas militiæ scholas, unà cum Patronis direxit, quæ dignas nobilissimo Rege laudes omnes canentes, aliisq́ doctissimis Græcis Imperatorias laudes decantantibus, cum dulcisonis earum laudum vocibus, ipsum Regem glorificè susceperunt. Obvias illi ejus Sanctitas dirigens venerandas cruces, id est, signa, sicut mos est Imperatorem aut Regem suscipere, ita tum cum ingenti honore suscipi fecit.* Neque tamen eruditus ille cultus, neque reseratæ Divi Petri januæ, neque ipsum Regni Longobardici diadema Ludovico impositum, militem à devastatione & incendiis compresserunt. Sanè nisi Pontifex munitis clausisque portis Vrbem firmasset, fortassis periculum erat, ne Roma, quam sub Pipino & Carolo Regibus voluissent in tali occasione Franci donariis muneribusque augere, turpi prædæ subjiceretur. O rerum, morumq; circuitus! Leo Ostiensis Chronico Cassinat. lib. I. cap. XXIX. & Ado Viennensis ad annum IↃ. CCC. XLI. credunt, Ludovicum à Sergio etiam Imperatorem coronatum fuisse: quod & ipse expressi. Anastasius, & Romani Concilii Acta hîc silent.

6. ANGILBERTVS.] Et hac de caussâ fortassis Drogoni, Ludovici Regis Patruo, reliquisque Episcopis se adjunxerat, cùm Ludovicus Romam ad suscipiendum Regnum cum exercitu se conferret. Nam Anastasius in hæc verba scribit: *Deinceps per dies singulos conflictum novi certaminis cum Sanctissimo Præsule, omnibus Episcopis, & Optimatibus nostris, atque proceribus ipse Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ commovebat, tam ipse quàm omnes Archiepiscopi & Episcopi, qui cum eo contra hanc Vniversalem, & caput cunctarum Ecclesiarum Dei, sine Metropolitani concessione atque vocatione convenerant; id est, Gregorius Archiepiscopus Ecclesiæ Ravennensis, & Angilbertus Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis:* ne

reliquos

reliquos recenſeam. Fuit hic è Puſterliorum familiâ, Mediolani natus. In templo S. Ambroſii altare è cælato auro conſtruxit. Provinciali Synodo Inſtitutiones Monaſterii SS. Martyrum Iovitæ & Fauſtini confirmavit. Præfuit annis XXV. Sepultus in Æde S. Nazarii.

HISTORIA.

ITALIÆ malis unum hoc etiam deerat, ut & [1] SARACENORVM impiâ rabie laceraretur: qui non contenti litora primùm oberraſſe latrociniis, aut per [2] contentiones Adalgiſi & Siconolfi [3] Barium, Maſſare duce, occupaviſſe; novam [4] colluviem ex Africâ trajiciunt, & ad mœnia ipſa Romana procurrentes, oculos trepidæ civitatis fumo, ac pulvere implent. Non tam hominum, quàm Religionis odio quodam acti, prædam ruînâ templorum inſtruebant. Ergò & in ſuburbanas Divorum Petri ac Pauli Baſilicas impetum faciunt. Quis reſiſteret? Immanium Barbarorum avaritiæ ceſſit, quicquid Chriſtiani Reges tot annis, ac tantâ liberalitate congeſſerant: tanquam una manus hauriret pietatis divitias, una hora diſſiparet. Ornamenta quæ rapi non poterant, turpi ludibrio confracta ſunt, ſacra ſupellex in luxuriæ, & obſcœnitatis uſum verſa. Putares & ipſo quoque Deo fana ſpoliata. Vix præter muros & tecta quicquam remanſit; & in hæc quoque ſæviiſſet immanitas, niſi flammam incendiumque bonus Genius arcuiſſet. Sic non omnia impia manus peregit; ampliusque numen, quàm ſcelus potuit. Spolia hæc tamen quid niſi Vrbi atque Italiæ univerſæ detracta videantur? Sanè damnum, an contumeliam appellem, neſcio; graviſſimum vulnus fuit: quod ut univerſum Reipublicæ Chriſtianæ corpus ſentiret, capiti inflictum. Sed Barbari, cùm, impoſitâ navibus prædâ, [5] Africam repeterent, fœdiſſimo naufragio diſperſi, ſacrilegii pœnas dederunt. Prorſus tantum nefas toto obrui pelago debuit; ut qui homines evaſerant, Divorum tamen vindictâ plecterentur.

COMMENTARIUS.

1. SARACENORUM.] Quia suprà res gestas horum Barbarorum ab origine cœpi deducere, nunc pergam, breviterque constringam. Anno IↃ. CCC. XX. rabiem suam in Siciliam effuderunt, & Panormo nobili oppido potiti sunt. Ita Leo Ostiensis, lib. 1. cap. XXVIII. Anno eodem cùm ferè universam Ægyptum occupassent, Rex eorum prope Babylonem Palatium construxit, & universa Ecclesiarum marmora, quæ Alexandriæ, aliisque in locis erant, ad se devehi curavit. Anno IↃ. CCC. XXII. ex Hispaniâ classem solverunt, & in Cretam Insulam delati, Monachi cujusdam Candacis consilio usi, cœperunt illi Urbium eversores novæ Urbis Candacis fundamenta jacere, ut sine discrimine toti Cretæ dominarentur. Id quàm feliciter, nomen Candax argumento est, quod universa Insula posteà usurpavit. Credas eos condendis quàm evertendis oppidis aptiores, si novæ civitatis incrementa probè consideres. Vulgus nunc Candiam vocat. Videndus Cedrenus. Anno IↃ. CCC. XXVI. Imperatoris Michaëlis exercitum, qui liberandæ Cretæ gratiâ venerat, ferro penitus deleverunt. Videndus Curopalata. Anno verò IↃ. CCC. XXVII. nova manus ex Africâ invasit iterum Siciliam, sed totam in potestatem suam redegit. Cedrenus è Ioanne Curopalatâ rem gestam ordine describit: *Hoc ipso tempore Ephemius quidam turmæ unius* (in Siciliâ) *dux, amore captus virginis, quæ à tenerâ ætate monastico habitu velata vivebat, cùm nihil antiquius haberet, quàm amorem suum exsatiare, neque leges quicquam curaret, sed in solius Imperatoris exemplum intueretur, qui & ipse simile facinus perpetraverat, rapit ex Monasterio virginem, & invitam ad se traducit. Hujus virginis fratres Imperatorem adeunt, ac factum narrant: Imperator Præfecto Siciliæ mandat, ut Ephemio, si quidem obscœnum crimen commisisse comperiret, nasum amputaret. Hæc sentiens Euphemius, adscitis in conjurationem iis quibus præerat, aliisque aliarum turmarum ductoribus, Præfectum supplicii sumendo causâ ad se venientem repellit, atque ad Africæ Amiram, sive Præfectum transfugit, promittitq. se, modo ab ipso Imperator Romanorum declaretur, omnem ipsi Siciliam subjecturum, ac grande tributum soluturum. Accipit conditionem Amiras, & Euphemium magno exercitu instruit, Imperatoris Romani titulo insignitum; ejusq. operâ Siciliâ potitur.* Occiso posteà à duobus Syracusanis Euphemio, Calabriam & plerasque Italiæ partes occupavit, crudelique populatione terruit. Anno IↃ. CCC. XXIX. piraticâ classe oras Italiæ tantopere infestarunt hi Siciliæ Domini; ut Gregorium Pontificem compulerint Ostiam novis muris firmare: quin & Divi Petri templum exstructis mœnibus Romanæ Urbi adjicere. Sed fatis concessit, antequam cœptum opus perficeret: cui Leo, velut æmulus, ultimam manum posteà imposuit, voluitq; Leonianam, illam Urbis partem à se dici; idque exemplo Gregorii, qui Ostiam Gregoriopolim appellaverat. Videndi Anastasius & Sigebertus. Anno IↃ. CCC. XXXIV. justâ acie congressi cum Theophilo Imperatore, tam strenuè rem gesserunt, ut nisi Manuel exercitûs dux se objecisset, Imperator in hostium venisset manus. Videndus Curopalata. Anno IↃ. CCC. XLI. ut est

apud

apud eundem Auctorem, Theophilus novos iterum sumens animos, Sosopetram in Syriâ iis abstulit; cumque collatis signis decerneret, mortis discrimen fugâ evadere denuò compulsus fuit. Habes quicquid rerum Saracenicarum conquirere potui: nunc ad institutum revertor.

2. CONTENTIONES ADALGISI ET SICONOLFI.] Adalgisum hunc nonnulli Scriptores Radelchim appellant. Originem verò hujus belli è Leone Ostiensi refero, lib. I. cap. XXVI. explicatam. *Cùm Sichardus, sive Sigehardus, Princeps Beneventanorum à suis nequiter fuisset occisus, Radelchis Thesaurarius ipsius in Principatum successit. Interea Capuani, quibus tunc Landulfus Castaldeus praerat, pro multis nequitiis suis Radelchim valdè infensum habebant: cumq; illum hac de caussâ metuerent, inito consilio ad Siconulfum, fratrem Sichardi, qui tunc Tarenti exulabat, se conferunt, eumq; sibi Principem eligunt. Qui tum iisdem Capuanis cum magnâ Beneventanorum manu, quibus idem Radelchis exosus erat, comitatus, Salernum adiit; & contra dictum Radelchim sese modis omnibus instruens, belli initium dedit. Ortus est dimicandi ardor ac studium, & crebrò conferebant praelia. Verùm, ut ait Veritas, Omne Regnum in se divisum desolabitur, Concordiâq; res parvae crescunt, discordiâ maximae dilabuntur; ab iis Saracenorum exercitus contra se diversis in locis accersiti, totum non modò Principatum, verùm etiam Italiae Regnum dissensione suâ, ferro & igni per annos fermè triginta demoliti sunt. Primus itaque Radelchis in auxilium suum Saracenos evocat per Pandonem quendam, fidelem suum, qui tunc Barim regebat. Quos dum idem Pando juxta murum Vrbis, & oram maris locasset improvidus; illi, ut sunt ingenio callidi, intempestâ nocte Barim Vrbem per loca abdita penetrant; plurimisq; peremptis, praedictum Patriae proditorem, marinis fluctibus donant.*

3. BARIVM.] Apuliae Peucetiae oppidum. Apud Acronem Horatii interpretem Baris legitur. Alius tamen Horatii Commentator Barim hanc aliam à Bario esse notat, cui & calculum suum addit Xylander ad librum VI. Strabonis. Hodie *Barri* vocatur. Saepe graves aerumnas passa fuit haec civitas. A Basilio & Constantino Imperatoribus capta, direptaque, & pariter à Saracenis. Sed funditus deleta fuit à Guilielmo Siciliae Rege; cujus cladis in suo Itinerario meminit Benjaminus.

4. COLLVVIEM EX AFRICA.] Leo Ostiensis lib. I. cap. XIX. *His temporibus praesidente Sedi Apostolicae Sergio Secundo, qui Ludovicum Imperatorem coronavit, ingens Saracenorum multitudo ex Africâ classe Romam devecta Ecclesias SS. Apostolorum Petri & Pauli omnino depradati sunt. Multis illic interfectis, per Appiam viam iter aggressi, ad Fundanam civitatem pervenerunt, quam cùm igne succendissent, cunctosq; illic cives partim cepissent, partim interemissent, omniaq; in circuitu vastassent, secus Cajetam applicantes castrametati sunt. Adversus hos missus Spoleto Francorum exercitus, turpiter superatus aufugit; quos Saraceni persequentes tandem ad loca vicina Monasterio trans flumen, quod Carnellum dicitur* (antiquitus Liris) *applicuerunt; Ecclesiamq; Sancti Andreae Apostoli igne combusserunt, neque ad Cellam S. Martyris Apollinaris pervenientes, in loco, qui Albianus dicitur, è vestigio ad hoc Monasterium Cassinense omni nisu properare curabant.*

5. AFRICAM REPETERENT.] Idem Leo, & ibidem: *Cellas itaque hujus Coenobii Sanctorum Martyrum*

Georgii ac Stephani titulus nobiles, igne succendentes, per duos Leones (via hæc quædam est) *Cajetam ad sua castra reversi sunt. Post aliquot dies cùm ad propria redire disponerent, debilitatos ac subversatos equos omnes dimisère, conscensisq; navibus iter in Africam aggrediuntur. Cumq; Patriæ proximi vicinos jam intuerentur montes, & nautico more plausu inter se & gratulatione perstreperent, repentè conspiciunt naviculam quandam inter suas huc illucq; crebrò discurrere, duos tantùm homines habentem, quorum unus pulchrâ canitie Clerici speciem præferebat; alter habitu monachus videbatur. A quibus solerter inquisiti, Vnde tam hilares tamq; festivi remearent? quidve gessissent? Ex Italiâ atque ex Româ ipsâ redire, ibiq; cædes ingentes & rapinas, atque incendia patrasse fatentur: Petri, inquiunt, & Pauli Ecclesias vastavimus; ad Benedicti verò prædandum Monasterium, quoniam objectu amnis ire nequivimus, cellas ejus trans ripam positas igne succendimus. Cumq; vicissim & hi quærerent, Quinam & ipsi essent? hujusmodi ab eis accipiunt responsum: Nos, inquiunt, illi sumus, quorum domos diripuisse ac succendisse ita gloriamini; verùm, quinam simus, continuò ex eventu discetis. His dictis repentè evanescunt, tantaq; è vestigio procella secuta est, ut naves omnes partim se collidentes, partim in montes ac scopulos impulsæ naufragium fecerint, vixque pauci evaserint, per quos cæteris ista innotescerent. Hoc ordine Petrus Apostolus suas injurias vindicavit, & Benedictus suum Monasterium liberavit.*

HISTORIA.

Bene, quòd [1] Leonem tum Pontificatus accepit, magnæ virtutis & prudentiæ virum; qui admirabili solertiâ delere injuriam illatam cœpit, [2] mœnibus quoque Vaticano adversus irruptiones direptionesque circumdato ac munito, cùm majoris jam munificentiæ opus esset, tueri ornamenta, quàm amplificare, & novæ iterum prædæ Africa inhiaret. Sed & Massar, qui Barium insidebat, [3] à Beneventanis receptus, ut Adalgiso adversus Siconolfum auxilio esset, infidam opem ad rapinam vertit, ampliusque quàm hostis nocuit. Ex urbe deinde in agros injuriam proferens, templa ac monasteria passim bello vexavit, omnemque regionem ferro ignique subjecit: nisi obstaculum inveniret, facturus, quod nulla adhuc Barbaries tentârat. Quantum Ludovicus fecit, [4] Insubribus debetur: illinc ductis copiis Beneventum obsedit, & in potestatem suam coactos Saracenos, unà cum Duce omnes jugulavit. Sic non potuit sine crudelitate pestis illa excidi. Quid excidi? renata est, & mox in damna iterum, graviusque erupit,

pit. Reliquiæ Barii relictæ erant, & terrere Italiam potuêre. Omnino tanquam ad strages & ruinas remansisset fomes, incendium ex intervallo dedit. Sed dum adolescit hic ignis, viresque sumit, Lotharius [5] monasticam sibi quietem moliens, assignare filiis fortunæ suæ partes voluit, & divisa jure, quàm dividenda armis Regna relinquere. Satis sibi jam gloriæ partum; sceptro posito, Regum fore patrem: prospecturum simul, ne quo ipse cum fratribus furore collisus esset, filii dissiderent. Hoc enim jam hereditarium videbatur, in mutuum exitium armari fratres; ne, quod in Caroli nepotibus cœpisset malum, in posteris desineret. Sed irrita Lotharii fuêre vota: quâ concordiam curâ stabilire conatus est, potentiam collisit: quantum quisque accipiet, in arma & bella convertet; Ludovicus Italiam, & Augusti titulum, Lotharius Lotharingiam, Carolus Provinciam, Burgundiamque. Ludovicus igitur, cùm terminatum Alpibus Regnum accepisset, ostendit egregiè Cæsariæ Majestati Italiam sufficere, Regiæ Insubres. Vrbes inspexit singulas, & ordinavit; Ticini tamen præcipuè, atque Mediolani juris constituendi caussâ versatus est. Sed [6] & mores etiam inspexit, quasi non aliter pacatum securumque rerum statum habiturus, nisi scelus omne exularet. Sed quam in Italiâ sibi [7] quietem promitteret, adhuc à Saracenis infesâ? [8] Hi iam, Seodano duce, totam pænè [9] Apuliam occupârant, nec poterant [10] nisi Imperatoris viribus retundi. Dubiâ tamen fortunâ bellum est tractum. Ille [11] Barii obsidione sic lassatus est, ut [12] Lothario fratre cum copiis in auxilium excito, adhuc suspecta haberet fata, nunc victor, nunc victus, promiscuo eventu. Quod clade majus, intellexêre hostes, non se rapinis tantùm, sed [13] bello pares esse: Italiæ Imperiique vires sustinuerant. Ludovicus igitur dedecore magis, quàm damno stimulatus, quanto ad extremum potuit nisu, arma movet, & in gentem Barbaram pari irâ & [14] violentiâ irruit. Gemino prœlio victi & profligati, in [15] Calabriam se recipiunt: sed neque hic tuti, provinciam hosti relicturi, ferro ignique vastant: atque hoc facinore edito

edito (scilicet ne crudeliùs venisse, quàm fugisse viderentur) conscensis navibus, per naufragia in Africam evadunt.

COMMENTARIVS.

1. LEONEM.] Quartum, cujus virtutes egregiè Anastasius descriptas exhibet.

2. MOENIBVS.] Opus à Gregorio Pontifice cœptum fuit. Sigebertus: *Gregorius Papa, dolens crebris Saracenorum incursionibus vexari & vastari suburbium Vrbis Romanæ circa Ecclesiam B. Petri Apostolorum Principis; intendit illis Vrbem novam ædificare: ad quod consilio & auxilio Imperatoris animatus, novam fabricam cœpit, sed non perfecit. Leo enim ejus nominis Quartus cœptum opus absolvit.* Anastasius plenè hæc munimenta describit: *Dum universa Romanorum nobilitas pro illâ deprædatione, quam jam dudum nefandi ac malevoli Saraceni intulerunt, in nimia lamentatione consisteret, ne deinceps, nisi Ecclesia B. Petri Apostoli undique munita civitas foret, pejora valuissent committere; idem amabilis Pontifex magnam pro Romanis omnibus cœpit habere angustiam, & quo modo vel ordine ab eorum cordibus tantum potuisset mœrorem auferre, anxius cogitare. Cùm in his diuturnis curis desudaret, Deo revelante hujusmodi prorsus consilium sumpsit, ut hoc ipsum suo dilecto & spirituali filio Lothario Augusto, luce clariùs indicaret, quatenus per illius, Deo annuente, adjutorium atque consilium Civitatem illam ædificaret, quam prædecessor ejus Leo III. juxta Ecclesiam prænominatam Apostoli ædificare cœperat, & cujus multis jam in locis fundamenta posuerat; licet post ejus transitum, à quibusdam ablata fuissent hominibus, ita ut nec structura appareret, ubi priùs incohationem prædictus habuerat murus. quòd si vita comes adesset, desideratum opus, Christo sociante, ad effectum vellet perducere. Hoc denique Piissimus ac Serenissimus Cæsar agnoscens, magna est ilicò lætitiâ & exultatione repletus, rogansq; jam dictum summopere Præsulem, patremq; per omnia spiritualem, ut quantocius tanti operis, fabricam sedulo labore perficeret. Ad eam ipse unà cum suis fratribus non modicas argenti libras direxit; ut, sicut dictum est, tam proficuum opus indeliberatum minimè remaneret. Ex quo nuncio, satis præoptato, Præsul præcipuus ultra modum hilaris est effectus. Cœpit autem tunc de prædicto negotio valdè esse solicitus, convocansq; cunctos Sanctæ Dei Ecclesiæ fideles, petivit ab eis consilium, qualiter tantorum murorum citò valuisset fabrica consummari. Tunc omnibus visum est, ut de singulis civitatibus, massisq; universis publicis, ac monasteriis per vices suas homines generaliter venire juberet: sicut & factum est. Quamobrem secundo Præsulatûs illius anno Civitas ædificandi sumpsit exordium; & in sexto magnis & admirabilibus omnibus fabricis undiq; est consummata.* Adjiciam ex eodem, quibus cæremoniis hæc pars Vrbis dedicata sit: *Papa Beatissimus, & per omnia & in omnibus semper laudabilis, ut prædicta civitas, quæ à proprio conditoris sui nomine Leoniana vocabatur, perpetualiter firma ac roborata consisteret, jussit cum magnâ animi devotione, cordisq; lætitiâ, & omnes cum eo Episcopi pariter, & Sacerdotes, incolæ Vrbis, & universi ordines Clericorum sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, post Litanias & Psalterium decantatum, cum Hymnis & Canticis spiritualibus per totum murorum ambitum,*

tum, nudis pedibus cinerem portantes in capite, circuirent, & inter cætera ab Episcopis Cardinalibus aquam fieri benedictam præcepit, ut inter orationum officia, aquam ipsam transeuntes per murum, sanctificationis gratiâ jactare omnimodis studuissent: qui quod ab eo jussum fuerat, humiliter peregerunt. Breviter Luitprandus Ticinensis in vitâ ejusdem Leonis IV. *Consilio & auxilio Lotharii Imperatoris Urbem, quam circa Ecclesiam B. Petri inceperat, pleniter consummavit, & cum Litaniâ eam circumdans, & aquâ exorcizatâ aspergens sanctificavit, & suo postmodum nomine Leonianam eam vocavit.*

3. A BENEVENTANIS.] Adalgisus, sive Radelchius, cùm Barium Saracenis nequiret eripere, eorum cœpit adorare perfidiam, iterumque auxilium flagitare. Illi ut prompti viderentur, spe majoris prædæ, promittunt opem operamque, & priorem culpam ingenti devastatione purgare conantur: imò Capuam, aliasque Siconulfi urbes in cinerem dant. Siconulfus videns se Adalgisi, & Saracenorum viribus imparem, vocat & ipse Saracenos, sed ex Hispaniâ: qui continuò tanquam ad prædam rogati advolaverunt. Itaque multas civitates Adalgiso eripiunt, ipsumque Beneventum obsidione premunt. Quid fit? Eò res redit, ut Adalgisus Bario Saracenos accersere compellatur: qui eâdem ferè fide iterum Beneventum, quâ nuper Barium, tutati sunt. Massar enim, ut est apud Leonem Ostiensem lib. I. cap. XXX. *Beneventi residens, Beneventanósque contemnens, eos modis omnibus vehementer afflixit, Monasteriumque S. Mariæ in Cingulâ devastavit, Castellum S. Viti cepit, Telesinamque civitatem in deditionem compulit, & omnia per circuitum depopulatus est. Qui dum die quadam juxta B. Benedicti transiret Monasterium, ita mens ejus efferata continuò cælitus mutata est, ut cùm canis ejus anserem cepisset, ipse cum flagello accurrens illum per se ex ore illius extraxerit, atque ante januas Monasterii veniens, claudi illas protinus jusserit, nequis ex suis ingressus, aliquam illic vim inferre præsumeret. Sicque Aquinum pertransiens, omnia per circuitum vastans, Beneventum reversus est.*

4. INSVBRIBVS DEBETVR.] Leonem Ostiensem audiamus lib. I. cap. XXXI. *Huic Ludovico admodum adolescenti ab afflictis variâ peste Longobardis per venerabilem Bassacium Abbatem supplicatum est, ut ad istas se conferret partes, eosque ab infidelium vexationibus eripere, ac talibus cladibus finem dignaretur imponere: quod & factum est. Eorum enim supplicationibus annuens Ludovicus Beneventum venit, eique à Radelchio ac Beneventanis Saraceni omnes omninò traditi sunt: quos ipso die vigiliarum Sanctæ Pentecostes, extra urbem duci, atque ad unum omnes jugulari jussit. Inter quos Massar etiam illorum Dux capite cæsus est. Móxque idem Imperator convocatis Longobardis omnibus totam provinciam Beneventanam inter Radelchium, & Siconulfum æquo jure partitus est.* Siconulfo Salernum obtigit, & hoc Salernitani Principatûs fuit exordium,

5. MONASTERIVM SIBI.] Regino in Chronico: *Abdicans se ab omnibus humanis curis, Pruniacense ingressus est Monasterium, ubi comâ depositâ habitans, Sanctæ Religionis accepto habitu fit Monachus. Demum eodem anno* XIII. *Kalend. Octob. spiritum Deo reddidit.*

6. ET MORES INSPEXIT.] Regino: *Fuit iste Princeps pius & misericors, Iustitiæ deditus, simplicitate*

purus, Ecclesiarum defensor, orphanorum & pupillorum Pater, eleemosynarum largus largitor, servorum Dei humilis servitor; ut Iustitia ejus maneret in sæculum sæculi, & cornu ejus exaltaretur in gloriâ.

7. QUIETEM PROMITTERET.] Adalgisus perpetui belli fomes Ludovico exstitit, nunc Saracenis, nunc Græcis adhærens. Hujus instinctu Seodanus Capuam invasit, Neapolitanum agrum est populatus, Venafrum subjugavit: breviter, totam ferè Apuliam suam fecit.

8. HI IAM SEODANO DUCE.] Idem Regino affirmat, denuò ex Africâ Saracenos totam Apuliam invasisse: alii, solas Barii reliquias id perpetrasse scribunt. Seodanum fuisse impiissimum, & in sacris calicibus potiones sibi dari, & adoleri thuribulis voluisse, auctor est Leo.

9. APULIAM.] Regionem hanc alii ab Apulo Rege, alii à pluviâ, Paulus Diaconus à perditione, quòd Solis fervoribus vacantia ibi perdantur, dictam putat. Ad ortum Salentinis, ad occasum Phiterno amne, ad Meridiem Lucanis, Hirpinis, & Samnitibus, ad Septentrionem Sinu Adriatico clauditur. Plinius lib. III. cap. II. triginta sex populos ei tribuit. Tota Regio dividitur Aufido fluvio. Quæ cis Aufidum est, Daunia vocatur; quæ trans, Peucetia.

10 NISI IMPERATORIS VIRIBUS.] Seodani, quem Soldanum Constantinus Imperator videtur appellare, injuriis pressi fractique Longobardi, ut est apud Leonem, *tertiò jam Legatos in Franciam, ad prædictum Ludovicum mittunt, orantes votis omnibus, ut iterum venire, seque ac Patriam à nefandissimâ Saracenorum gente dignaretur eripere. Tunc Ludovicus Rex generale edictum per omnes Regni partes dirigens, ut nullus omnino ab hac se expeditione subtraheret, anno Domini* IƆ. CCC. LXVI. *immensum coëgit exercitum, simulque cum Dominâ Engilbergâ Augustâ Conjuge suâ iter arripiens, per Soram Beneventi fines ingreditur, ac mense Iunio pervenit ad monasterium hujus Sanctissimi Patris Benedicti.* Et pauculis interfitis: *Inde digressus, Capuam petiit, quam tribus obsessam mensibus cepit, eamque maximâ ex parte delevit. Demum apud Vallem Candidam castrametatus, non multò post intravit Beneventum*, ad Adalgisum virum solo metu fidum. *Congregato autem apud Luceriam, Apuliæ civitatem, omni exercitu suo, cum Saracenis repentè congreditur. A quibus primo certamine superatus, demum ex his, opitulante Deo, victoriam insignem adeptus, omnibus eorum potitus est castris, inde Barim contendens.*

11. BARII OBSIDIONE.] Quadriennio circa muros urbis hujus hæsit.

12, LOTHARIO FRATRE.] Regino: *Veritus ne fortè adversus innumerabilem multitudinem, vires Regni non sufficerent, ad fratrem in Gallias Legatos mittit, omnino exposcens, ut ad nequissimæ gentis vires exterminandas, audaciamque refrenandam, sibi, cum Dei auxilio, virtute quoque Francorum opitularetur. Qui nihil cunctatus, exercitum cum ingenti industriâ undequaque contrahit, fratrique quantâ potuit celeritate in adjutorium venit; ubi plurima bella gesta sunt.*

13. BELLO PARES.] Lotharius enim eodem quo venerat anno, coactus fuit reverti. Caussam addit Regino: *Inter hæc exercitus Lotharii gravi peste fatigatur: ex insueto quippe calore, & intemperie aëris dissolutus, dysenteriæ morbo corripitur, ex quâ plagâ innumerabilis multitudo extincta.*

tincta est. Plurimi etiam aranearum morsibus perierunt; ut jam tunc daretur intelligi, quòd propter duritiam & cor impœnitentis (posthabitâ enim conjuge Thietbergâ, Waldradam concubinam colebat) *Deus non solùm Lothario, verùm etiam universo Regno ejus adversaretur. Revertitur itaque in Franciam, non sine gravi dispendio suorum.*

14 VIOLENTIA IRRVIT.] Maternum enim, munitissimam urbem igne delevit, Venusiam, Canusiumque in potestatem redegit, ac tandem Barium Saracenis eripuit. Leo auctor est, Seodanum, omnesque præsidiarios ferro fuisse trucidatos. Alii aliter, imò hunc Seodanum Beneventum ad Adalgisum pervenisse; & posteà, cùm Adelgisus rebus Græcorum studeret, audacissimum pariter consilium dedisse, ut Ludovicum in carcerem detruderet, ac jurare compelleret, nunquam in fines Beneventanos se venturum. Vide Herembertum.

15. IN CALABRIAM.] Calabria dividitur in Superiorem, quę Magna Græcia est; & Inferiorem, quæ Brutiorum sedes. Græcis Messapiam, omnem Calabriam fuisse appellatam à Messapo Duce, Auctores sunt Plinius & Ptolemæus. Fines Brutiorum extensi M. CCC. L. stadiis, inter Laum & fretum Siculum, ut Strabo adfirmat. Appellati, vel à Lucanis, qui Brutios suâ linguâ fugitivos vocant; vel à Brutiâ muliere, ut Iustinus tradit; vel à Bretto Herculis filio, ut Stephanus; vel denique à Bruto Vmbro, ut alii existimant. Brutiates Festo vocantur. Fuisse bilingues ex Ennii fragmentis liquet, solitosque Oscè, & Græcè loqui. Secundo Bello Punico Hannibali adhæserunt. Superior, quæ Magna Græcia est, sic dicta ob Græcorum infinitam multitudinem, quæ eam inhabitabat, teste Athenæo. Servius ad 1. Æneid. *Italia μεγάλη Ἑλλὰς appellata est; quia à Tarento usque ad Cumas omnes civitates Græci condiderunt.* Patet in longitudinem C. LXXXII. M. P. Ad Orientem habet æquor Adriaticum, ad Occidentem Crathidem fluvium, ad Meridiem Alecem amnem & Brutios, ad Septemtrionem sinum Tarentinum & Peucetios Apulos. Nomen Brutiorum, & Magnæ Græciæ hodie intercidit. Vtramque Regionem Calabriam communi vocabulo appellant. Felicitate soli, & vitæ deliciis nulli terrarum cedit. Vino, oleo, frumento, melle, pomis medicis, citreis, lanâ, serico, gossypio, lino, & calidarum aquarum scaturiginibus est abundantissima. Qui plura cupit, post Gabrielem Barium, & Antonium Galatæum, ut consulat Cluverium suadeo.

HISTORIA.

PAX jam & tranquillitas Italiam respexerant: sed, ut rerum humanarum inconstantia est, vultum mox iterum subductura. Ludovicum [1] Mediolani extinctum turbæ & calamitates secutæ. Ejus patrui, [2] Carolus Calvus Franciæ, & Ludovicus Germaniæ Reges, ad rapiendam hereditatem concurrunt. Italiæ Principes quodam velut jure

insignia sibi Augustalia deposcebant, quasi, Ludovico sine liberis mortuo, Cisalpinis, & velut indigenis debita. Sed plus arma valuêre. Carolus Calvus, cum exercitu Alpes transiens, dum occupat, à Pontifice petit Imperium, & inauguratur. Regem deinde fieri, facilè fuit. Ticini coronam sumpsit, leges tulit, & res Italiæ constituit. Itaque [3] in Sacrorum Principem [4] Tusculani Comites conspirant, quia rejecti: hujusque facinoris consortes, si non auctores, [5] Formosum Episcopum Portuensem, & Gregorium Nomenclatorem habuerunt. Ludovicus Calvi frater, dum bellum adornat, [6] Francofurti diem obiit. Hujus filii Carolomanus, Ludovicus, & Carolus, [7] Regna Patris partiti, [8] caussam suscipiunt: quorum Carolomanus [9] post obitum Calvi [10] Italiæ Regnum triennio tenuit. Sed Ludovicus Balbus, Calvi filius [11] Imperii insignia à Pontifice accepit. [12] post Carolomani obitum fratres ejus hereditatem invadunt: Ludovicus Bajoariæ Regnum, Carolus Italiæ. Atque hic ad spem quoque Imperii non vanâ cupiditate erectus, [13] Romam advolat, coronam capit, & Fortunæ velut manu ad majoris potentiæ fastigium ducitur: quippe fratre Ludovico extincto, Lotharingiæ, & Bajoariæ Regnis augetur. An satis? [14] etiam Franciæ. [15] Etenim Ludovico, & mox [16] Carolomano, Balbi filiis, fato functis, à Proceribus ipsis vocatus est, ut ab eodem & Rege & Imperatore Normanorum vis & crudelitas reprimeretur.

COMMENTARIVS.

1. MEDIOLANI EXTINCTVM.] Anno IↃ. CCC. LXXV. circa Kalendas Augusti. In S. Ambrosii Basilicâ sepultus, & hoc Epitaphio ornatus est.

D. P. M.

Hic cubat æterni Ludovicus Cæsar honoris,
Æquiparat cujus nulla Thalia decus.
Nam nec prima dies Regno, solióque vacaret,
Hesperiæ genito sceptra reliquit avus.
Quam sic pacifico, sic forti pectore rexit,
Vt pueri brevitas vinceret acta senum.
Ingenium mirérne, fidem, cultúsve sacrorum
Ambigo, Virtutes, an pietatis opus.
Hic ubi firmus virum, mundo produxerat ætas,
Imperii nomen subdita Roma dedit:
Et Sara-

Et Saracenorum crebras perpessa secures,
Libera tranquillam vexit ut ante togam.
Cæsar erat cælo, populus non Cæsare dignus,
Composuêre brevi stamina fata dies.
Nunc obitum luges infelix Roma patroni,
Omne simul Latium, Gallia tota dehinc.
Parcite: nam vivus meruit hæc præmia, gaudet
Spiritus in cælis, corporis exstat honos.

Ex Engilbergâ Augustâ, quam repudiavit, filia ei nata est Hermengardis, uxor Bosonis Provinciæ Regis, & mater Ludovici Balbi.

2. CAROLVS CALVVS FRANCIAE.] Scriptor illius ævi Anonymus: *Hoc ubi Carolus Galliæ tyrannus comperisset, ilico Regnum Italiæ invasit, & omnes thesauros quos invenire potuit, uncâ manu collegit. Unde Ludovicus Rex iratus Carolomanum cum exercitu per Bajoariam destinavit in Italiam; ipse verò juncto æquivoco suo Ludovico, cum manu validâ Regnum Caroli ingressus est, ut eum de Italiâ exire compelleret. Exercitus autem qui Regem sequebatur, versus ad prædam, cuncta quæ invenit, diripuit atque vastavit. Carolus verò, audito Carolomani adventu in Italiam, primò Clausis Alpium se defendere nititur, sed nihil profecit. Carolomanus enim loca accessu difficilia cum suis præoccupavit. Ille verò dum negotium ferro decernendum timuisset (est enim lepore timidior) ad calliditatem solitam convertitur. Nam aurum & argentum gemmasq́ pretiosas infinitæ multitudinis Carolomano obtulit, ut eum sibi placaret, & à paternâ fidelitate segregare posset, juravitq́ se de Italiâ citò exiturum, & Ludovici fratris sui judicio illud Regnum disponendum servaturum, si Carolomanus inde discederet. Quo inde discedente, cùm promissionibus illius crederet; ille quæcumque pollicitus est, mentitur, & quantâ potuit velocitate Romam profectus est, omnemq́ Senatum Populi Romani more Iugurthino corrupit, sibiq́ associavit; ita ut etiam Ioannes Papa votis ejus annuens, coronâ capiti ejus impositâ, eum Imperatorem & Augustum appellari præcepisset.*

3. IN SACRORVM PRINCIPEM.] Hujus conspirationis caussas fuisse varias crediderim. Omnium primam, imperandi libidinem, quâ Comites isti Tusculani ardebant: quia & jure quodam videbantur accendi; quasi Imperatore sine liberis defuncto, ipsi Imperio tutando sufficerent, & externis servire necesse non haberent. Alteram fuisse putem, quòd Ludovico mortuo, nullâ Italorum habitâ ratione, è vestigio Carolum Ecclesiæ defensorem Pontifex elegerit, ut est apud Odoranum: *Obeunte Ludovico, qui Imperii Romani jura regebat, Dominus Ioannes ter Beatissimus Papa per Iadericum Velitrensem, Formosum Portuensem, Ioannem Alatrinum, nec non per Ansegisum Senonensem Venerabiles Episcopos, Dominum Carolum, tunc Regem, ad limina Sanctorum Apostolorum invitavit, eumq́ Ecclesiæ ipsius defensorem auctoremq́ elegit, Imperialiq́ diademate coronavit.* Tertiam, quòd Ioannes Pontifex nimis sordidè Carolo fuerit adulatus, cùm Augustâ eum dignitate insigniret. Acta promo Coronationis, à Petro Pithoeo edita: *Iste hujus præfulgidus filius Carolus, de quo nobis sermo est, serenissimus & tranquillissimus Imperator, qui nobis, ut prætulimus, in quos fines seculorum devenerunt, quiq́ caliginosi temporis ex quadam parte tetras ærumnas & miserias sustinebamus, tanquam splendidissimum astrum ab arce polorum illuxit, non solum monu-*

menta progenitorum, bonitatem electæ radicis ferens in ramo, alacriter æquiparavit; verùm etiam omne prorsus avitum studium vicit, & universum paternum certamen in caussâ Religionis atque Iustitiæ superavit: Ecclesias videlicet Domini diversis opibus ditans, Sacerdotes ejus honorans, hos ad utramque philosophiam informans, illos ad virtutes sectandas adhortans, viros peritos amplectens, Religiosos venerans, inopes recreans, & ad omne bonum penitus subsecutus, & omne malum medullitus detestatus. Et paulopòst: *Deinde non hic perpetuus Augustus ad tanta fastigia se velut improbus intulit, non tanquam importunus, fraude aliquâ vel pravâ machinatione, aut inhianti ambitione ad Imperialem apicem adspiravit. Absit: neque honorem præsumptuosè assumpsit, ut Imperator fieret; sed tanquam desideratus & optatus, postulatus à nobis, & à Deo vocatus, & honorificatus ad defendendam Religionem, & Christi utique servos tuendos humiliter atque obedienter accessit, operaturus & roboraturus in Imperio summam pacem, & tranquillitatem, & in Ecclesiâ Dei Iustitiam & exaltationem. Nisi enim talem ejus cognovissemus intentionem, nunquam animus noster fieret tam promptus ad ipsius promotionem.*

4. TVSCVLANI COMITES.] Tusculani à Tusculo: Tusculum Vrbs fuit Latii, condita à Telegono, Vlyssis & Circes filio, ut passim Poëtæ. Hinc Horatius Epodon Ode I. *Tusculi Circæa mœnia* appellat: ubi Interpres: *Tusculum autem oppidum conditum à Telegono filio Vlyssis & Circes.* Lib. III. Carminum, Ode XXIX. *Telegoni juga parricidæ:* iterumque Interpres. Vide & Hyginum Mythologiæ cap. CXXVII. Alii à Tuscis structam volunt, & hinc Tusculum nominatam. Centum circiter aberat ab Vrbe stadiis, ut Dionysius & Strabo notant, in montis Albani dorso, loco amœnissimo sita. Magna ejus cum oriente Româ fuit æmulatio, ut Livius tradit; sed ab eâ deinceps in potestatem est redacta. Post aliquot deinde annos, Tusculani omnes Civitate donati sunt. Collapsâ Imperii fortunâ, in immensum crevit eorum potentia, multis victoriis nobilitata. Romæ igitur & factiones suas Tusculani habuêre: & ad bellum assurgentes, Raynonis Comitis ductu, vincere Romanos, & ingentem edere stragem potuerunt. Cujus injuriæ non obliti Romani, tandem post annum septimum vastatam, flammâ ferroque urbem solo æquaverunt. Haud procul Frascatâ sitam fuisse, rudera hodie atque fundamenta docent: docet amœnitas, quæ destrui non potuit.

5. FORMOSVM EPISCOPVM.] Detectâ conspiratione, ut existimo, Formosum & Gregorium Pontifex vinculis oneravit, ac condemnavit. Fidem faciunt Acta Consilii Pontigonensis: *Sexto Idus Iulii, convenientibus Episcopis, lecta est Epistola Apostolici de damnatione Formosi Episcopi, Gregorii, & consentientium eis.* Posteà eundem captivum in Galliam deduxit, ut est apud Aimonium, lib. V. cap. XXXVII. Sed restitutus fuit in Vrbem & Episcopatum, post lustrum, à Marino Pontifice: tandemq; Pontifex Maximus elevatus, ut lib. V. docebo.

6. FRANCOFVRTI.] Idem Aimonius lib. V. cap. XXXIV. *Imperatori Carisiaci nunciatum est, Ludovicum Regem in Francofurd Palatio, V. Kal. Septemb. obiisse, & IV. Kal. ejusdem mensis in Monasterio S. Nazarii sepultum fuisse.* Vrbs est Germaniæ ad Mœnum flumen. Hodie Cæsarum electionibus, & binis Nundinis, quæ partim Vere, partim Autumno celebrantur, clara.

Nihil

Nihil pulchrius, quàm inter reliquas merces, libros quoque & ingenii monumenta prostare: cùm Bibliothecam instruenti facile sit, quicquid omnis scripsit ætas è nobilissimo hoc emporio depromere. Sed de Nundinis istis & libris plura in eo libro, quem de Nundinis Romanis paratum habeo, propediem producturus. Vrbs hæc verò inter Germaniæ celeberrimas, ad Mœnum flumen à Francorum vado, ut Ligurino placet, appellata:

——— Quia Carolus illic
Saxonas indomitâ nimium feritate rebelles
Oppugnans, rapidi latissima flumina Mogi
Ignoto fregisse vado, mediúmque per amnem
Transmisisse suas, neglecto ponte, cohortes
Creditur. Inde locis mansurum nomen inhæsit.

In Majorem verò & Minorem flumine divisa est, ac ponte rursus jungitur. Major Francofurti nomen habet, Minor Saxenhusii, tanquam à Saxonum domo nuncupata. Hanc enim ripam obsidebant Saxones, à Carolo Magno, transmissis per vada Franconibus, oppugnati & victi. Si amœnitati locus est, Liberum forum, vel Francorum forum ausim Françofurtum appellare.

7. REGNA PATRIS PARTITI.] Bajoaria, Pannonia, Carentanum, Bohemia, & Moravia Carolomano obtigerunt; Franconia verò, Thuringia, Saxonia, Frisia, & pars Lotharingiæ Ludovico; Carolo autem, quem postea Crassum vocârunt, altera Lotharingia cum Alemaniâ.

8. CAVSSAM SVSCIPIVNT.] Et quidem compulsi. Nam Carolus, quâ confidentiâ Imperium invaserat, eâdem etiam fratris Regnum tentavit. Itaque properè Aquas, Coloniamque contendit, occupaturus Lotharingiam, nisi obstaculum inveniret. Ludovicus, Ludovici F. secundus natu ubi intellexit patruum fines Regni sui infesto agmine ingressum, quia justum robur deerat, quod Carolo objiceret, sacris jejuniis supplicationibusque se armavit, nec in vanum. Nam, ut Aimonius scribit lib. v. cap. xxxiv. *Fide pollens magis quàm copiis militaribus Iuvenis, inconcessa tentat, securus de Divinâ potentiâ, & certus de ejusdem protectione Iustitia: præsumit quoque conscientiâ sincerâ miracula. Vt enim ipsum adversantem Imperatorem Tyrannum injustitiam omnino prosequi, & Deum persequi palàm ostendat, horrendum hujuscemodi ob oculos ejus spectaculum ponit: Decem homines cum aquâ calidâ, & decem cum ferro calido, & decem cum aquâ frigidâ ad judicium misit, coram eis qui cum illo erant, petentibus omnibus, ut Deus in illo judicio declararet, si per jus & æquum ille habere debeat portionem de Regno, quam pater suus illi dimisit, ex eâ parte, quam cum Carolo fratre suo per consensionem illius, & per sacramentum accepit. Qui omnes illæsi reperti sunt.* Hoc miraculo animatus Ludovicus, aciem in Imperatorem direxit, eumque in fugam vertit. *In hoc certamine* (ut est in vetustis Annalibus Francorum) *contra Carolum proculdubiò cælitus dimicatum est. Nam, sicut captivi inde abducti narrare solebant, apparente Ludovico, & his qui cum eo erant, tantus timor omnem exercitum Caroli invasit, ut priùs se victos putarent, quàm ad pugnam venirent. Et quod majoris est admirationis, equorum latera, quibus insidebant, calcaribus tundebant & cruentabant, & illi quasi ad stipitem ligati immobiles permanebant. Armis quoque suis pugnabant, sed paucos vulnerabant: acies enim armorum*

quasi

tandem videbatur, mors abstulit.

14. LVDOVICO EXTINCTO.] Anno IↃ.CCC.LXXXII. XIII. Kal. Decemb. ut Veteres Annales: XIII. Kal. Septembr. ut Regino, qui hæc de rebus illius: *Sepultus est in Loresheim, juxta Patrem in Cœnobio. Habuit autem Liudgardam Reginam in matrimonium copulatam, ex quâ filium unicum suscepit, quem nomine suo Ludovicum appellavit: sed ut præmisimus, post obitum fratris, ad obtinendum Regnum ejus, Bajoariam ingressus, & Ratubonæ cùm moraretur, idem puerulus de fenestrâ cecidit, & confractis cervicibus statim expiravit. Quæ non tantùm immatura, sed inhonesta mors, non solùm Regi & Reginæ, verùm etiam omni Domui Regiæ maximum luctum ingessit.*

15. ETIAM FRANCIAE.] Ludovicus Balbus enim anno IↃ.CCC.LXXIX. IV. Eid. April. diem clauserat, relictis ex Ansgardâ Ludovico, & Carolomano, ex Adeleide Carolo Posthumo, cognomento Simplice. Videndus Frodoardus, Historiæ Rhemensis lib. III. cap. XVIII.

16. ETENIM LVDOVICO.] Regino: *Ludovicus frater Carolomani moritur apud Sanctum Dionysium, ibiq; honorabiliter tumulatur, quem omnes Galliarum populi nimio planctu lamentati sunt. Fuit enim virtutis maximæ, Regnumq; sibi subditum à Paganorum infestatione potenter viriliterq; defendit. Inter cætera, quæ strenuè gessit, illud præcipuè prælium commendatur, quod adversum Normanos, in loco qui vocatur Sodalcurch, summis viribus exercuit; in quo certamine, ut ferunt, plusquàm octo millia hominum gladio prostravit.*

17. CAROLOMANO.] Hunc corpore fuisse debili enervoque colligunt aliqui ex epistolâ CLV. Ioannis Pontificis ad Anspertum Mediolanensem Archiepiscopum, quâ Romam eum ad Synodum vocavit, ut Carolus Crassus Longobardiæ Rex crearetur. Verba sunt: *Quia Carolomanus corporis, sicut audivimus, incommoditate gravatus Regnum retinere nequit, de novi Regis electione, ut omnes pariter consideremus, vos prædicto adesse tempore validè oportet.* Quid si hanc epistolam scriptam fuisse dicam, monente jam Carolomano, qui in venatione graviter læsus fuerat? Ita existimo. Reginonem audiamus: *Interea Carolomanus venatum perrexit* (& quomodo tam rudi exercitio aptus, qui infirmus viribus erat?) *ubi & ab apro graviter vulneratus post modicum vitam cum Regno amisit, sepultusq; est apud Sanctum Dionysium. Aiunt autem quidam, quod à quodam suo satellite, improvidè arma ferenti, vulneratus fuerit; & quia non sponte, sed invitus hoc facinus commiserat, idcirco à Rege celatum est, ne innoxius morti traderetur.*

HISTORIA.

SED dum ille vires suas bello [1] Normanico occupat, & [2] sine fructu pacis vincit: [3] Saraceni, velut occasionem nacti, Italiam denuo lacerant. Tarentinæ reliquiæ validam manum fecerant, incendiis & rapinis aptam. Ex ipsâ hac calamitate rerum Romana factio vires accepit, nuper indignata Imperium tradi exteris, cùm domestica virtus tan-

Ii tæ

tæ majeſtati par eſſet. Fractam divulſamque Caroli Magni potentiam, in poſteris aut laborare, aut collidi. Sibi Italiam ſufficere, ſuum ſi Auguſtum habeat: eum generoſiùs conſtitui, quàm accipi. 4 Audivit Pontifex, & libertati gloriæque Italiæ favens, cùm ſine diſcrimine refragari non poſſet, publico edicto velut temporum fata ordinavit: Vt ſi Carolus Craſſus non relictis liberis decederet, Regni Imperiique fortuna penes Italicos Principes eſſet. Intereà cum Normanis in Galliâ Craſſus luctatur; ſed 5 viribus eorum & furori impar. Quid dicam? Ne Italiæ deinceps Franci potirentur, domi, & ab immaniſſimo hoſte fracti: Regem verò debilitavit Barbaries hoſtium, ut ſuorum perfidia perderet, Quippe Germani, tanquam hac tutelâ nequaquam ſecuri, quinetiam in 6 Arnulfum Carolomani filium proni, Regnum 7 Carolo abrogârunt. Ille quàm 8 infra magnitudinem ſuam jaceret, tam impatienter privatam fortunam tulit. Vnde ſicuti regere difficile ei fuit: ita non regere, miſerum. Magis etiam ideo concupivit priſtinæ majeſtatis faſtigium, quia indignus illo habitus. Vitam cùm afflictam mœrore dehoneſtaret, mox fato correxit. 9 Obiit enim paullopòſt, felix quidem, quia calamitati ſuæ non ſuperfuit.

COMMENTARIVS.

1. NORMANICO.] Normani verâ origine Dani ſunt: quos Luitprandus Ticinenſis lib. v. cap. vi. Ruſſos eſſe exiſtimat: *Gens quædam eſt ſub Aquilonis parte conſtituta, quam à qualitate corporis Græci Ruſſos, nos verò à poſitione loci Normanos vocamus*. Quid ita? Teutonum, ſive veteri Francorum linguâ, virum Aquilonarem, ſive ab Aquilone venientem Normanus ſignificat. *Horum* (ut Rogeri Hovedeni verbis utar) *audax Francia militiam experta deliituit, ferox Anglia captiva ſuccubuit, dives Apulia ſortita refloruit, Hieroſolyma famoſa, & inſignis Antiochia ſe utraque ſuppoſuit.* Prima quidem Normanorum in Galliam irruptio tempora Ludovici, Clodovei filii, conturbavit, Duce Chothilaco, quemadmodum Gregorius Turonenſis lib. III. ſcribit. A Carolo Magno deinde, ac Ludovico non ſemel rejecti, ne omnia dicam, Carolum Craſſum feliciori bello aggreſſi ſunt. Nam cùm in agrum Atrebatum Morinorum & Menapiorum, Godefrido & Sigefrido ducibus, impetum facerent, Carolus, quia armis aver-

avertere hostem non potuit, pace & conditione compescuit. Quid? Sigefrido Giselam Lotharii Patruelis filiam despondens, in dotem Frisiam consignavit. Cùm rursus tamen turbarent Barbari, ac Rollone duce Neustriam invaderent, Carolus pacisci denuò, quàm pugnare maluit, & fœdere ac societate initâ, Neustriæ partem, quæ ab Eptâ flumine ad Britones extensa est, hostibus, jam non hostibus tradidit. Novi coloni, novum provinciæ nomen dederunt, ut suprà, cùm Austrasiam explicarem, retuli: atque hinc Normania, quæ Neustria priùs dictâ, appellationem accepit. Sed an satis ista sic presè? Nunc dilato ac confirmo. Primam Irruptionem, Aimonius exhibet, De Translatione & Miraculis Sancti Germani Episcopi: *Flagitiis quidem exigentibus actum est nostris, ut exteræ nationes à propriis egrederentur sedibus, videlicet Gens Danorum, qui vulgò Normani, id est, Septentrionales homines appellabantur, & superbo tumentiq; corde cum valido navium apparatu Christianorum fines intrarent.* Moverunt se sub Ludovico Pio, ut est in Annalibus Francorum: sed coacti fuerunt obsides Imperatori dare. Postea in Frisios irruerunt: sed iterum ab eodem Principe repressi, Teste Ludovici Aulico. Leguntur & eodem anno quoque impressionem in Galliam fecisse: & quasi hæc duntaxat præludia essent; imperante Lothario, & apud illos regnante Horichio, reversi, totam Galliam fœdè lacerarunt. Lupus Abbas Ferrariensis epist. xxxi. ad Guenilonem Episcopum audiendus est: *Quidam de Aquitania venientes Normanos inter Burdegalam & Santones irruptionem his diebus fecisse retulerunt, & nostros, id est, Christianos pedestri cum eis prælio congressos, & miserabiliter (nisi quos fuga eripere potuit) peremptos. In quo bello comprehensum Ducem Vasconum Siguinum, & peremptum etiam, juramento testati sunt.* Quid prætereа perpetraverint, ex Annalibus Francorum depromo: *Normani Regnum Caroli vastantes, per Sequanam usque Parisios navigio venerunt, & tam ab ipso, quàm ab incolis terra acceptâ pecuniâ copiosâ cum pace discesserunt. In Frisiâ quoque tribus præliis conflixerunt, in primo quidem victi, in duobus superiores effecti, magnam hominum multitudinem prostraverunt. Castellum quoque in Saxoniâ, quod vocatur Hammaburg depopulati.* Aimonius libro v. Rerum Francicarum, cap. xx. tradit, eos, postquam S. Germani Cœnobium diripuissent, id scelus dysenteriâ luisse. Quinimò idem Auctor in libro de Miraculis S. Germani testis est, eos ob impietatem tot malis afflictos fuisse, ut cùm Turonum obsidione premerent, posito in muris ab incolis S. Martini cadavere, protinus aufugerint, verentes, ne divinæ alicujus vindictæ impetus ab hoc corpore in suas copias derivaretur. Post aliquot annos iterum in Galliam proruperunt, & Carolum Regem eò redegerunt, ut sedes illorum suo privilegio confirmare coactus sit. Veteres Annales: *Normani Godefrido Duce per Sequanam ascendentes, Regnum Caroli prædantur. Ad quorum expulsionem Lotharius in auxilium vocatus, cùm sibi cum hoste pugnandum esse putaret, Carolus clàm mutato consilio Godefridum cum suis in societatem Regni suscepit, & terram eis ad habitandum delegavit.* Eodem anno, nova Normanorum manus à Septentrione venit, Hispaniamque tentavit: sed fœdè à Ramiro Rege attrita est. Tudensis: *Ejus tempore Normanorum classes per Septentrionale mare ad litus Legionis*

civitatis advenerunt. Gens hæc est crudelissima, & in partibus nostris antea non visa. Quod Rex ubi comperit, adversus eos cum exercitu suo venit, & multitudinem eorum vicit, & septuaginta naves eorum combussit, atq; multis ditatus divitiis ad propria incolumis reversus est. Illi verò, qui jam consortes Regni Carolo erant, sedesque suas Normaniam appellaverant, post triennium graves iterum fuerunt. Proferunt arma, sæviunt, & tanquam nihil adhuc possiderent, proxima aggressi sunt. Nimirum, ut Gallia tota Normania fieret. Annales: *Normani per Ligerim flumen venientes, Turonum Galliæ civitatem prædantur, Ecclesiamq; S. Martini Confessoris, nemine resistente, succendunt.* Regino addit: *Repentinâ Irruptione civitatem Nannetensem invadunt, omnia cædibus, incendiis, ac rapinis depopulantes, Pontificem civitatis, ipso die Sabbato Paschæ, cùm Baptismum ex more celebraret, in Basilicâ interficiunt, clerumq; trucidant; omnemq; in circuitu regionem devastantes, primùm Andegavensem, deinde Turonicam occupant urbem*. Sed hæc impietas divinam ultionem evadere non potuit. Internæ inter Barbaros discordiæ natæ sunt, & civili sanguine ipsa crudelitas domi maduit. Vetus Chronicon: *Civile bellum ortum inter Horic Danorum Regem, & filium fratris Guiduym, qui Regno pulsus piraticam exercebat; universoq; populo factione diviso, parte alterâ Regi, alterâ Nepoti studente, miserabili modo conciderunt, de Regiâ stirpe non nisi puerulo remanente*. Post illa iterum, Ludovico II. imperante, à Carolo Rege, operâ Comitis Roberti, sævâ clade affecti fuere, ut liquet ex epistolâ Nicolai Pontificis, quâ Carolo Victoriam congratulatur. Deinde vicennali propemodum quiete se continuerunt. Nam qui anno Christi IↃ. CCC. LXX. ut est apud Matthæum Westmonasteriensem, ducibus Hinguaro & Stubbâ, Angliam devastaverunt, novam fuisse Danorum manum existimo, & à Cimbricâ Chersoneso venisse: item & illam, quæ quadriennio pòst Beorredum Regem Merciorum Angliâ ejecit; de quâ Irruptione Ingulfus, & alii scribunt. Mortuo verò Ludovico Germaniæ Rege, fratre Caroli Crassi Imperatoris, occasionem prædæ sibi oblatam cernentes, *Trevirensem urbem invaserunt*, ut est in Annalibus Francorum, *& habitatoribus urbis partim expulsis, partim occisis, totam Nonis April. incenderunt*. Vastârunt deinde, ut breviter, & ex iisdem Scriptoribus dicam, Franciam, & Lotharingiam, mox Ambianum, Atrebates, Corbejam, Cameracum, Tarvennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachatensium, omnemque circa Scaldim fluvium terram. Inde Vahalim amnem ingressi, totam Bataviam percurrunt, Palatium etiam Neomagense incendunt. Neque hac depopulatione satiati, per Mosam ascendunt, Leodium, Trajectum, Tungrensem urbem, Coloniam quoque Agrippinæ, Bonnam, Tulpiacum, Iuliacum, Novesium, Aquisgranense Palatium, Prumiense cœnobium, Malmudariense, & Stabulense flammis exurunt. Planè quasi Vulcanum quoque in expeditionem ducerent, illique graviora impedimenta, & reliqua id genus quæ rapere non poterant, in partem relinquerent. Vide Notgerum, oculatum testem, libro De Miraculis S. Remacli, & Sigebertum in Chronico: *Eâ tempestate Carolus Imperator in Italiâ morabatur, ubi diversis legationibus Germania ac Galliæ pulsatur, ut ad suscipienda Regna, sibi hereditario jure competentia, festinaret* (Bajoariam nimirum & Lo-

tharin-

tharingiam) *& periclitanti Imperio succurreret, quod capite amisso ludibrio hostibus erat. Qui nihil tardius cum omnibus copiis in Franciam venit, & cum Longobardis, Bajoariis, Thuringis, Saxonibus, Frisonibus, & omnibus Regnis suæ ditioni subditis, Normanos in supradicto loco obsidere exorsus est; sed conatus ejus parum effectum obtinuit, quanquam, ut diximus, è diversis Regnis, & gentibus inæstimabilis multitudo in unum confluxit, indignatione cælesti super populum, Christianam Religionem profanantem, desæviente. Novissimè Godefridus Rex Normanorum eâ conditione Christianum se fieri pollicetur, si ei munere Regis Frisia Provincia concederetur, & Gisla filia Lotharii in uxorem daretur. Qui, ut optavit adeptus, baptizatus est, & ex sacro fonte ab Imperatore susceptus. Sigefrido, & reliquis Normanis immensum pondus auri & argenti expositum est; & tali tenore fines Regni excedunt.* In vetusto Manuscripto Andegavensi hæc ad Carolum Simplicem referuntur, & de Rollone agitur: datam fuisse Normaniam, & Gissam fuisse Caroli filiam: *Carolus Stultus dedit Normaniam Rolloni cum filiâ Gissâ. Hic non est dignatus pedem Caroli osculari: cumq; comites illum admonerent, pedem Regis acceptione tanti beneficii oscularetur, linguâ Anglicâ respondit.* Nese by God; *quod interpretantur, non per Deum. Rex verò & sui illum deridentes, & sermonem ejus corruptè referentes, illum vocaverunt Bi-God: unde Normani adhuc vocantur Bigodi.* Sed hæc in medio relinquens, ad Reginonem redeo, cujus fide hîc lubens utor; quia se tum temporis Monasterii Prumiensis custodem fuisse scribit: *Exactis aliquot mensibus Sonum fluvium, denuò intraverunt, ibiq; consederunt, quorum creberrimas incursiones, cùm Carolomanus sustinere non posset, pecuniam pollicetur, si à Regno ejus recederent. Mox avidæ gentis animi ad obtinendam pecuniam exardescunt, & duodecim millia pondo argenti puri atque probati exigunt, totidemq; annis pacem promittunt.* Non adhuc Normanis caussa dispoliandi Galliam defuit: nam morte Carolomani cognitâ, *protinus in Regnum revertuntur. Itaque Hugo Abbas, & cæteri proceres, Legatos ad eos dirigunt, promissionem & fidem datam violatam esse proclamant. Ad hæc illi respondent, Se cum Carolomano Rege, non cum alio aliquo fœdus pepigisse, quisquis ille esset, qui in Regnum ejus succederet, ejusdem numeri & quantitatis pecuniam daret, si quietè ac pacificè Imperium tenere vellet. Territi hujuscemodi mandatis, Optimates Regni, ad Carolum Imperatorem Missos dirigunt, eumq; ultro in Regnum invitant, atq; advenienti ad Gundolfi villam obviàm procedunt, & manibus sacramentisq; juxta morem datis, ejus ditioni se subdiderunt.* Hoc igitur est quod in Historiâ dixi: *Carolus à Proceribus ipsis vocatus est, ut ab eodem & Rege & Imperatore Normanorum vis & crudelitas reprimeretur.*

3. SINE FRVCTV.] Iterum Regino: *His etiam diebus Normani à Sono exeunt, & rursus in Regnum Lotharii revertentes, in loco qui dicitur Loven, castrametati sunt, in confinio ejusdem Regni, & continuis infestationibus, utraque Regna* (Galliæ & Lotharingiæ) *fatigant, ad quorum malitiam compescendam, Imperator semel & iterum exercitum misit, sed nihil dignum memoriâ adversus tantam tamq; violentam rapacitatem actum est.* Reliqua I. LIPSIVS noster, Clarissimæ memoriæ vir, exsecutus est in Lovanio suo, & de victoriâ Arnulfi Imperatoris simul egit, quâ vires Barbarorum fractæ, quietem potuerunt admittere.

4. SARACENI.] Pergam

 gentis

gentis illius res gestas, à strage Apula, quam Ludovicus II. in prædones edidit, enarrare. Non poterant verò Saraceni, quamvis plurimis cladibus attriti, fertilitatis Italiæ oblivisci. Itaque maritima aliqua oppida semper conati sunt retinere, ut liber in penetralia regionis aditus pateret. Accedebant discordiæ & æmulationes Italicorum Principum: quibus Barbaries illa non semel hactenus feliciter usa, fortunam auxerat. Siquis hostem haberet, is adjunctis sibi Afris prædonibus, injurias vindicatum ibat: siquis potentioris vim fortè timeret, eorum manu se tuebatur. Breviter Italiæ lites hoc genus hominum in publicam perniciem nutrivêre. Sergius Dux Neapolitanus, ut est apud Petrum Diaconum Casinensem, operâ Saracenorum, in Insulâ Salvatoris, S. Anastasium obsedit, & nisi Marinus Præfectus Amalphitanus classe eos abegisset, Sanctus Præsul in hostis venisset potestatem. Calamitatum catena est. Eodem anno novę Saracenorum copię in Italiam trajicientes, Salernum longâ obsidione fatigant: sed ab Imperatoris exercitu profligati, obsidionem solvunt. Horum Dux impietatis suæ poenas morte dedit, ut Herembertus in rebus gestis Longobardorum Principum Beneventanorum asseverat: *Cùm magnus ex Africâ advenientium exercitus Saracenorum Salernum civitatem sub Guaiferio Principe vallasset, diúque eadem obsidio perdurasset, cumq; eorum Princeps, nomine Abdila, Ecclesiam SS. Martyrum Fortunati, Caji, & Anthes sibi in habitaculum delegisset, & magno eorundem SS. Martyrum contemptu omne genus impudicitiæ super altare ejusdem Ecclesiæ, ubi stratum parârat, exercere soleret: accidit, ut dum illic reluctantem opprimere virginem conaretur, repentè sacrilegum ultio divina perculerit, trabe è tecto delapsâ super eum, quâ, illæsa penitus virgine, scelestissimus & impurissimus Arabs extinctus est: in cujus locum Saraceni alium subrogârunt, Regem Abimelech Eunuchum. Ad miraculi evidentiam declarandam accessit, quòd trabs illa procul ab altaris perpendiculo distans, nonnisi divinâ potentiâ potuit in sacrilegum Saracenum, altare profanantem, mitti.* Triennio pòst Pontificiam ditionem vastâ populatione infestaverunt. Fidem ipsius Pontificis Ioannis VIII. adduco; qui epistolâ XI. ad Carolum Calvum calamitates has describit, opemque implorat: *Quanta & qualia per impiam gentem patiamur Saracenorum, quid dicam? quæ scribere quilibet stilus non sufficit, cùm omnia ligna silvarum si vertantur in linguas, narrare non valeant.* Et paucis prætermissis: *Ecce, proh dolor! inimicis Crucis Christi gratulantibus, solus fidelium cœtus magnâ amaritudine consumitur, Christianorum sanguis effunditur, devotus Deo populus continuâ strage vastatur. Nam qui evadit ignem vel gladium, præda efficitur, captivus trahitur, & exul perpetuus constituitur. En civitates, castra, villæ destitutæ habitatoribus: perierunt & Episcopi huc illacq; dispersi; sola illis Apostolorum Principis limina derelicta sunt in refugium, cùm Episcopia eorum in ferarum sint redacta cubilia, & ipsis vagis & sine tectis inventis, non jam eis liceat prædicare, sed mendicare.* Addit idem Antistes: *Quid de paganis dicimus, cùm Christiani nil melius operentur? Quidam videlicet ex confinibus & vicinis nostris, quos Marchiones solitò nuncupatis.* Hos fuisse puto Sergium Neapolitanum Ducem, & Adalgisum Beneventanum. Nam epist. V. & XXVIII. perfidiam illorum meminit. Sed cùm Carolum rebus Galliæ occupatum, plerique Principes, Præfectique notarent,

rent, Adalgisi, & Sergii vestigia secuti, foedera cum Saracenis inierunt: inter quos fuêre Pulcherius Præfectus Amalphitanus, Athanasius Episcopus Neapolitanus, & Guaiferius Salerni Princeps, quem posteà sacratissimus Præsul in suas partes traxit; adeò ut non parvam stragem, teste Leone Ostiensi, in Saracenos ediderit. Posteà Capuanæ, Cajetanæque turbæ Saracenis iterum rei augendæ ansam præbuerunt. Idem ille Leo libro v. cap. XLIII. totam rem ordine enarrat: *His diebus Capuani, expulso Landulfo Episcopo, canonicè electo, Landenulfum quendam è suis nobilibus, conjugatum atque neophytum sibi in Episcopum elegerunt, multisq; precibus jam dictum Papam fefellerunt, ut eis ille consecraretur Episcopus. Quocirca Bertharius venerabilis Abbas Cassinensis, & Leo Theanensis Episcopus Romam profecti, Summum Pontificem orabant, ne injustæ postulationis precibus ullis annueret, ex quâ gravis populo ruina immineret, & multa effusio sanguinis consequeretur. Atque ut apertiùs scias: Apostolicè, inquit Abbas, si id fieri permittas, magnum profectò ignem, qui te quoque corripiat, succendes. Tunc ille primò tanti viri constantiâ territus, postmodum iniquitate prævalente, neophytum, hoc est, laicum hominem, ut petebatur, consecrari permisit. Hac civili discordiâ Saraceni opportunitatem nacti, rursus universa diripiunt, iterum cuncta populantur. Cujus rei gratiâ Apostolicus est Capuam venire coactus. Videns igitur ipsi contigisse quod noster illi prædixerat Abbas, indoluit animo, ac pœnitentiâ ductus, Landulfum, quem supra pulsum memoravimus in Ecclesiâ B. Petri Apostoli Capuæ Veteris ordinavit Episcopum: Landenulfum verò Capuanæ Ecclesiæ praeesse constituit, cunctumq; Episcopatum mandavit inter utrumque æquâ sorte distribui. Post hæc Landenulfus, qui tunc Capuæ præerat, in Papæ fide perdurans, oravit eum, ut ditioni suæ Cajetam subjiceret: namque eo tempore Cajetani Romano tantùm Pontifici serviebant. Quod cùm illi Papa concessisset, Cajetanos tam acriter infestare cœpit, ut illis vel usque ad Molas egredi non liceret. Docibilis quidem tunc eis præerat Dux. Is tantum dedecus sibì suisq; illatum, minimè ferendum putans, misit Agropolim; & Saracenos ibi degentes evocans, primùm illos ad lacum Fundanum per mare deduxit, in locum qui S. Anastasia dicitur. Inde per fluvium Fundos usque ascendentes, ibi scaphis egressi, cunctáque per circuitum depopulantes, Cajetam tandem pervenerunt, & in Formianis collibus castra posuerunt. His Papa compertis, pœnitentiâ ductus, blandis alloquiis, & epistolis ac pollicitationibus multis Cajetanos lenire cœpit, ut eos sibi conciliaret, atque à Saracenis abduceret. Cujus monitis Docibilis Princeps obtemperans, rupto fœdere, bellum cum Saracenis protinus iniit; in quo tamen Cajetanorum plurimi cæsi & capti sunt. Rursum Saraceni cum Docibile fœdus inierunt, captivisq; redditis, Garilianum ad habitandum ab eo directi sunt. Ibi annis fermè quadraginta constituti, innumera undique mala gesserunt, multúmq; Christiani sanguinis effuderunt. Quo in loco dum eos crebrò Principes nostri debellare tentassent, divino judicio, usque ad id tempus invicti perstiterunt* Anno IↃ. CCC. LXXXI. ut Ecclesia fœdiùs laceraretur, cum Christiano, & Episcopo quidem, Saraceni prædas egerunt. Leo Ostiensis lib. I. cap. XLII. *Athanasius Sergio subrogatus firmatâ cum Saracenis pace, Beneventum, Capuam, Salernum, Romamq; depopulari cum eis cœpit: multaq; tunc Monasteria, & Ecclesiæ cum villis & urbibus, impiorum incendio conflagrarunt.* Tempore verò, quo Carolus Crassus adversus Norma-

Normanos non satis ex animi sententiâ rem gereret, à Saracenis Monasterium S. Vincentii ad Fontes Vulturni fuisse incensum, & nonaginta Religiosos capite plexos, scribit Ioannes, ejusdem Monasterii Monachus: & Monasterium S. Benedicti Cassinense flammis exustum, occisumque Abbatem Berthariūm, Leo.

4. AVDIVIT PONTIFEX.] Adrianus Tertius.

5. VIRIBVS EORVM ET FVRORI IMPAR.] Regino: *Normani à Loven recedentes, Sequanam ingrediuntur, & Parisios applicantes, castra ponunt, & civitatem obsidione claudunt: contra quos Imperator Henricum ducem cum exercitu tempore vernali dirigit, sed minimè prævaluit. Erant enim, ut ferunt, XXX. & eo ampliùs adversariorum millia, omnes penè robusti bellatores. Denuò æstivo tempore, antequam segetes in manipulos redigerentur, idem Henricus cum exercitibus utriusque Regni Parisios venit, & circumstantibus legionibus, ipse cum perpaucis propiùs accedens, munitionem circuit, situm loci contemplatur, aditum perquirit, quo exercitui cum hostibus minùs periculosius pateret congressus. Porrò Normani audientes appropinquare exercitum, foderant foveas latitudinis unius pedis, & profunditatis trium in circuitu castrorum, easq; quisquiliis & stipulâ operuerant, semitas tantùm discursui necessarias, intactas servantes. Pauci igitur latrunculi, qui latitabant in concavis viarum itineribus, videntes Henricum appropinquantem, citò surgunt à locis quibus delituerant, provocantq; virum telis, & voce lacessunt. Ille autem magnitudine indignitatem non ferens, super eos irruit, & mox incertis foveis equus ejus impegit, & cum ipso in terram corruit: hostes summâ cum festinatione advolantes, antequam à loco elevaretur, cum in terrâ confodiunt, & adspiciente universo exercitu, absque mora ullâ trucidant, arma auferunt, & spolia ex parte diripiunt. Agminibus autem impetum facientibus, vix cadaver exanime eruitur, & à suis usque Suessiones deportatur, in Basilicâ S. Medardi sepelitur: exercitus amisso duce ad propria revertitur.* Abbo Floriacensis Abbas libro II. De obsidione Parisiensi canit, Henricum Normanos voluisse cingere, & sic occidisse. Pergit Regino: *Post hæc Imperator Galliarum populos perlustrans, Parisios cum immenso exercitu venit, ibiq; adversus hostes castra posuit; sed nihil dignum Imperatoriâ Majestate gessit. In eodem loco ad extremum concessis terris & regionibus, quæ ultra Sequanam erant Normannis, ad deprædandum, eò quod incolæ illarum sibi obtemperare nollent, recessit, & recto itinere in Alemaniam abiit.* Sigebertus ait, eum firmatâ pace, & Galliarum concessâ parte, vasa collegisse: *Cùm Normanos nequiret expellere, tandem facto fœdere, concessit eis regiones, quæ erant ultra Sequanam.* Abbo tradit, Imperatorem septingentis argenti libris abitum eorum emisse.

6. ARNVLFVM.] Hic est nobilis ille Spurius, Carolomani Regis Italiæ filius, Ludovici Regis Germaniæ nepos, Ludovici Pii Imperatoris pronepos, qui prope Tiliam amnem, & in his ipsis urbi Lovaniensi proximis patentibusque campis, Sigefridum, & Godefridum cum centum millibus Normanorum, uno dumtaxat è suis, ut volunt, amisso, delevit. Videndus LIPSIVS, ut dixi, in Descriptione Vrbis & Academiæ Lovaniensis: imò videndus Helmoldus lib. I. cap. VII. & Chronicon Fuldense.

7. CAROLO ABROGARVNT.] Non priùs Imperii fascibus exutum Auctores scribunt, quàm in amentiam

tiam impegisset. Luiduardum enim Vercellensem Præsulem Charissimum sibi, adulterii crimine oneravit; & Richardem Augustam Conjugem usque adeò suspicionibus suis lassavit, ut optima mulier, relicto diademate, in Monasterium se contulerit. *Mense itaque Novembri* (Reginonis verba sunt) *circa transitum S. Martini Triburias venit, ibiq. Conventum generalem convocat. Cernentes Optimates Regni, non modò vires corporis, verùm etiam animi sensus ab eo diffugere, Arnulfum, filium Carolomani, ultrò in Regnum attrahunt, & subito factâ conspiratione, ab Imperatore deficientes, ad prædictum virum certatim transeunt; ita ut in triduo vix aliquis remaneret, qui ei saltem officia humanitatis impenderet.* Hæc Carolo obtigisse sextâ hebdomade ante quàm fatis concederet, auctor est Ioannes Asser, Episcopus Starisburiensis, in vitâ Adelfridi Britannorum Regis.

8. INFRA MAGNITVDINEM.] Nam alimentis eguisse Imperatorem, Carolinæ stirpis potentissimum, apud eundem Reginonem lego: *Mittit ergò ad Arnulfum ex Imperatore effectus egenus, & desperatus rebus, non de Imperii dignitate, sed de victu quotidiano cogitans, tantùm alimentorum copiam ad subsidium vitæ præsentis supplex exposcit. Dirigit etiam Bernardum filium, quem ex pellice susceperat, cum Xeniis, eumq. ejus fidei commendat. Miseranda rerum facies, videre Imperatorem opulentissimum non solùm fortunæ ornamentis destitutum; verùm etiam humanæ opis egentem. Concessit autem Arnulfus Rex nonnullos fiscos in Alemaniâ, unde ei alimonia præberetur.* O rerum humanarum scenam! Iacet ecce ad egestatem dejectus, & gemens, qui summus fuerat, ac totam Caroli Magni potentiam sibi vindicârat. Monarcham videas, ac mox mendicum: ne mirum sit, à sceptro ad ferulam detrusum aliquando Dionysium fuisse, quem frustra tyrannum appellamus. Quàm felix, tam infelix Crassus fuit, in quo Fortuna ostendit, quantum possit, ac Carolinæ stirpis, Imperiique fata memorando exemplo complevit. Ite Reges, & æterna vobis sceptra promittite: etiam hæc magnitudo collapsa est. Fuit, ut ostendi, Carolus Magnus, ille Pipini filius, Martelli nepos, Pipini pronepos, Ansegisi & Beggæ abnepos, S. Arnulfi adnepos, non unâ purpurâ Rex, summâ & Augustali Imperator: cujus virtutes potentiæ pares erant, nomen Imperio, magnitudine ipsâ, ut sic dicam, consecratum. Hujus filius Pipinus, Rex Italiæ fuit: fratri superstes Ludovicus Pius, quemadmodum Pater, Imperator. Bernardus, Pipini filius, Rex item Italiæ. Lotharius, Pii filius, Imperator. Ludovicus II. Lotharii filius, Imperator. Carolus Calvus, Pii & Iudithæ filius, Ludovici II. Patruus, Imperator. Ludovicus Balbus, Calvi filius, Imperator. Carolus Crassus, Ludovici Germaniæ Regis filius, Pii nepos, Caroli Magni pronepos, Imperator: Magnus etiam, nisi à fastigio tantæ fortunæ, & adhuc adolescens, subitò esset deturbatus. Deinceps igitur & Regnum Italiæ, & ipsum quoque Imperium, tanquam sibi debitum, Principes Italiæ vindicabunt: de quibus cum bono Deo copiosiùs mox dicturus sum.

9. OBIIT ENIM PAVLO POST.] Sic Tacitus, lib. II. Annalium, De Archelao Cappadociæ Rege: *Angore, simul fessus senio: & quia Regibus æqua, nedum infima insolita sunt, finem vitæ sponte an fato implevit.* Carolus verò è vivis sublatus est, scri-

bente Reginone: *Prid. Eid. Januarii,* (Aut ipsis Eidibus) *sepultusq. est in Augiæ* (prope Constantiam in Insulâ Rheni) *Monasterio. Fuit vero hic Christianissimus Princeps, Deum timens, & mandata ejus ex toto corde custodiens, Ecclesiasticis Sanctionibus devotissime parens, in eleemosynis largus, Orationi & Psalmorum melodiis indesinenter deditus.* Mentio fit etiam libelli cujusdam, apud Guilielmum Malmesburiensem lib. II. cap. II. & illum, qui Auctarium ad Bedam scripsit, de Stygia visione Caroli, quâ & Principes, & Episcopos, civilis dissidii fomites, flammis torqueri notavit. Epitaphium addo, quod in Originibus suis Francicis Io. Isacius Pontanus Clarissimæ doctrinæ ac diligentiæ Vir expressit, à Christophoro Episcopo Constantiensi instauratum:

CAROLUS CRASSUS, REX SUEVIAE, PRONEPOS CAROLI MAGNI, ITALIAM POTENTER INTRAVIT, EAMQUE DEVICIT, IMPERIUMQUE ROMANUM, UBI CAESAR CORONATUS, OBTINUIT, AC MORTUO FRATRE LUDOVICO, UNIVERSAM GERMANIAM ET GALLIAM IURE HEREDITARIO ACQUISIVIT, DEMUM ANIMO MENTE ET CORPORE DEFICIENS, AB IMPERIO SANE MAGNO CUM FORTUNAE LUDIBRIO DEIECTUS, A SUIS OMNIBUS POSTPOSITUS, HUMILI HOC IN LOCO SEPULTUS IACET. OBIIT ANNO DOMINI D. CCC. LXXXVIII. IDIB. IAN.

ERY-

ERYCI PVTEANI
HISTORIÆ INSVBRICÆ
LIBER V.

BREVIARIUM.

ALieni *impatiens sceptri Italia, in se irruit. Vido & Berengarius de Regno contendunt. Sed hic, Insubrum licet manu subnixus, vincitur pellitúrque. Non felicior Arnulfi copiis, à novo Rege, & jam Imperatore rejectis. Ipso Arnulfo opus erat, ut Berengarius restitueretur. Sic victus Vido & fugiens, fatis concessit. Lambertus igitur, Vidonis filius, Regnum, dejecto rursus Berengario, occupat. Interea Arnulfus à Pontifice evocatus, ut Sergianam factionem comprimeret, Romam capit, & Augustali purpurâ auctus, cùm frustra Lambertum armis, Berengarium insidiis peteret, Italiam reliquit. Translato in Lambertum Imperatoris quoque titulo, caussam Berengarii Insubres suscipiunt, sed irrito eventu. At Lambertus, cùm vim superasset, parricidio cecidit. Ne sic quidem sceptrum Berengario firmum, turbante Ludovico, Bosonis filio, parteque Regni rapiente. Qui imminui potuit, pulsus est. An desperaret? In Italiam postliminio venit, stratagemate Ludovicum capit, & excæcat. Hungarorum Irruptio, ac nova à Saracenis procella. Berengarius tandem Imperator, à Rudolfo Burgundiæ Rege prœlio superatus, cùm adhuc animum non remitteret, amici manu interfectus est. Redeunt Hungari, gravique clade Ticinum subvertunt.*

HISTORIA.

NON omnium adhuc Barbarorum immanitate Italia perierat, & in se conversa, intestino scelere ruinam quæsivit. Nihil tristius, aut 1 calamitosius eo tempore & statu: si status tamen dicendus est, in quo nulla quies fuit, nisi quod sævitiæ & tyrannidi datum. Tanquam fatum suum exteris inviderent Italici, ferrum in se mutuò stringunt,& quam vindicatum eunt Regni purpuram,majori rabie lacerant. 2 VIDO, & 3 BERENGARIUS, ille Spoletinorum, hic Forojuliensium Dux, Pontificis Decreto subnixi, sceptrum moliuntur: primùm fœdere, dum 4 Crassi adhuc viventis Regna dividunt: dehinc bello, postquam feliciùs Italiam Berengarius, 5 quàm Galliam Vido invasisset. Hic igitur, quam ab hoste non potuit fortunam, ab amico & socio extorquere aggressus est, & reductis domum copiis, pro Italiâ bellum in Italiâ gerere. In partes ipse Pontifex, & hoc exemplo populi veniunt. Tanquam faciliùs duorum Regum ferro, quàm imperio sufficerent, in sua viscera sanguinemque armantur. 6 Furor fuit non minor partium, quàm Ducum: ac dum caput sibi quærit Italia, salutem impendit, insanientiumque more, manus ac membra sua cædit. Non potuit sine hoste Rex constitui: & qui sub alieno nolebant imperio vivere, 7 libertatem oppresserunt. Prior coronam Berengarius, arma Vido capit: qui, ut parem in bella titulum ferret, Rex quoque 8 à Pontifice salutatur. Magno studio Insubres Berengarium, Romani Vidonem sequuntur: tanquam felices, quorum Rex vicisset. Ac prima quidem 9 belli alea ad Trebiam amnem tentata, convertit in Berengarium stragem. Cæduntur Insubres, fugit Rex, sed ut vires denuo colligat. In agro Brixiano iterata pugnâ concurrunt exercitus, nec ullâ virtute conciliare sibi fortunam

nam victus semel Berengarius potuit. Idem & prœlii, & Regni tum finis fuit. Vido, repulso & fugato æmulo, Ticinum, Mediolanumque occupat; & quia ultrà non est hostis, universam provinciam potestatis suæ facit. Non potuit igitur Regni majestate virtus victoris claudi; & quia jus Imperii Romani, nomenque præ libertate æstimatum, Regem suum non satis magnum putavit Italia,[10] nisi & Imperatorem haberet: prorsus domesticam servitutem gloriæ quadam umbrâ vestiens. Ad summum evectus Vido,[11] potentiæ sedem Ticini collocavit.

COMMENTARIVS.

1. CALAMITOSIVS EO TEMPORE.] Non in Italiâ tantùm, sed in Galliâ quoque, aliisque locis. Prudenter, & ad rem Regino: *Post Caroli mortem Regna, quæ ejus ditioni paruerant, veluti legitimo destituta herede, in partes à suâ compage resolvuntur. Etiam non naturalem dominum præstolantur; sed unumquodque de suis visceribus Regem sibi creare disponit. Quæ caussa magnos bellorum motus excitavit; non quia Principes deessent, qui nobilitate, fortitudine, & sapientiâ Regnis imperare possent; sed quia inter ipsos æqualitas generositatis, dignitatis, ac potentiæ discordiam augebant, nemine tantum cæteros præcellente, ut ejus dominio reliqui se submittere dignarentur. Multos enim idoneos Principes ad Regni gubernacula moderanda Francia genuisset, nisi fortuna eos æmulatione virtutis in pernitiem mutuam armasset.*

2. VIDO.] Lamberti Ducis Spoletinorum filius, nonnullis Guido appellatus, de quo Luitprandus libro 1. cap. VI.

3. BERENGARIVS.] Ennarhardi Forojuliensis Ducis filius, Reginone teste. Rex fuit clemens, & pius, ac nisi bello fortassis compulsus rerum nervum quærere, haudquaquam avarus.

4. CRASSI ADHVC VIVENTIS.] Luitprandum audiamus lib. 1. cap. VI. *Vido, & Berengarius tanto sunt amicitiarum fœdere conglutinati, ut sibi hoc jurejurando promitterent, quòd si Regi Carolo superstites forent, alterius alter ordinationi conniveret: simul ut Vido quam Romanam dicunt Franciam, Berengarius obtineret Italiam.*

5. QVAM GALLIAM VIDO.] Quippe cùm ille Romam se conferret, ut à Summo Antistite Rex Franciæ ungeretur, *Galliarum populi*, ut Regino scribit, *in unum congregati, cum consensu Arnulfi, Odonem Ducem, filium Ruperti* (Sigeberto Rotberti scribitur) *virum strenuum, cui præ cæteris formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium sapientiæque magnitudo inerat, Regem super se pari consilio & voluntate creaverant: qui Rempublicam viriliter rexit, & contra assiduas deprædationes Normannorum indefessus propugnator existitit.* Vido verò Regis titulo à Summo Pontifice donatus, ut Luitprandus narrat lib. 1. cap. VI. *Franciam petiit: cumque Burgundionum Regna transiens,*

Franciam, quam Ramanam dicunt, ingredi vellet, Francorum nuncii ei occurrunt, se redire nunciantes, eò quòd longâ exspectatione fatigati, dum sine Rege diutius esse non possent, Odonem cunctis petentibus elegerunt. Fertur autem, hac occasione Francos Vidonem Regem sibi non assumpsisse: nam dum ad Metensem venturus esset urbem, quæ potentissimè in Regno Lotharii claret, præmisit dapiferum suum, qui alimenta illi more Regio præpararet. Metensis verò Episcopus dum cibaria ei multa, secundùm Francorum consuetudinem ministraret, hujusmodi responsa à dapifero accepit: si equum saltem mihi dederis, faciam ut tertiâ obsonii hujus parte sit Rex Vido contentus. Quod Episcopus audiens, Non decet, inquit, talem super nos regnare Regem, qui decem drachmis vile sibi obsonium præparat. Sicq; factum est, ut Vidonem desererent.

6. FVROR FVIT.] Regino: *Ex quâ dissensionum controversiâ tanta strages ex utrâque parte postmodum facta est, tantusq; humanus sanguis effusus; ut juxta Dominicam vocem, Regnum in seipsum divisum, desolationis miseriam penè incurrerit.*

7. LIBERTATEM OPPRESSERVNT.] Sic ferè apud Tacitum XVI. Annalium, Thraseæ Pæti accusator Cossutianus: *Vt Imperium evertant, libertatem præferunt; si perverterint, ipsam aggredientur.*

8. A PONTIFICE.] Stephano VI.

9. BELLI ALEA AD TREBIAM.] Ita Luitprandus lib. I. cap. VI. *Copiis utrâque ex parte collectis, juxta fluvium Trebiam, qui quinque à Placentiâ milliaribus distat civile bellum parant: in quo cùm partibus ex utrisque caderent multi, Berengarius fugam petiit, triumphum Vido obtinuit.* Trebia autem originem trahit è Bruno monte Apennini, & quingentis ferè passibus prolapsus, nonnullos rivulos in se recipit, labiturque in Placentinum agrum. Inde Æmiliam viam secat, ut Strabo tradit, jungiturque lateritio ponte. Tandem Avanto torrente auctus, in Padum se exonerat. Apud hunc secunda belli Punici secundi procella, in Sempronium Consulem desæviit, teste Floro, lib. II. cap. VI.

10. NISI ET IMPERATOREM HABERET.] A Stephano Pontifice Imperii fascibus Vido ornatus fuit; quemadmodum Onufrio, aliisque placet. Alii tamen ad Formosum referunt.

11. POTENTIAE SEDEM TICINI.] Nam solennem Conventum Regni caussâ in eâ urbe instituit, Beneficia Ecclesiæ & urbibus more Imperatorio indulsit, legesq; novas Kalend. Maii, anno Imperii primo promulgavit.

HISTORIA.

SED quàm varia fortuna Berengarium circumtulit! tanquàm per calamitates dignum redderet Regno. Ab [1] Arnulfo exceptus, missusque in Italiam, haud felicior alienis, quàm suis copiis fuit. Secundò fugiens, hostique cedens, non despondit animum: sic quidem pulsus magis, quàm victus. Et tamen, quasi debellatum esset, Vido mox Lambertum filium Regni socium adscivit. Quæ securitas magnæ sortis?

Cùm

Cùm quietem & pacem ordinaret, subito quodam motu, & prorsus tempestate, è culmine rerum deturbatus est. Igitur ad Arnulfum [1] viam sibi in Italiam facturus, fugit. Is Berengarium magnâ tandem militum manu reducit. Verona in potestatem redacta, veterem agnoscit dominum. Insubres terrore obcessi, & tutore destituti, qui fugerat, [3] urbes passim suas tradiderunt. Parum est fugere: repentino [4] sanguinis vomitu extinguitur, & plenam hosti victoriam concedit.

COMMENTARIVS.

1. AB ARNVLFO EXCEPTVS.] Rem distinctè Luitprandus narrat lib. I. cap. VII. *Arnulfum Regem in auxilium rogat, promittens se suosq; ejus potentiæ servituros, si virtutis suæ adminiculo Vidonem superaret, Regnumq; sibi Italicum vindicaret. Hujus planè tantæ promissionis gratiâ accitus Rex Arnulfus filium suum Zuentebaldum, quem ex concubinâ genuerat, valido cum exercitu, hujus in auxilium dirigit, veneruntq; pariter omni sub densitate Papiam. Vido verò ita fluviolum, qui Papiam alluit, Vervalum nomine, tam sudibus, quàm exercitu munierat, quatenus altera alteram, ipso medio discurrente, pars partem oppugnare nequiret. Vnus & vicesimus dies transierat, cùm sicut prædiximus, altera pars alteri nocere non posset, & Bajoariorum unus quotidie agminibus exprobrans Italorum, imbelles eos, atque equitandi inscios clamabat. Ad augmentum etiam dedecoris, inter eos prosiliit, hastamq; uni ex manu excussit, sicq; latus in suorum castra repedavit. Hubaldus igitur Bonifacii pater, qui pòst nostro tempore, Camerinorum, & Spoletinorum extitit Marchio, tantum gentis suæ dedecus cupiens vindicare, clypeo arrepto obviam mox prædicto Bajoario tendit. Is autem triumphi præteriti non solùm non immemor; sed eo factus audacior, seu de victoria jam securus, hunc contra properat lætus, cœpitq; vertibilem equum modò impetu vehementi dimittere, strictis modò habenis retrahere. Memoratus verò Hubaldus rectà eum cœpit adire. Cùmque in eo esset, ut mutuis se figerent vulneribus, more solito Bajoarius equo versili, varios flexosq; per anfractus cœpit discurrere, quatenus argumentis posset Hubaldum decipere. Verùm cùm hac arte terga verteret, ut mox rediens Hubaldum ex adverso percuteret, equus cui Hubaldus insederat, vehementer calcaribus tunditur, & per scapulas, antequam reverti posset, Bajoarius lanceâ ad cor usque perforatur. Hubaldus igitur freno Bajoarii præripiens equum, ipsum in medio fluvioli alveo exutum homine reddidit; sicq; suorum injuria ultor, de triumpho ad suos rediit hilarior. Hoc sanè factum non mediocrem Bajoariis terrorem, Italicis audaciam intulit. Inito quippe Bajoarii consilio, nonnulliq; Zuentebaldus à Vidone argenti acceptis ponderibus, in propria remeavit.* Sigebertus non ipsum quidem Zuentebaldum, donis corruptum prodit; sed Duces Præfectosque militiæ illius: *Guido viriliter agens, & primores exercitus donis corrumpens, eos inefficaces redire fecit.* cui ego lubentiùs accedo: nam postea pater illi, referente Reginone, honores Megingardi Comitis Clarissimi ex semisse detulit, ac tandem

dem Regnum Lotharii, ut est apud Othonem Frisingensem, libro VI. cap. XII. Cæterùm familiare comperio Vidoni fuisse, aurëis hastis confligere, & nervosissimâ belli machinâ hostem oppugnare. Cùm enim in Galliâ repulsam tulisset, *Berengarii etiam partibus faventes*, (verba sunt Luitprandi lib. I. cap. VI.) *ut infidos, pecuniarum gratiâ acquisivit.*

2. ARNVLFVS VIAM SIBI FACTVRVS.] Luitprandus lib. I. cap. VII. *Igitur Berengarius dum ubi prospera inimico, sibi adversa prospiceret, cum Zuentebaldo pariter Arnulfi Regis adiit potentiam, orans ac pollicens, ut si ipsum adjuvaret, se totam Italiam, ut antè promiserat, ditioni ejus suppositurum. Qui tanta promissionis gratiâ excitus, copiis collectis cominus Italiam adiit* (Regino reliqua:) *& circa Purificationem S. Mariæ, Castrum quod nuncupatur Bergomum, armis cepit, & Ambrosium Comitem ipsius Civitatis, laqueo ante portam ipsius urbis, in quadam arbore suspendit. Unde tantus timor super reliquas civitates cecidit, ut nullus auderet contradicere; sed omnes obviam procederent venienti. Pervenit autem usque Placentiam. Inde conversus, per Alpes Penninas Galliam intravit, & Sanctum usque Mauritium pervenit. Rudolfo, quem quærebat, nocere non potuit: quia montana conscendens, in tutissimis locis se absconderat. Regionem inter Juram & Montem Iovis, exercitus graviter attrivit: pòst Vuormatiam venit.* Eadem Frisingensis.

3. VRBES PASSIM SVAS TRADIDERVNT.] Mediolanum adversus Vidonem, defendendæ urbis gratiâ, missus fuit ab Arnulfo Otho Magnus, qui tum adolescens sub Rege stipendia faciebat.

4. SANGVINIS VOMITV.] Apud Tarum flumen, in agro Placentino. Dissentiunt hîc Scriptores nonnulli, negantque Arnulfum secundò venisse in Italiam; sed unâ modò expeditione Longobardiam Romamque fuisse occupatam; & Vidonem redeuntis vestigiis Arnulfi inhæsisse, moxque diem clausisse: sed nos certioribus vestigiis insistimus.

HISTORIA.

IN fatis tamen erat, Insubres quieti. LAMBERTVS velut belli heres, paternum Regnum armis repetit, validâque Italicorum factione impulsus, occupat, non auso Berengario experiri prœlii eventum. Opus iterum Arnulfo erat, ut mutaretur Italiæ status: atque ille ab ipso vocatus Pontifice, [1] Sergianorum injuriis presso, venit, [2] Romam obsidet, & irruptione capit. Stragem si examines, nihil sævius Saraceni potuissent. Itaque [3] pulso Sergio, & [4] compressâ eius factione, nomen & insignia Imperatoris sumit. Sed hoc terrore [6] frustra Lambertum insecutus, cùm & Berengarium [7] insidiis tentasset, [8] Italiæ in se odium concitavit. [9] Abiit igitur, sat magnus, [10] quòd ad suos Imperator rediret. [11] Quem titulum

titulum Stephanus, deinde Pontifex, ab Arnulfo, tanquam vitio creato, in Lambertum transtulit, atque Berengarii spes sic magis attrivit. Sed (ô res humanæ!) quem periisse diceres, [12] regnare iterum Italiæ Proceres jusserunt. Mediolanenses, ductu [13] Mangifredi Præfecti sui, caussam nuperi Regis amplectuntur, nec minùs prompta arma quàm consilia habent. Etenim ad bellum accincti, vicinas urbes, quas sive metus, sive fides Lamberto obstrinxerat, hostili incursu & populatione terrent. Frustra etiam vis & conjuratio oppressa est, frustra de Mangifredo supplicium sumptum: transferri sceptrum debuit, ut majori etiam inconstantiâ versaretur. Rex, quàm in patrem severus, tam [14] in filium Hugonem benignus fuit: & tanquam æquè facile esset, placare, atque occidere, hunc honoribus auget, & ingenti familiaritate complectitur. Sic fata voluerunt, ut ultro sibi adsci sceret parricidam suum. Non profectò potuit ullo [15] humanitatis officio injuriæ memoria deleri: erupit per ipsa beneficia vindictæ cupido, & naturâ stimulante, vesanum juvenis animum ad immane facinus exacuit. Admittebat interim lætissimo vultu, ægerrimo pectore liberalitatem Regis, & sic potuit fallere. Namque profundâ simulatione mersit consilium sceleris, ut tutâ ultione pietati parentaret. [16] Occasionem venatio dedit. Ergò forte fortunâ à reliquo disjunctum comitatu, & labore fessum, parricida invadit, & fuste subdormientis cervices elidit; ut casu, non scelere extinctus videretur, totamq; [17] culpam equus, sustineret, tanquam excussor & proculcator.

COMMENTARIVS.

1. SERGIANORVM INIVRIIS PRESSO.] Originem Romanæ hujus factionis è Sigeberto expediam: *Formosus Portuensis Episcopus, Romanæ Ecclesiæ* CXIV. *præsidet, contra voluntatem quorundam Romanorum, qui Sergium, Diaconum Romanæ Ecclesiæ, Papam facere voluerant, sed non praevaluerant. Hic Formosus, cùm aliquando in sinistram suspicionem venisset Octavo Ioanni Papæ, timore ejus fugiens, Episcopatum Portuensem reliquit; & quia revocatus à Papâ, redire noluit, anathematizatus est; & tandem ad satisfaciendum Papæ in Galliam veniens, usque ad Laïcalem habitum degradatus est,*

est, jurans se non ampliùs Romam intraturum, nec Episcopatum suæ Vrbis repetiturum; confirmans etiam propria manûs subscripto, se in Laicali communione perseveraturum. Post à Marino successore Ioannis in Episcopatu, contra datum sacramentum restitutus, non solùm Romam intravit; sed etiam Romanæ Ecclesiæ Papatum suscepit. Propter quod, cum multo scandalo, multa per multos annos quæstio & controversia agitata est in Ecclesiâ; aliis ejus, & ab eo ordinatorum consecrationem irritam esse debere judicantibus, aliis econtrà. Luitprandus hujus tumultûs quoque meminit lib. I. cap. VIII. *Formosi Præcessore defuncto, Sergius quidam Romanæ Ecclesiæ Diaconus erat, quem Romanorum pars quædam Papam sibi elegerat: quædam verò pars non infima nominatum Formosum, Portuensis civitatis Episcopum, pro verâ Religione, Divinarumq; Scripturarum, & Doctrinarum scientiâ, Papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, ut Sergius Apostolorum Vicarius ordinari debuisset, ea quæ Formosi partibus favebat pars, cum non mediocri tumultu, & injuriâ Sergium ab altari expulit, & Formosum Papam constituit.* Neque his rebus fracti Sergiani: tanta enim adversus Formosum moliti fuêre, ut Arnulfum Regem ille vocare fuerit compulsus.

2. ROMAM OBSIDET.] Mater enim Lamberti à filio ad præsidium Vrbis relicta, teste Reginone, resistebat. Cinxit verò Arnulfus, ut auctor est Sigebertus, Romam Leoninam. Sed è Luitprando obsidionis eventum ex asse audiamus, lib I. cap. VIII. *Clypeis denique cratibúsque catervatim operti muros adire contendunt. Plurima etiam bellorum paraverant instrumenta, cùm inter agendum, populo considerante, contigit lepusculum, clamore ejus exterritum, Vrbem versus fugere. Quem dum populus exercitusq; ut assolet, impetu vehementi sequeretur. Romani, putantes se impugnari, de muro se projiciunt. Quod populus cernens, sagmatibus sellisq; quibus equis insederant, juxta murum projectis, per eorum acervos muros ascendunt. Populi verò pars quædam, acceptâ mox trabe quinquaginta pedum procerâ longitudine, portam quatiunt, & Romam, quam Leonianam dicunt, in quâ Beati Petri Apostolorum Principis pretiosum corpus quiescit, vi capiunt. Cæteri verò, qui trans Tiberim erant, hoc timore compulsi, hujus dominatus colla submittunt.*

3. PULSO SERGIO.] Quantam verò iram rabiemque Sergiani hoc exilio in pectoribus suis conceperint, Luitprandus expediet, lib. I. cap. VIII. *Descendit Sergius in Tusciam, quatenus Adelberti potentissimi Marchionis auxilio juvaretur: quod & factum est. Nam Formoso defuncto, atque Arnulfo in propria reverso, is qui post mortem Formosi Papa constitutus est, expellitur, Sergiusq; Papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto, ut impius, doctrinarúmque sanctarum inscius, Formosum è sepulchro extrahere, atq; in Sedem Romani Pontificatûs Sacerdotalibus indumentis indutum collocari præcepit. Cui & ait: Cùm Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam Vniversalem Sedem usurpasti? His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisq; tribus abscissis, in Tiberim jactari præcepit, cunctosq; quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos, iterum ordinavit.* Sigebertus addit, Formosum etiam decollatum fuisse. O detestabile, & abominandum facinus, in mutum, & quod pejus, mortuum sævire! saltem melioribus conditionibus ursæ, leones, tygres nobiscum agunt: feræ sunt, sed eorum tamen crudelitas, ut volunt, mortuum haud attingit. Nos homines, nos Sacerdotes,

dotes, nos, inquam, Pontifices violamus naturæ mitissimas leges; & ultra rerum limites grassantes, odio invidiæque nostræ locum quærimus. In putris massæ lanienâ, in effosso, vitâque casso corpusculo, tanquam cruenti vultures lividis rostris hæremus, ut ambitio & vindicta satientur. Formoso igitur ne nomen quidem relictum est: deformis, quia digitis fœdè truncatus. Quid dicam? post mortem mors quæsita est, ut per vulnera & tormenta videretur vitâ exrudi, qui ne in sepulchro quidem quietem miser invênit. Vtinam verò Ecclesia tam hiulcas animas nunquam tulisset! utinam sacræ potentiæ fastigium hæc hominum portenta excussisset, factiosorum impotentiâ occupatum! Pauciora certè & Pietatis & Religionis naufragia numerarentur. Sed quò feror? quomodò sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera Naturæ mala; ita scelera flagitiaque ferre debemus. *Vitia erunt donec homines, sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur*. Temperare mihi quidem in exclamando potuissem, hac præcipuè tempestate, quâ unum alterumque Sacerdotis crimen novam religionem facit, nisi Sergianorum immanem nequitiam lippi tonsoresque exagitarent. Nunc ad lineam revertor. Acta Concilii Romani, quæ fuêre sub Ioanne IX. Pontifice, compellunt, ut credamus, hæc à Stephano VII. perpetrata esse sacrilegia, Synodoque comprobata. Sed à Ioanne, & priùs à Theodoro, convocato Concilio septuaginta quatuor Episcoporum, rescissa, ignique tradita. Sergius verò, Benedictus, Marinus, Ioannes, Paschalis, itemque Ioannes, omnes Sergii asseclæ, Ecclesiæ gremio ejecti fuêre. Erat enim Formosus Sacerdos vitâ moribusque integer, & disciplinis clarus. *Quantæ autem auctoritatis* (Luitprandi verba sunt lib. I. cap. VIII.) *quantæque religionis fuerit, hinc colligere possumus: quoniam dum à piscatoribus postmodum est inventus, atque ad Beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc, in loculo positum, venerabiliter salutârunt*. Verba Actorum grave non erit recitare: *Synodum à Stephano Pontifice decessore nostro celebratam, in qua cadaver Formosi Pontificis è sepulchro extractum, & quasi ad judicium adductum, judicatum atque damnatum est, quod nunquam aliàs factum accepimus, penitus abrogamus, & ne posthac tale aliquid fiat, per Spiritûs Sancti judicium interdicimus. Episcopis, Presbyteris, & reliquis Clericis, qui ei Synodo interfuerunt, quis veniam petentes, vi se ac metu interfuisse confessi sunt, Sanctæ Synodi precibus indulgemus, caventes, ne quis posthac Episcopis, aut vim, aut detrimentum inferat, quoniam eis liberè sententiam dicere liceat. Quia necessitatis caussâ, de Portuensi Ecclesiâ Formosus, ob vitæ merita, ad Apostolicam Sedem est evocatus; statuimus, nequis id in exemplum trahat, sacris legibus prohibentibus. Etenim quod necessitate concessum est, id sublatâ necessitate, auctoritatem non debet habere. Nequis quem de gradu Ecclesiastico synodicè deturbatum, neque dum canonicè restitutum, ad altiora provehat; quemadmodum Bonifacium primum in Subdiaconatu, deinde in Presbyteratu popularis manus evexit. Quod si spretis Sanctissimorum Patrum decretis, id quoquo modo tentaverit, non solùm Apostolico anathemate feriatur; Imperatoriam quoque indignationem experiatur. Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, qui ab eodem Formoso Pontifice ritè consecrati, temerè quorundam libidine exau-*

inaugurati sunt, ad proprios ordines, & gradus redigimus. Reordinationes & rebaptizationes, & Sedium mutationes, quas Sancti Patres in Africano Concilio interdixerunt, & nos interdicimus. Sacram Inunctionem Spiritualis filii nostri Lamberti in Imperatorem firmam & ratam in perpetuum esse, Spiritu Sancto suffragante, decernimus. Illam verò Barbaricam, quæ per surreptionem extorta est, omnino abrogamus. Consecrationes verò sacri Chrismatis, & Olei, & quæcunque pro statu Ecclesiæ gessit, firma & inviolata permanere Apostolicâ auctoritate sancimus. Ea quæ in ipso suprà commemorato Concilio scripta sunt, quoniam contra Canonicam auctoritatem acta esse sanxistis, decernimus, ut, accedente consensu vestro, igne crementur, prout de Ariminensi, & Ephesinâ secundâ Synodo factum proditur de iis, quæ contra Sanctissimum Leonem Pontificem acta sunt; & quæ tempore Adriani Iuniorū adversus sanctissimum Pontificem Nicolaum Constantinopoli nequiter acta sunt. Sergium, Benedictum, atque Marinum dudum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, Ioannem, Paschalem, & Ioannem, dudum S. Apostolicæ Sedis Diaconos, justè & legitimè damnatos, & è gremio S. Dei Ecclesiæ segregatos, si quis inter Ecclesiasticos injussu nostro referre, aut ad ipsos gradus, quibus justè privati sunt, redigere, aut Sacerdotes vocare, aut habere voluerit, aut nobis non senserit, sciat se anathemate percussum iri. Cur verò Auctores nonnulli crediderint, Sergium posthumam vindictam illam exercuisse, hæc est, ni fallor, origo. Sergius, teste Sigeberto, *ad Francos se contulit, & eorum auxilio Christophorum* (qui post Ioannem IX. Pontifex fuit) *capiens, & in carcerem trudens, latenter Romam ingressus, Papatum invasit, & Romanos minis & terroribus perpulit, ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent.* Hac de caussâ ipse etiam Sigebertus existimavit à Sergio perpetrata, quæ priùs à Stephano Sergianæ factionis fautore fuerant. Ego hunc eundem Sigebertum, in eo quoque errare existimo, cùm scribit Francorum auxilio Sergium Sacro Fastigio intrusum. Nam quid Francis cum Sergio? Vel arma Adelberti, potentissimi Marchionis Tusciæ, qui toti ferè Vrbi dominabatur, hunc Pontificem fecerunt; vel omnia me fallunt. Ad hunc enim confugit, occupatâ ab Arnulfo Vrbe, ut auctor est Luitprandus lib. I. cap. VIII.

4. COMPRESSA EIVS FACTIONE.] Ad Luitprandum redeo: *Arnulfus Romam advenerat, in quo ingressu, ulciscendo Papæ injuriam, multos Romanorum Principes, obviàm sibi properantes, decollari præcepit.* Hîc mihi (veniam sermoni posco) Formosus judicio lapsus videtur, cùm seditionis antesignanos ab Arnulfo capitali supplicio plecti permisit. Fortassis Sergianorum reliquiæ mitius ingenium ad vindictam attulissent, si instar Leonis Pontificis, qui pro Campulo & Paschale apud Carolum Augustum intercessit, Arnulfum à novissimis pœnis retraxisset. Sed ego qui curiosius hæc considero, fortassis erro: *Quædam,* enim, *beneficia* (ut Craterus loquitur apud Curtium lib. VI.) *odimus. Meruisse mortem confiteri pudet. Superest, ut malit videri injuriam accepisse, quàm vitam.*

5. INSIGNIA IMPERATORIS.] Regino: *Arnulfus civitatem ingressus, à Formoso Apostolicæ Sedis Præsule cum magno honore susceptus est; & ante Confessionem S. Petri coronatus, Imperator creatur.* Populus Romanus in hæc verba jurejurando adactus fuit: *Testor Deum, omnesq́; Divos, & per Divina Mysteria juro, me,*

quoad

quoad vivam, fore in potestate Imperatoris Arnulfi; neque Lamberti, aut Matris ejus rebus fauturum; neque ut dignitatem aliquam adipiscantur, aut hanc Vrbem servitute premant, operam daturum.

6. FRVSTRA LAMBERTVM INSECVTVS.] Luitprandus lib. 1. cap. IX. *Profectus Camerinum, castrum, vocabulo & naturâ Firmum, in quo Vidonis uxor erat, obsedit. Vido autem in incertis latuit locis. Prædictum igitur castrum nomine & naturâ Firmum, vallo circumdatur, omnia bellorum instrumenta, quibus capi possit, præparantur. Cúmque Vidonis uxor magnis undique angustiis premeretur, & evadendi spes illi omnis negaretur, caussas mortis Regiæ cœpit viperinâ calliditate exquirere. Accitum namq; ad se quendam Arnulfi Regis familiarissimum, magnis eum muneribus rogat, ut se adjuvet. Qui cùm se non aliter posse testaretur, nisi civitatem Domini sui traderet ditioni, Illa etiam atque etiam magna auri pondera, non solùm pollicens, verùm etiam in præsentiarum tribuens, orat ut quodam poculo, ab eâ sibi collato, Dominum suum Regem potaret: quod non periculum mortis daret, sed mentis feritatem mulceret.* Quid fit? auro corruptus, Regi toxicum propinat: *Quo accepto tanta hunc confestim somni virtus invasit, ut totius exercitûs strepitu triduo excitatus evigilare nequiret. Fertur autem, quoniam dum familiares hunc, modò strepitu, modò tactu inquietarent, apertis oculis nil sentire, nil loqui potuisse perfectè. Positus tamen in mentis excessu mugitum reddere, non verba edere videbatur. Hujus autem rei actio repedare omnes compulit, non pugnare.*

7. INSIDIIS TENTASSET.] Idem Luitprandus: *Cúmque Arnulfus Bardonis montem conscenderet, ibi suorum consilio definivit, quatenus Berengarium lumine privaret, sicq; securus Italiam obtineret. Cognatorum verò Berengarii unus, qui non parvâ Arnulfo Regi familiaritatis gratiâ inhærebat, hujus consilium ut agnovit, absque morâ Berengario patefecit; qui mox ut sensit, lucernâ, quam ante Regis Arnulfi præsentiam tenebat, alii traditâ fugit, atque Veronam percitus venit.*

8. ITALIAE IN SE ODIVM.] Pergam ejusdem adhuc Auctoris verbis: *Omnes extunc Italienses Arnulfum flocci pendere, nihil habere. Vnde cùm Ticinum veniret, non modica orta est in civitate seditio, tantáque istic strages exercitûs facta est, ut crypta civitatis, quas alio nomine cloacas dicunt, implerentur horum cadaveribus.*

9. ABIIT IGITVR.] Per viam Hannibalis, quam Bardum, & Montem Iovis tum temporis appellabant.

10. QVOD AD SVOS IMPERATOR.] Nec Imperator, nec Rex, imò neque vivus, si dicere licet, rediit. *Mox enim*, teste Sigeberto, *afflictus à minutis vermibus, quos pediculos vocant* (morbum ipsum φθειρίασιν) *adeò in corpore ejus scaturientibus, ut à nullo medicorum minui possent, moritur.*

11. QVEM TITVLVM STEPHANVS.] Et deinde Ioannes IX. ut ex Actis liquet: *Sacram Inunctionem spiritualis filii nostri Lamberti in Imperatorem, firmam & ratam in perpetuum esse, Spiritu sancto suffragante, decernimus, Illam verò Barbaricam, quæ per surreptionem extorta est, omnino abrogamus.* Non igitur in serie Augustorum Occidentalium ponendus. Arnulfus ex præscripto Sacrorum Canonum, & Apostolicæ Sedis auctoritate, cùm sacra Vnctio ei legitimè non fuerit collata.

12. REGNARE ITERVM ITALIAE PROCERES.] Luitprandus lib. 1. cap. X. *Semper Italienses geminis*

uti Dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coërceant. Et posteà; *Non post multum verò temporis Lambertus Rex, cùm esset vir severus, Principibus gravis est visus. Vnde & Legatos Veronam dirigunt, & Regem Berengarium ad se venire; Lambertum verò expellere petunt.*

13. MANGIFREDI.] Vrbis hic Mediolanensis Comes, & Imperatori quinquennio rebellis fuerat.

14. IN FILIVM HVGONEM.] Hunc, ut scribit idem Luitprandus lib. I. cap. XII. *dum Lambertus Rex tam formâ, quàm animi audaciâ nonnullos superare videret, non parvum pro patris morte dolorem, collatis visus est beneficiis mulcere quàm plurimis.*

15. HVMANITATIS OFFICIO INIVRIAE MEMORIA.] Cicero orat. ad Quirites post reditum: *Injuriæ ulciscendæ facilior est ratio, quàm beneficii remunerandi.* Plautus Pœnulo:

Verùm ita sunt isti nostri cives:
Si quid benefacias, levior plumâ est gratia:
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.

Aristoteles rogatus, quid citò consenesceret? Gratia, inquit. Sciebat vir prudentissimus, injuriæ memoriam esse diuturnam, beneficii verò brevem.

16. OCCASIONEM VENATIO DEDIT.] In luco Marinco: *est enim ibidem* (auctore Luitprando) *miræ magnitudinis & amœnitatis lucus venationibus aptus.* Hoc loco mirè delectatum Lambertum comperio: nam è Marinco profectus est adversus Adelbertum Marchionem, Comitemque Hildebrandum, & fuso illorum exercitu, eodem rediit. Exstat & quoque diploma, *Prid. Kal. Octob. Anno* IϽ. CCC. XCVIII. *à Lamberto Imperatore, anno sui septimo, ex Marinco datum.*

17. CVLPAM EQVVS.] Luitprandus; *Latuitq; res per annos quamplurimos. Sed dum processu temporis Berengarius Rex, nullo sibi resistente, Regnum viriliter obtineret, ipse reatus proprii sicut fuerat auctor, extitit & proditor, implevitq; illud quod Propheta canit: Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniqua gens benedicitur.*

HISTORIA.

VT in Regnum Berengarius reciperetur, satis erat [1] Lambertum extinctum esse. Neque sic tamen inimicorum factio mitigata: quæ cùm in Italiâ non reperiret Regni æmulum, [2] advocavit transalpinum, ampliùs iam odio quàm libertati tribuens. Sed quò minori turpitudini obnoxium consilium esset, virum virtute clarum, & [3] iam fortunâ Regem, quódque cum virtute & fortunâ æstimari poterat, è Caroli Magni posteris, Ludovicum [4] Bosonis filium, Ludovici II. è filiâ nepotem. Potuit huic hosti Berengarius par esse, [5] Adelberti [6] Lucæ Marchionis, qui eo tempore Italiæ velut Crœsus erat, auxiliis instructus. Primùm, indagine

septum

ſeptum Ludovicum, cùm capere, aut conficere poſſet, dimiſit; quaſi ſatis coërcitum, qui ſe non rediturum in Italiam belli, aut Regni cauſsâ, ſanctiſſimo jurejurando promiſit. Sed pacti fidem nova & blandiens occaſio rerum violavit. Iterum, & [7] ab ipſo quoque Adelberto vocatus, ſpreto ſacramento, cum valido exercitu adeſt, & detrectante prœlium Berengario, viribus deſtituto, ad Regnum evehitur. Qui nondum vicerat, Regis inſignia capit; qui non pugnârat, ſimilis victo erat; Regno tamen non exuitur. Ille Ticini, hic Veronæ reſidens, tanquam gemina eſſet poteſtas, ſtabilire fortunam aggreſſus eſt, [8] amicos, & ſic vires colligere. Atque hoc ſine ſanguine jam bellum gerebatur. Ludovicus non Regno contentus, quod in parte poſſidebat, Imperii inſignia [9] à Pontifice accipit; quaſi & ſic faciliùs æmuli conatus repreſſurus. Hinc reliquam belli molem ſubiens, ad exturbandum Berengarium accingitur. Neque tamen magnâ fortunâ opus erat, ut, qui ſemel ceſſerat, & nunc quoque milite impar erat, prorſus victi, & profugi neceſſitatem amplecteretur. Magna ſalutis portio fuit, in manus hoſtis non venire. Sanè admirabile humanæ conditionis exemplum in hoc viro exiſtere fata voluerunt; quem ſæpius è ſublimi præcipitem deturbârunt, ut eveherent; tanquam experirentur, an dignum tanto faſtigio animum ſervaret. Tulit vèrò omnem caſum fortiter, quaſi [10] fiduciâ quadam reſurgendi. Sic & hominem ſe ſcivit, quoties ſtaret, & Regem tamen meminerat, quoties dejectus erat. Contrà Ludovicus, tanquam cum bello periculum deinceps profligaſſet, nec timeret hoſtem, Italiâ expulſum; magnâ ſecuritate [11] deponit arma, exercitumque dimittit. Ergò quietum, & nihil timentem Berengarius auſus invadere, clanculùm [12] in Italiam venit, & collecto hinc inde, partim donis, partim promiſſis, auxilio, Veronam repente advolat. Facile fuit, urbis cuſtodes corrumpere, olim ſuos: noctu admittitur, & civium jam ſtipatus manu, in Regiam irrumpit. Ludovicus tumultu excitatus, & præſenti periculò territus, [13] in proximum confugit fanum: inde protractus, victoris &

iram,

iram, & ſimul clementiam ſenſit: quippe ut viveret, luminibus privatur: quaſi non tam Regni occupati, quàm violati jurisjurandi punitus. Sic quâ fide alienum rapuerat ſceptrum, eâ fortunâ poſuit. Cæcum verò, tanquam extinctum, timere Berengarius deſiit; ac videbantur 14 cum oculis Imperatoris animi ſimul factionis cecidiſſe.

COMMENTARIUS.

1. LAMBERTUM EXTINCTUM.] Addam & huic Imperatori, ex eodem Luitprando, funebre & luculentum elogium: *Iuvat tanti hujus obitum Regis & deflendo ſcribere, & ſcribendo deflere. Inerat namque illi honeſta morum probitas, ſancta & formidoloſa ſeveritas, & quem juventus ornàverat in corpore ſplendida, mentis canicies decorabat ſancta. Planè plus ille Reipublicæ, quàm Reſpublica decoris ei attulit. Quòd ſi non cita mors hunc raperet, is eſſet, qui poſt Romanorum potentiam totum ſibi Orbem viriliter ſubjugaret.*

2. ADVOCAVIT TRANSALPINUM.] Verba hìc Luitprandi neceſſària ſunt, lib. II. cap. X. *Hujus verò tam turpis ſceleris auctor Adelbertus, Iporegiæ Civitatis Marchio, erat, cui & idem Berengarius filiam ſuam nomine Giſilam conjugio copulàrat; ex quâ filium genuerat, cui & avi vocabulum dederat. Præterea idem Adelbertus, quod bonis omnibus cavendum eſt, nequaquam ſui ſimilis fuit: nam dum fervente ætate juvenilem duceret vitam, miræ humanitatis, miræq. ſanctitatis fuit; adeò ſanè, ut ſi ei à venatione redeunti pauper occurreret, aliudq. non eſſet quod illi præſtare poſſet, cornu protinus, quod collo ejus fibulis aureis dependebat, ſine dilatione concederet, rurſumq. ab eodem quanti æſtimabat acquireret. Tam dira autem poſtmodum factus eſt fama, ut hujuſmodi vera de eo, tam à majoribus, quàm à pueris cantio diceretur. Et quia ſonorius eſt, Græcè illud dicamus: Adelbertus comis curtus, μακροσπαθὴς μικροπιστὴς, quo ſignatur & dicitur, longo cum uti enſe, & minimâ fide. Hujus itaque, aliorúmque, ac nonnullorum Italienſium hortatu prædictus Ludovicus in Italiam venit.*

3. IAM FORTUNA REGEM.] Regnabat enim in Provinciâ.

4. BOSONIS FILIUM.] Hic Boſo Præfectus fuit Galliæ Narbonenſi, atque Provinciæ, à Carolo Calvo. Frater enim germanus Richildæ, Conjugis Caroli, erat, ut ſcribit Aventinus lib. IV. Hiſtoriæ Bajoariæ. Mortuo verò Ludovico Balbo, aſpernatus filiorum adoleſcentulorum, Carolomani, & Ludovici Regnum, Burgundiam occupavit; & minis partim, partim etiam pollicitationibus Epiſcopos compulit, ut ſe Regem Burgundionum ungerent. Lugduni igitur ab Aureliano urbis Archimyſtâ Rex fuit creatus: ſed poſteà gravibus bellis preſſus, non modò à Carolomano, & Ludovico Balbi filiis; verumetiam à Carolo Craſſo, & Ludovico Ludovici Secundi filio. Nam Matiſconem, & Viennam expugnârunt; uxorémque illius Irmengardem (è quâ hunc Ludovicum tulit) Ludovici Secundi natam, cum liberis, Richardoque fratre, & Bernardo Præfecto in poteſtatem redegerunt. Poſteà tamen dimiſſa fuit

fuit captiva familia, & paullatim ad hoc fastigium venit, ut non modò Reges Burgundiæ, sed & Italiæ in eâ fuerint.

5. ADELBERTI.] *Tanta*, si Luitprando credimus, libro I. cap. X. *Adelbertus erat potentia, ut inter omnes Italiæ Principes solus ipse cognomento Dives diceretur.* Nunquam hic Scriptor Ticinensis Adelberti meminit, quin semper *Tuscorum potentissimum Marchionem* appellet. Imò quisquis malus ad Pontificiæ dignitatis portum anhelabat, ille, ut plurimùm Tuscum ventum, & Adelberti tutelam navigio suo invocabat.

6. LVCAE.] Luca Hetruriæ urbs, cujus passim Scriptores meminerunt. Livius libro XLI. scribit eò Coloniam deductam fuisse, anno Vrbis IↃ. LXXVII. Vide & Paterculum sub finem libri II. Festo *Municipium sui juris* est. Fuit ergò priùs Colonia, posteà quoque Municipium facta. Olim mœnibus firma, quemadmodum hodie, ut ex Frontino colligitur. Ait enim, T. Domitium Calvinum Lucam in Liguribus, naturâ loci, & operibus munitam obsedisse. Tradunt alii Narsetem sex eam mensibus oppugnasse. Antoninus Lucâ Pisas numerat M. P. XII; Lunam M. P. XXXII; Faventiam M. P. CXX. Parmam M. P. C. Varios Dominos Principesque tulit, antequam hac libertate frueretur. Servivit enim primùm Augustis Orientalibus: deinde Phaseolis, Castrucciis, Spinulis, Rubriis, Scaligeris, Florentinis, Pisanis, Guinisiisque. Nunc Oligarchiâ administratur. Summæ dominationes tantùm bimestres. Crux ibi est aurea XV. M. Aureorum, à Pisanâ Republicâ Lucæ civibus oppignerata. Territorium arctum habet, & fortassis VIII. Mill. Hinc nonnullis *Respublica formicarum* per jocum dicta.

7. AB IPSO QVOQVE ADELBERTO.] Nempe Iporegiæ Marchione. *Cui rei Berta conjux ejus, Hugonis Regis, qui nostro pòst tempore in Italiâ regnavit, mater, non modicè fomitem ministravit*. Verba Luitprandi sunt, libro II. cap. X.

8. AMICOS ET SIC VIRES COLLIGERE.] Curtius lib. VIII. *Non est diuturna possessio in quam gladio inducimur. Beneficiorum gratia sempiterna est. Si habere Asiam non transire volumus, cum his communicanda est nostra clementia. Horum fides stabile & æternum faciet Imperium.* Sallustius Bello Iugurthino: *Non exercitus neque thesauri præsidia Regni sunt; sed Amici*. Rectè ideò Darius: is cùm aperuisset prægrande & decumanum Punicum malum, rogatus cujus rei tantum exoptaret numerum, quantus ibi granorum erat? Respondit, Zopyrorum: Zopyrum enim longè fidelissimum expertus erat; qui ut Babylonem potestati illius subderet, nares auresque sibi præciderat.

9. A PONTIFICE ACCEPIT.] Benedicto nimirum, qui factione Comitum Tusculanorum, in locum Ioannis IX. subrogatus est.

10. FIDVCIA, QVADAM RESVRGENDI.] Excitor & ipse virtute Berengarii, ut Principibus infractum animum commendem, si fortassis contingat aliquem eorum ad hanc Historiam meam, vel hos Commentarios descendere. Seneca Oedipo, Actu I.

— Regium hoc ipsum reor
Adversa capere: quòque sit dubius magis
Status, & cadentis Imperii moles labat,
Hoc stare certo pressiùs fortem gradu.
Haud est virile terga fortunæ dare.

Rectè Mimus monet:

Et calamitas virtutis est occasio.
Plotius Firmus Præfectus Prætorio sic Othonem apud Tacitum lib. II. Historiarum alloquitur: *Majori animo tolerari adversa, quàm relinqui. Fortes & strenuos contra fortunam insistere spei: timidos & ignavos ad desperationem formidine properare.* Nicias apud Thucydidem lib. VII. *Non debetis esse abjecto animo, neque id pati quod inexpertissimi solent, qui si primis in præliis male cessit, nunquam deinceps spem habent, semper timentes similem casum.* Narbazanes, tradente Curtio, libro V. *Sæpè tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi: at Virtus nihil inexpertum relinquit.* Egesippus lib. IV. cap. II. *Infirmi ingenii est, lapsu aliquo summæ rei diffidere, cùm exiguis momentis subitò inclinentur omnia, quæ in bello geruntur.* Plautus Captivis:

In re malâ animo si bono utare, juvat.
Fortiter ferendo vincitur malum, quod evitari non potest.

Et Pseudolo:

Bonus animus in re malâ dimidium est mali.

Gerat igitur Princeps se *more anguium, qui obtrito capite, postremùm caudâ minantur*; &, ut omnia dicam, Hunc Berengarium exprimat:

II. DEPONIT ARMA.] Regino: *Cernens autem nullum esse, aut posse nocere, ultrà quàm oportebat securitate præsumens, ea quæ pacis & quietis sunt cœpit cogitare. Absoluto itaque exercitu, cum perpaucis Veronam ingressus est, adhortante Adelhardo, ejusdem Vrbis Episcopo.*

12. IN ITALIAM VENIT.] Ipsâ velut occasione è Bavariâ, quò se receperat, accitus. Nam cùm intelligeret, ab armis ad otium Ludovicum conversum esse, ac sine metu vivere, imò deliciari; intellexit virtuti locum esse, *haud imprudenter*, ut cum Vellejo dicam, *speculatus, Neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timeret; & frequentissimum initium esse calamitatis, securitatem.* Sed nos & securitatem Ludovici, & calamitatem in Luitprando videamus, lib. II. cap. X. *His ita gestis, bonum visum & Ludovico, ut sicut circumcirca viderat Italiam, videret & Tusciam. Exiens denique Papiâ, proficiscitur Lucam, ubi decenter miróque paratu ab Adelberto suscipitur. Cúmque Ludovicus in domo Adelberti tot militum elegantes adesse copias cerneret, tantam etiam dignitatem, tótque impensas prospiceret, invidiæ zelo tactus, suis clanculùm infit: Hic Rex potiùs quàm Marchio poterat appellari: in nullo quippe mihi est inferior, nisi solummodò in nomine. Quæ res Adelbertum latêre non potuit. Quod Berta, ut erat mulier non incallida, audiens, non solùm virum suum ab ejus fidelitate amovit; verùm etiam ceteros Italiæ Principes ei infideles fecit. Vnde factum est, ut dum è Tusciâ rediens, Veronam pergeret, degerétque ibidem nihil hæsitans, nihilque mali suspicans, Berengarius dato pretio custodes civitatis corruperit, collectúque viris fortissimis, in ipso noctis conticinio, civitatem ingressus fuerit.*

13. IN PROXIMUM CONFUGIT FANUM.] Si meis omnia verbis dicam & explicem, quid ab Historiâ Commentarius differet? Auctoritas igitur advocanda est. Et cujus potissimùm? qui hîc jam nobis cœpit familiaris esse, Luitprandi, non mali, ut tempora illa erant, Scriptoris. Verba ejus sunt lib. II. cap. XI. ubi & urbem, & fluvium, & collem, in eoque templum pretiosi operis, in honorem Divi Petri consecratum, describit: *In Ecclesiam Ludovicus fugit, nullúsque eum, præter Berengarii militum unum, ubi esset, agnovit; qui misericordiâ motus,*

tus, noluit hunc prodere, sed celare. Timens verò idem, ne ab aliis repertus proderetur, vitâq; mulctaret, Berengarium adiit, eumq; ita convenit: Quandoquidem tanti te Deus habuit, ut tuum proprias in manus traderet hostem, debes & tu ejus monita, imò præcepta magnifacere. Insit enim: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est, &c. Intellexit itaque Berengarius, ut vir non incallidus, hunc quo ipse lateret scire locum; eúmque hac sophisticâ responsione decepit: Putásne me insulsè, quem mihi Dominus tradidit hominem, imò Regem, velle occidere? Nunquid & David Sanctus Saulem à Deo sibi in manus traditum servavit? non quòd occidere non potuit; sed quia noluit. His sermonibus miles inclinatus, locum ostendit, in quem confugerat Ludovicus. Qui captus, & ante Berengarii præsentiam ductus, hujusmodi à Berengario sermonibus increpatur: Quousque tandem abutère Ludovice patientiâ nostrâ? num inficiari potes, te illo tempore meis præsidiis, meâ diligentiâ circumclusum, commoveri etiam contra me non potuisse, méque misericordiâ inclinatum, quæ tibi nulla debebatur, te dimisisse? Sensistine, inquam, te perjurum in vitiis esse victum? Confirmasti sanè mihi, teipsum nunquam Italiam ingressurum. Vitam tibi, sicut ei, qui te mihi prodidit, promiseram, concedo: oculos verò tibi auferri, non solùm jubeo, sed compello. His dictis Ludovicus lumine privatur, & Berengarius Regno potitur. Tradunt Germanorum Anuales, Ludovico etiam libidinis instrumenta adempta fuisse: ne filii fortassis vindictam, Regnumque molirentur.

14 CVM OCVLIS IMPERATORIS.] Ideò Plinius libro XI. cap. XXXVII. *Profecto in oculis animus habitat.* Item: *Oculi pars corporis pretiosissima, qui lucis usu vitam distinguant à morte.* Plura in Consolatione meâ Cæcitatis, ad Ampl. V. Guil. Cripium scripsi.

HISTORIA.

SED an quiescere Italia potuit? Cùm sine consorte ac sine æmulo rerum potiretur Berengarius, novum dirumque invênit hostem, qui non tam ad Regnum, quàm ad rapinam, cædem, stragem hominum, urbiumque properabat. [1] HVNGARI erant, nuperi è Scythiâ, recentes è Pannoniâ (pulsis inde Hunnis) Barbari. Atque hæc quædam velut pestis Italiæ incubuit, quædam velut illuvies per Alpes, quà crudelitati anteà patuerant, infusa, mox Insubres inundavit. Terrorem subitus ille impetus auxerat, & ferocia omni barbarie gravior. Hunnorum domitores, sed feritate, non virtute, qui non percellerent? Quare tanquam graviores imminerent plagæ, quàm sæculis omnibus acceptæ erant, ad commune malum arcendum, sub signa [2] concurrit Italia, ducemque Berengarium sequitur.

Alii affectu, alii periculo exciti, in obsequium veniebant: atque jam domestica odia violentia externa sopiverat. Barbari multitudine hostium territi, [3] fugam moliuntur, & quia impediti, universâ eam prædâ, mox, adjecto quoque redimere pretio tentant; parati & obsides dare, & arma tradere, quò fides saltem inermibus haberetur. Frustra omnia. Vindictæ cupiditas, cùm venalis victoria non esset, conditiones pacis respuit. Et quid aliud actum, quàm ut lanienæ, aut servituti destinati, robur sumerent, & fusuri sanguinem, in rabiem ignaviam commutarent? Sanè acuit necessitas vires, & jam pugnare, quàm se dedere omnes malunt; ne inulti aut cadant, aut miseri sint. Bone Deus, quàm ancipites bellorum exitus! Prodeunt ultro in prœlium, jam plùs quàm Barbari, [4] tantumque desperatio potuit, ut hostilem exercitum, ultimum Italiæ nervum, [5] fœdissimâ clade protriverint. Hac victoriâ efferati, [6] liberum deinde furorem effundunt in agros, & quem ferro sparserant sanguinem, flammâ consumunt. Sordere deinde & spolia visa, nisi [7] templa ac monasteria diriperentur: quasi homines cruciare satis non esset, nisi injuria quoque inferretur Deo. Prædâ tandem saturi, & cruore satiati, mitescere potuerunt: quippe jam redimi à Berengario Italiam passi, post rapinam pretium æstimârunt. Passi ideò, ut amplius jam acciperent, quàm obtulerant; utque cedere victores, non fugere victi viderentur. In eo jam non Barbari, quòd cùm emere recessum suum non potuissent, tamen vendiderint. Sed hanc humanitatem perfidiâ destruxerunt: reversi sunt.

COMMENTARIVS.

1. HVNGARI ERANT.] Regino: *Gens Hungarorum ferocissima, & omni belluâ crudelior, retroantè seculis adeò inaudita, quia nec nominata, à Scythiis Regnis, & à paludibus, quas Tanaïs suâ refusione in immensum porrigit, egressa est.* Habes originem, si hæc tamen origo est: reliqua ex eodem, omissis nonnullis, tibi expediam. *Gens memorata à finitimis sibi populis, qui Pezinati vocantur, è propriis sedibus expulsa est, eò quòd numero & virtute præstarent, & genitale, ut præmisimus, rus exuberante multitudine, non sufficeret ad habitandum. Horum itaque violentiâ effugati ad exquirendas*

quirendas quas possent incolere terras, sedesq; statuere, valedicentes patria, iter arripiunt. Et primò quidem Pannoniorum, & Avarum solitudinem perrerrantes, venatu, ac spatiatione victum quotidianum quaeritant. Deinde Carantanorum, Marahensium, ac Bulgarorum fines crebris incursionum infestationibus irrumpunt, perpaucos gladio, multa millia sagittis interimunt; quas tanta arte ex corneis arcubus dirigunt, ut earum ictus vix praecaveri possit. Cominus enim in acie praeliari, aut obsessas expugnare urbes nesciunt. Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus: saepe etiam fugam simulant, nec pugnare diu possunt. Caeterùm intolerandi forent, si quantus est impetus, vis tanta & perseverantia esset. Plerumque in ipso ardore certaminis praelia deserunt, ac paullopòst pugnam ex fugâ repetunt; ut cùm maximè vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. Quorum pugna quò caeteris gentibus inusitatior, eò & periculosior. Inter horum, & Britonum conflictum, hoc unum interest: quòd illi missibilibus, isti sagittis utuntur. Vivunt non hominum, sed belluarum more: carnibus, ut fama est, crudis vescuntur, sanguinem bibunt, corda hominum, quos capiunt, particulatim dividentes, veluti pro remedio devorant. Nullâ miseratione flectuntur, nullis pietatis visceribus commoventur. Capillum usq; ad cutem ferro cadunt: super illos ire, meditari, consistere, ac colloqui solent. Liberos, ac servos suos equitare, ac sagittare magnâ industriâ docent. Ingenia illis tumida, seditiosa, fraudulenta, praecocia. Quippe eandem ferocitatem feminis, quàm viris assignant: semper in externos, aut domesticos motus inquieti; naturâ taciti, ad faciendum, quàm ad dicendum proniores. Witichindus lib. I. Rerum Saxonicarum existimat, Hungaros esse Avarum, sive Hunnorum reliquias: de quibus libro I. diximus. Idem Witichindus lib. III. audaces esse, & inermes in aciem progredi, scribit. Otho, qui posteà Augustus, apud hunc suos sic adhortatur: *Superamur scio multitudine; sed non virtute, sed non armis. Maxima enim ex parte nudos illos armis omnibus penitus cognovimus, & quod maximi est nobis solatii, auxilio Dei. Illis est sola pro muro audacia, nobis spes & protectio divina.* Nemo non Scriptorum, cùm de hac Gente loquitur, ita sermonem instruit, ut videatur de saevissimis feris orationem habere. Luitprandus lib. II. cap. I. *Ecclesias consumunt, populos jugulant; & ut magis magisq; timeantur, interfectorum sese sanguine potant.* Et posteà: *Nec videas sitientem animam ardentiùs haustum laticis gelidi, quàm praelii diem Gentem hanc crudelem appetere. Neque enim haud aliud quàm dimicasse juvat. Vt autem de libro, qui de origine Hungarorum inscribitur, didici, horum matres mox pueris editis ferro acutissimo faciem secant: scilicet, ut antequam lactis nutrimenta percipiant, vulnerum tolerantiam subire cogantur.* Otho Frisingensis lib. I. cap. XXXI. de Gestis Nepotis sui Frederici Primi, Gentis hujus mores, quibus tum cultior lima admota fuerat, in haec verba depingit: *Hungari facie tetri, profundis oculis, staturâ humiles, moribus & linguâ barbari & feroces: ut jure fortuna culpanda, vel potiùs divina patientia sit admiranda, quae ne dicam hominibus, sed talibus hominum monstris, tam delectabilem exposuit terram; in hoc tamen Graecorum imitantur solertiam, quòd nullam rem magnam, sine crebrâ & longâ consultatione aggrediuntur. Denique cùm vilissima in vicis, vel oppidis ibi, id est, ex cannis tantùm, rara ex lignis, rarissima ex lapidibus habeantur habitacula, toto aestatis vel autumni tempore papiliones inhabitant. Ad curiam Regis sui, singuli ex Pri-*

moribus sellam secum portantibus, conveniunt; ac de suæ Reipub. statu pertractare & discutere non negligunt. Hiemis algore, in domiciliis qui habent, idipsum facientes. At omnes sic Principi suo obsequuntur; ut unusquisque, manifestis ne dicam condictionibus exasperare, sed & occultis susurris lacerare nefas arbitretur. Hinc est, ut cùm prædictum Regnum per LXX. *vel ampliùs divisum sit Comitatus, de omni justitiâ ad Fiscum Regium, duæ lucri partes cedant, tertia tantùm Comiti remaneat; nullusq; in spatioso ambitu, Rege excepto, monetam, & telonium habere audeat. Quod si aliquis ex Comitum ordine Regem vel in modico offenderit, vel etiam de hoc quanquam non justè infamatus fuerit, quilibet infimæ conditionis lixa à Curiâ missus, eum, licet satellitibus suis stipatum, solus comprehendit, in vinculis ponit, ad diversa tormentorum genera trahit. Nulla sententia à Principe, sicut apud nos moris est, per Pares ejus exposcitur; nulla accusato excusandi licentia datur: sed sola Principis voluntas apud omnes pro ratione habetur. Si verò exercitum Rex ducere voluerit, cuncti sine contradictione quasi in unum corpus adunantur. Coloni quidem qui in vicis morantur novem, decimum; vel etiam septem, octavum, vel infra, si necesse fuerit, cum supellectili ad bellum necessariâ instruunt, cæteris pro culturâ terræ domi relictis. Qui verò de militum ordine sunt, nullâ occasione, nisi gravissimâ, domi remanere audebunt. At in ipsâ Regis acie hospites, quorum ibi magna copia est, & qui apud eos Principes dicuntur, latus Principis ad muniendum ambiunt. Omnes penè tetri, tetris in armis procedunt: nisi quòd jam ab hospitibus, quos Soldarios dicimus, educati, vel ab iisdem etjam geniti, quandam non innatam, sed quasi extrinsecus affixam virtutem trahentes, Principes tamen & hospites nostros in pugnandi peritiâ, armorúmque splendore imitantur.* Imperatores, Regesque Christiani crudelissimæ huic latronum manui, caussam plerasque urbes ac provincias depopulandi præbuerunt. Nam, referente Ioanne Curopalatâ, adversus Bulgaros à Leone Augusto fuerunt evocati. Sed Regis Arnulfi vesanis auspiciis strages prædasque majores Occidenti intulerunt. Ille enim, ut est apud Sigebertum, *Zuendebaldo* (Witichindo Centupulcher appellatur) *Duci Marchensium Ducatum Boëmanorum addens, & Boëmanos per hoc sibi infestos fecit, & Zuendebaldo, per adjectionem potentiæ, materiam contra se rebellandi dedit.* Posteà verò pœnitentiâ ductus, & Boëmos sibi conciliare, & quem evexerat Ducem, deprimere statuit. Quid fit? Hungari, *victi à Carolo, & trans Danubium pulsi, ac ingenti vallo circumfusi, prohibiti à consuetâ,* ut Witichindus scribit, *gentium depopulatione,* vocantur, claustra obicesque destruuntur, & eorum operâ Moravorum Regno tributum imponitur. *Hungari interim observato exitu,* (verba Luitprandi sunt lib. I. cap. V.) *contemplatiq; Regionem, cordibus malum quod postmodum in propatulo apparuit, machinabantur.* Nam mortuo Arnulfo, & Galliam, & Saxoniam, & Sueviam, & Moraviam, atque adeò ipsam Bajoariam, Ludovici, filii & heredis Arnulfi, Regnum, ferro flammâque dilacerârunt. *Paucis verò interpositis annis,* ut idem Luitprandus scribit lib. II. cap. IV. *cùm nullus esset, qui in Orientali, ac Australi plagâ Hungaris resisteret: nam Bulgarorum gentem, atque Græcorum tributariam fecerant; ne quid inexpertum his esset, quæ sub meridiano, atque orientali degerent climate, nationes visere satagunt. Immenso itaque, innumerabilique collecto exercitu miseram petunt Italiam, cúmque juxta fluvium*

Brennam

Brennum defixis tenteriolis, imò centonibus, triduo exploratoribus directis, qui terræ situm, gentisq; multitudinem, seu raritatem considerarent, repedantibus nunciis, hujusmodi responsa suscipiunt. Planicies hæc nonnullis plena colonis, uno, ut cernitis, ex latere montibus asperrimis atque fertilibus, altero mari cingitur Adriatico. Oppida verò tum nonnulla, tum munitissima. Gentis quanquam ignoretur imbecillitas aut fortitudo, immensa tamen conspicitur multitudo: neque enim hanc tam paucis copiis invadere hortamur; verùm cùm nonnullæ sint res quæ nos pugnare compellant, triumphus scilicet assuetus, animi fortitudo, pugnandi scientia, opes præsertim, quarum desiderio fatigamur, quæ hîc tot insunt, quot toto in Orbe nec vidimus, nec videre speravimus; nobis tamen consulitis: neque enim longum arduumq; remeandi iter est, quod decem potest, & eo minus diebus perfici: revertamur quatenus verè omnibus gentis nostræ collectis fortissimus redeamus. Factum est, & totam hiemem acuendis spiculis, fabricandisque armis, exercendæ juventuti impenderunt. Imminente deinde Vere expeditionem suscipiunt, & immensa in Italiam agmina, nemine resistente, ducunt.

2. CONCVRRIT ITALIA.] Luitprandus eodem lib. II. cap. IV. *Italorum igitur, Tuscorum, Volscorum, Camerinorum, Spoletinorum, quosdam libris, alios nunciis directis, omnes tamen in unum venire præcepit; factusq; est exercitus triplo Hungarorum validior.*

3. FVGAM MOLIVNTVR.] Primùm Abduam natatu trajiciunt; penetrârant enim Ticinum usque: deinde ad Veronenses campos fugâ redeunt; tandem ad Brennam fluvium; cumque nullum vident misericordiæ locum dari, exutâ ignaviâ, se ad dimicandum accingunt.

4. TANTVMQVE DESPERATIO POTVIT.] Pauca de Desperatione verba libro I. feci: nunc Magnorum ea Ducum exemplis, monitisque confirmabo. Ephicrates hostes in fugam versos cædi volebat, quamdiu ad fluvios, & locorum angustias non venissent; apud Polyænum lib. III. Stratagematum. C. Manlius Consul, cum ex acie reversus, capta ab Hetruscis Romana castra invenisset, omnibus portis statione circumdatis inclusos hostes in eam rabiem efferavit, ut ipse in prœlio ceciderit: quod ubi animadverterunt illius legati, remotâ ab unâ parte statione, liberum iter Hetruscis fecerunt: apud eundem. Themistocles cùm simularet se in Hellespontum profecturum, ut pontem Persarum Regi rescinderet, quid Aristides? Vin' Asiam recipiamus in Europam, & victos ad pugnæ necessitatem adigamus? apud Plutarchum in Themistocle, & Frontinum lib. II. cap. VI. Lacedæmonii cùm in Erâ monte Messeniorum præsidium circumvenissent, & hostis, in medium uxoribus imbellique turbâ receptis, eruptionem minaretur; jussi sunt ab Hecatæo viam facere fugienti, ne ultimâ necessitas vires audaciamque hostilem acueret: apud Pausaniam in Messenicis. Iidem cùm ducente Agi, Arcades inclusos statuissent ad internecionem delere, consilio Pharacis incolumes dimiserunt; ne ad honestè moriendum incitati hostes, ancipitem dubiamque victoriam facerent: apud Diodorum Siculum lib. XII. Bibliothecæ. Agesilaus idcirco Thebanis, Epaminondas Spartanis ad Leuctra victis, Antigonus Ætolis, L. Martius in Hispaniâ Pœnis, iisdem M. L. Salinator in Italiâ, Hannibal fusæ ad Thrasymenum lacum Romanorum

rum juventuti, Senatus denique devictis à Camillo Gallis ignovit, ne eos ultimo ferro prosequeretur. Maximam igitur victoriam Berengarius suâ culpâ è manibus sibi labi passus fuit, quia pugnare voluit. Hungaris non modò danda, sed munienda via erat, si Scipionem Africanum audias.

5. FOEDISSIMA CLADE.] Hanc Luitprandus describit lib. II. cap. VI. *Tres in partes insidias disponunt, rectà ipsi fluvium transeundo hostes in medios ruunt. Christianorum enim plurimi longâ propter internuncios exspectatione defatigati, per castra, ut cibo recrearentur, descenderant: quos tantâ Hungari celeritate confoderunt, ut in gulâ cibum transfigerent; aliis quibusdam fugam equis negarent ablatis.* Quid multis? Barbari suâ victoriâ, id est fugiendo, vitam, libertatem, prædas, & gloriam sibi pepererunt. Accedebant & Italorum errores militares, hîc meritò recensendi. Primò inclementia, & prohibitio fugæ. Secundò nimia sui fiducia: nam Berengarius cum paucis in oppidulo quodam voluptati operam dabat, multitudine suâ fretus. Tertiò discordia æmulatioque Principum: *Nonnulli* enim, scribente eodem Luitprando, *Hungaris non solùm pugnam non inferebant; sed ut proximi caderent anhelabant: atque hoc ipsi perversi perversè fecerant, quatenus dum proximi caderent, soli ipsi liberiùs quasi regnarent.*

6. LIBERUM DEINDE FUROREM EFFUNDUNT.] Quippe omnia circa Tarvisium, Vicentiam, Patavium depopulantur, & Mediterranea ingressi, cuncta loca usque ad Apenninum vastant. Tradunt Rei Venetæ Scriptores, eos, fabricatis exiguis lembis, stagna aggressos, Civitatem Novam, Equilium, Clodiam, & Caput aggeris incendisse; imò nisi Dux Petrus navalibus copiis se illis objecisset, Metamaucum, Albiolam, atque ipsum adeò Rivoaltum oppressuros fuisse.

7. TEMPLA AC MONASTERIA.] Inter cætera Nonantulanum celeberrimum Monasterium, ut patet è diplomate Berengarii. Sed familiare & usitatum fuit huic genti in Sacras Ædes sævire: quod Adamus Bremensis libro I. Chronologiæ cap. XLV. indicat: *In diebus illis immanissima persecutio Saxoniam oppressit, cùm hinc Dani & Slavi, hinc Boëmi & Hungari laniarent Ecclesias. Tunc Parochia Hamburgensis à Slavis, & Bremensis Hungarorum impetu destructa est.* Et Scriptor Vitæ Sancti Udalrici, ab eâdem Gente Ecclesiam Augustanam incensam vastatamque fuisse. Nec mitiores in Ecclesiæ alumnos se gessêre. Idem Adamus lib. I. cap. XLVI. *Hungaros scilicet, incensis Ecclesiis, Sacerdotes ante altaria trucidasse.* Regino: *Quamplurimi Episcopi & Comites trucidantur. Ludmardus Episcopus Vercellensis Ecclesiæ, Caroli quondam Imperatoris familiarissimus, & Consiliarius à secreto, assumptis secum opibus, atque incomparabilibus thesauris, quibus ultrà quàm æstimari potest, abundabat: cùm effugere eorum cruentam ferocitatem omnibus votis elaboraret, super eos inscius incidit, ac mox interficitur.*

HISTORIA.

INTEREA Berengarius res tranquillas nactus, recentia Regni vulnera curare cœpit. O fatum! vix coïverant, & ecce

ecce novâ injuriâ derepente disrupta sunt. Saraceni, qui [1] Fraxinetum nuper occupârant, agmine facto, irruunt,[2] per agros urbesque stragem ducunt. Tempestas hæc quædam fuit, sed subita, & velut vento impulsa. Nam calamitatem postquàm effudit, evanuit. [3] Damna refecerat Berengarius, & ornamenta cogitavit: Ticinensi Episcopo [4] jus umbellæ, equi albi, crucisque præferendæ concessum est, nova, & cum honore Regiæ urbis insignia, quibus [5] proëdriæ in concilio Pontificio prærogativa accessit. Ipse Rex, bene de Romanis meritus (quippe cujus auxiliis Saraceni [6] Gariliano expulsi, atque adeò confecti) [7] Imperatoris nomen accepit.

COMMENTARIVS.

1. FRAXINETVM.] Sigeberto castrum est, aliis arx ad radices Cottiarum Alpium. Omissis his, Luitprandum audiamus lib. 1. cap. 1. *Fraxinetum in Italicorum, Provincialiúmque confinio stare manifestum est. Cujus ut cunctis liquido pateat situs, mari uno ex latere cingitur, & in cæteris densissima spinarum silvâ munitur; quam si ingressus quispiam fuerit, ita sentium hamis tenetur, & acutissimis aculeis perforatur, ut neque progressionis, neque reditûs nisi cum magno labore habeat facultatem. Sed occulto & justo Dei judicio, viginti tantùm Saraceni lintre parvo ex Hispania egressi, nolentes illuc vento delati sunt. Qui piratæ noctu egressi, villámque clàm ingressi, Christicolas, proh dolor! jugulant, locúmque sibi proprium vendicant, montémque Maurum villulæ cohærentem, contra vicinas gentes refugium parant. Spineam silvam hoc pacto majorem & spissiorem suâ pro tuitione facientes, ut si quis ex eâ vel ramum incideret, mucronis percussione hominem exiret. Sicq; factum est, ut omnis, præterquam unius angustissimæ via aditus demeretur. Loci igitur asperitate confisi, vicinas gentes circumquaque perlustrant; accersitum complures in Hispaniam nuncios dirigunt, locum laudant, vicinásque gentes nihili se habere promittunt. Centum denique tantummodo Saracenos, secum mox reducunt, qui veram rei hujus caperent assertionem. Intereà Provincialium, qui illic consederant, vicinorum invidia cœpit diffidere, alius alium jugulare, substantiam rapere, & quicquid mali excogitari poterat facere. Sed quia pars partem, ut invidia & dolor postulârat, satis sibi subigere non poterant, hos quos prædiximus Saracenos, non minùs callidos, quàm perfidos in auxilium rogant, cumq; his sibi proximum quisque conterit;* & ipsi, ut verbo dicam, conteruntur. Hi Saraceni sæpè Britannos, pietatis caussâ ad limina Apostolorum profectos, inter Alpium angustias lapidibus obruebant, tradente Frodoardo: quod nec prætereundum erat.

2. PER AGROS VRBESQVE.] Luitprandus lib. 11. cap. 11. *Saraceni, qui, sicut dixi, Fraxinetum inhabitabant, post labefactationem Provincialium, quasdam summas Italiæ partes sibi vicinas non mediocriter laniabant; adeò ut depopulatis pluribus urbibus,*

Aquas venirent, quæ est civitas quadraginta ferè milliaribus Papiâ distans, quæ etiam propter Thermas, miro in tetragonum modo, ad lavandum ibi constitutas, vocabulum hujusmodi sortita est.

3. DAMNA REFECERAT BERENGARIUS.] Præcipuè tamen Templa restauravit; quippe Ecclesiæ Regiensi, & posteà Mutinensi, ob damna ab Hungaris illata, munera agrosque contulit, & diplomatibus, quæ etiamnum exstant, confirmavit, anno Christiano C ∞. IV. *Regni sui* XVII. *Pridie Non. Januar. rogatu Berthilda Conjugis*. Anno quoque Regni sui XXV. Sibiconi Episcopo Patavino omnes Ecclesiæ tabulas, quas iidem Hungari flammis absumpserant, restituit. Nec Imperator factus hæc pietatis opera omisit: nam Cremonensem Ecclesiam, Hungarorum vastationibus graviter afflictam, haud spernendis vectigalibus liberavit, *Kal. Septembr. Regni sui* XXIX. *Imperii verò adhuc primo*; indulsitque, *ne quis Procurator Regius aliquam in Urbe haberet potestatem, néve quis Comes, Vicecomes, Sculdasio, Gastaldio, Decanus Regius, in Urbe, aut extra Urbem ad V. M. passuum placita custodiret, aut hospitaretur injussu Ioannis Episcopi, aut successorum ejus.*

4. IUS UMBELLAE.] Nempe ab Anastasio Pontifice, qui Sergio in Ecclesiam successit.

5. PROEDRIAE PRAEROGATIVA.] Id est, sessionis prærogativa, quæ erat, ad lævam Pontifici in Synodo assidendi.

6. GARILIANO EXPELLENDOS.] Quomodò à Docibili Principe Cajetano Garilianum Saraceni impetraverint, suprà è Leone Ostiensi, tradidi, supervacuumque duxi hîc denuò repetere. Annus ferè quadragesimus agebatur, ex quo *in monte Gariliano*, ut scribit Luitprandus libro II. cap. XII. *munitionem constituerant, in qua uxores, captivos, parvulos, omnémque supellectilem satis tutò servabant. Nemo ab occasu, sive ab Arcturo, orationis gratiâ, ad Beatissimorum limina Apostolorum transire poterat, qui ab his non aut caperetur, aut immodico pretio dato dimitteretur. Quamvis enim misera Italia multis Hungarorum, & ex Fraxineto Saracenorum cladibus premeretur; nullis tamen furiis & pestibus sicut ab Africanis agitabatur.* Coërceri igitur debuit illa rapacium insolentia, & primò, quomodò universis suis oppidis expulsi fuerint, nequid addam, idem Auctor expediet. *Accidit Pœnorum quendam Iuvenem injuriis lacessitum Pœnos deserere, & ad Ioannem Papam advenire, tactumq; divino spiramine Papam ita convenisse: Sacerdos magne, si saperes, Populum terramq; tibi subjectam, à Pœnis tam graviter dilaniari non sineres. Elige igitur Iuvenes nimiâ quasi mobilitate volipedes, qui me Imperatorem, Præceptorem, Dominum æquanimiter audiant: horum neminem præter singulas parmas, singulaq; pila, ensésq; singulos, & simplices vestes, cum exiguitate obsonii habere permittito. Sexaginta denique hujusmodi inventis, sibiq; traditis, adversùm Pœnos properat; latuitq; secus angustias, quà Pœnorum iter erat, viæ. Cúmque circumcircà sæpius, & iterum Pœni depopulantes redirent, clamore quam maximo, ex improviso atque insperato ex insidiis prosilientes, eos faciliter trucidabant. Clamor ex ore, ictúsque simul à manu processerant: neque enim Pœni, qui, quidve esset priùs scire poterant, quàm istorum spicula horum corporibus inhærebant. Hac denique famâ, hócque exercitio nonnulli Romanorum acciti, plurimis in locis Pœnos prostraverant, callidoq; hoc Africani consilio attriti, Civitates penitus* rupte

rupto inter se fœdere deserebant, solúmque Garilianum montem sibi pro munitione deligebant. Conclusis hoc monte Saracenis Landolfus, Beneventanorum Princeps, cœpit interitum moliri. Ille enim Pontificem Ioannem Decimum exhortari, ille monere, ut à Græcorum Augusto auxilium exposceret: breviter, ille tantum efficere, ut Græci, Camerini, Spoletini, multaque pars Italiæ convenerint, ad pestem illam coërcendam. Quid verò Saraceni? Luitprandus dicat, libro II. cap. XIV. *Dum Christianorum partem prævalere conspicerent, in Gariliani montis summitatem confugiunt, angustásque tantùm vias defendere moliuntur. Ex parte verò illâ quà difficilior erat ascensus, Pœnisque ad fugiendum aptior, Græci castrum die illâ constituunt, in quo residentes Pœnos, ne fugerent observabant, quotidiéque oppugnantes non mediocriter trucidabant. Græcis igitur, Latinisq. quotidie confligentibus, Deo miserante, ne unus quidem superfuit, qui non aut gladio trucidaretur, aut vivus continuò caperetur.*

7. IMPERATOR CREATVS.] Priùs à Ioanne Nono Pontifice Maximo Imperii insignia, sed non ritè obtinuerat: nam armatâ manu Romam profectus, ea Antistiti extorserat. Ipse tamen Augusti titulum nusquam legitur usurpasse. Fortè, quia Imperii diadema solenniter ab eodem Præsule mox in Lambertum translatum fuit. Ioannes ergò Decimus confecto, Berengarii quoque auxiliis, feliciter Saracenico bello, hostimentum Regi referre voluit; ac tandem mense Septembri Imperatorem sacro oleo unxit. Hinc illa diplomata: *Regni sui* XXIX. *Imperii verò adhuc primo. Regni sui* XXXI. *Imperii verò tertio.*

HISTORIA.

In hoc fastigio lubricum iterum fortunæ statum sensit, odiis suorum merâ virtute obnoxius. Principem quamvis optimum, [1] quia nimis tamen diuturnum, optimates aliqui non ferebant. [2] Conjurationi quoque Lambertus Mediolanensium Antistes accessit, viresque addidit. Sed quid? Deprehensis semel iterumque rebellibus Rex pepercit: [3] & quàm perversis! clementiâ gravis fuit. Ausi post veniam nefas, acriùs perniciem benefactori intentârunt: obstinatiores etiam, quia misericordiam consumpserant. Conjuratio in bellum erupit. [4] Rodulfus Burgundiæ Rex in Italiam vocatur: venit, percellit, Ticinum occupat. Berengarius prœlio victus [5] Veronam evadit, ô Deus! hostem fugiens, ut amicorum scelere periret. Insidiæ [6] à Flamberto quodam structæ, sed suspicioni & rumori obnoxiæ, Imperatorem periculi velut admonebant. Is tamen quo remedio usus

est? Vocatum increpitumque flagitii auctorem placare, quàm punire maluit; & pepercit insidiatori, ut parricidam faceret. Quid etiam? quasi satis non esset, vitam noxio dare; amoris pignus, aureum ingentis pretii poculum adjecit, atque ex eodem libans, salutem suam & commendavit novo jam amico, & credidit. Nimium hoc beneficium fuit. Etenim Flambertus simulatione fidei, quàm inito cædis consilio improbior, nescire voluit, quantum à Rege accepisset. Postero die (nec enim diutius solo animo cruentus esse poterat) juvenum stipatus globo, tam mitem invadit dominum, & romphæâ feriens, nullas jam insidias metuentem sternit. Prô dedecus, quanta perfidia! nisi amplius etjam, quòd 7 in ipso templo; non satis parricida, nisi & sacrilegus esset. Neque potuit tamen sine ultione tantum patrari facinus. 8 Vindicem Milo, urbis Comes, egit, totamque illam conjuratorum manum crudeli supplicio sustulit; cùm satis non esset, tam nefarios mori.

COMMENTARIVS.

7. QVIA NIMIS DIVTVRNVM.] Ita est natura humana, scribente Calpurnio Eclogâ VII.

Vilia sunt nobis quæcunque prioribus annis
Vidimus, & sordet quicquid spectavimus olim.

Ac præcipuè Imperii semper arridet novitas, atque adeò interdum sine ullis caussis, *nisi quòd mutatus Princeps*, scribente Tacito libro V. Annal. *licentiam turbarum, & ex civili bello spem præmiorum ostendat.* An addo? sed è libro II. *Vononem accepêre Barbari lætantes, ut fermè ad nova Imperia.*

2. CONIVRATIONI QVOQVE LAMBERTVS.] Luitprandus libro II. cap. XV. *Caussa rebellionis hæc fuit. Dum Lambertus, defuncto antecessore, Mediolanensis Episcopus ordinari debuisset, non parvam ab eo Rex Berengarius, contra sanctorum instituta Patrum, accepit pecuniam, quantam Cubicularii, quantam Ostiarii, quantam Pavonarii, ipsi etiam altilium custodes accipere deberent. Lambertus igitur Archipræsulatûs amore vehementer animatus, quæcunq; Rex posceret, quanto cum dolore tribueret, ex hoc intelligere poteris, quòd subsequens lectio declarabit. Oldericum Palatii Comitem* (qui cum Adelberto Iporegiæ Marchione conspiraverat) *vinctum tunc Berengarius tenebat. Cúmque Lambertum Archiepiscopum constitueret, Oldericum ei, donec quid de eo ageret deliberaret, commendavit. Is autem pecuniæ multæ, quam pro Episcopatu erogârat, non immemor, hoc cum pacto cœpit de ejus infidelitate discutere. Paucis denique interpositis diebus, Rex Berengarius, nunciis directis, Oldericum ad se venire præcepit.* Quid fit? Lambertus

tus, ut ostenderet se Berengario nil debere, & pro Episcopatu, in quem auro, haud gratis venerat, nolle gratiam referre; negat se, quòd Sacerdos esset, quemquam ad lanienam traditurum; imò dimittit. Itaque lego eum in prœlio quod Hungari in Berengarii gratiam suscipiebant, viriliter rem gerentem occubuisse.

3. ET QVAM PERVERSIS!] Princeps & caput horum fuit Gilebertus Comes, qui cùm in Hungarorum potestatem, prope Brixiam vivus pervenisset, multisq; suppliciis afficeretur, à Berengario liberatus ac dimissus fuit. Sed quam gratiam Regis clementiæ rependerit, Luitprandus lib. II. cap. XVII. tradit: *Gilebertus, quia agnitus, flagellabatur; vinctus nudusq; ante Regis præsentiam ducitur. Enimverò dum ante eum sine femoralibus, curtâ indutus endymate ductus Regis ad pedes concitus caderet, genitalium ostensione membrorum ad risum omnes commovit. Rex autem, ut erat pietatis amator, misericordiâ, quæ ei nulla debebatur, inclinatus, ei, non ut populus optavit, malum pro malo reddidit; verùm confestim lotum, optimusq; vestibus indutum abire permisit. Cui & ait: Iusjurandum à te nullum exigo, fidei tuæ te ipsum committo. Si malè contra me egeris, rationem te scias Deo redditurum. Hunc denique ad propria redeuntem, Regis gener Adelbertus, cæteriq; qui cum illo rebelles extiterant, accepti immemorem beneficii, ad Rodulfum ut adveniat, dirigunt. Profectus itaq; eodem Gilebertus, ante triginta dies in Italiam eum venire coëgit.*

4. RODVLFVS BVRGVNDIAE REX.] Filius Richardi Ducis, & Mechtildis, Neptis S. Rodulfi, Qui, cùm Conradus, filius S. Rodulfi ob ætatem præesse nequiret, Regnum Burgundionum administravit. Luitprandus eum à fastu vituperat, lib. II. cap. XVI. *Rodulfus Rex superbissimus Burgundionibus imperitabat. Cui in augmentum potentiæ hoc accessit, ut potentissimi Suevorum Ducis Burchardi filiam, nomine Bertam, sibi conjugio copularet.*

5. VERONAM EVADIT.] Berengarius Veronam toto triennio contra Rodulfum tenuerat, cumque novi & exteri Regis imperium nonnullis grave videretur, atque hi ab eo quoque se disjungerent, extremam statuit aleam experiri. Itaque positis juxta Florentiolam castris, haud detractantem prœlium Rodulfum provocat. Nec mora, concurritur, graviterque fortuna & Burgundum affligit, & Berengarium deprimit. Rem è Luitprando narro, lib. II. cap. XVIII. *Dederat Rex Rodulfus VValdradam sororem suam, tam formâ quàm sapientiâ honestam matronam, quæ nunc usque superest, Conjugem Bonifacio Comiti potentissimo, qui nostro tempore Camerinorum; ac Spoletinorum extitit Marchio. Hic collectâ multitudine, cum Gariardo Comite, Rodulfo Regi in auxilium veniebat: atque ut erat vir tam callidus, quàm audax, maluit potiùs in insidiis positus cum suis rei exitum exspectare, quàm primum belli impetum sustinere. Iam Rodulfi penè omnes milites fugerant, & Berengarici, dato victoriæ signo, colligere spolia satagebant; cùm Bonifacius & Gariardus subitò ex insidiis properantes, hos tantò leviùs, quantò inopinatiùs sauciabant. Pepercerat Gariardus nonnullis, hastâ eos, & non ferro percutiens: Bonifacius nulli parcens, immensam fecerat stragem. Signum itaq; victoriæ ceperat, conveniuntq; qui ex Rodulfi parte confugerant, persequentesq; Berengaricos, fugam illos inire cogebant. Berengarius verò in incognitum à Domino Veronæ perrexit asylum. Tanta quippe tunc interfectorum strages facta est, ut militum usq; hodie*

permagna raritas habeatur. Quomodò Berengarius evaserit, è Constantini libello, iratâ, ut credo, Veritate scripto, audiamus: *Primo conflictu Berengarius vicit, altero Rodulfus. Qui Berengarium sequebantur, in fugam acti sunt. Ipse verò Berengarius à suis desertus mortuum se simulavit, interq; mediam stragem lapsus, pelle se suâ texit, protenso pede. Quidam è Rodulfi militibus veniens, pedem ejus venabulo percussit, cumq; eum non moveri videret, discessit: Rodulfi verò milites Berengarium eum esse ignorabant. Cessante prælio, surrexit Berengarius, soluq; Palatium suum petiit.*

6. A FLAMBERTO QVODAM STRVCTAE.] Cujus filium (teste Luitprando) è sacro Fonte susceperat.

7. IN IPSO TEMPLO.] Solebat enim in amœnissimo tuguriolo, sine custodibus, juxta templum pernoctare, & manè, pietatis ergò, introire: quod cum Flambertus observasset, incautum, beneficumque Regem oppressit. *Quàm innocentem sanguinem fuderit, quàmque perversè egerit, nobis reticentibus* (verba Luitprandi sunt, lib. II cap. XX.) *lapis ante cujusdam Ecclesiæ januam positus, sanguinem ejus cunctis transeuntibus ostendens insinuat: nullo quippe delibutus aspersusq; liquore discedit.* Occisus Berengarius anno Christiano CIↃ. C. XXIII. circa mensem Decemb. Sepultus Veronæ, in Arce, & Porticu S. Petri.

8. VINDICEM MILO.] Dicat idem Luitprandus: *Nutrierat sibi Rex Berengarius familiariter lautèque juvenem, imò Heroëm quendam, Milonem nomine, memoriâ satis ac laude dignum. Is sanè nocte eâdem, quâ Rex Berengarius deceptus est, adhibitis sibi copiis, nocturnas ei vigiliarum custodias voluit exhibere. Rex verò promissionibus Flamberti deceptus, Milonem se non solùm custodire non sivit, verùm etiam atque etiam vehementer prohibuit. Milo autem, sicut vir fidelis & rectus, ac beneficii sibi à Rege collati, quem defendere non potuit, citò acriter voluit vindicare. Tertiâ quippe post Regis necem die, Flambertum, eiq; in tam nefario scelere conniventes, vi captos, suspendio vitam finire coëgit.*

HISTORIA.

CVSTODE remoto, [1] Irruptioni Hungarorum denuò Italia patuit: qui Salardo duce, Mantuam, Brixiam, & Bergomum fœdo incursu diripuêre. [2] A Rodulfo quæ auxilia? quasi satis, Regni insignia cepisse, in Galliam suam redierat. Barbarorum furor primo successu audax, belli flammam protulit. Ticinum obsidione clausum, & calamitate pressum est. Cùm æquè ventus, ipse barbarus, ac hostis sæviret, ac prorsus conspiraret, ignis in tecta missus, qui valido actus flatu, etiam invitam materiam corripuit, perque urbem [3] incendium latè fudit. Itaq; dum opem domibus oppidani ferunt, portæ à Barbaris effractæ sunt, [4] civitas capta, ferro & novâ

& novâ flammâ deformata. Tanquam avaritiam ſimul ac crudelitatem unâ in urbe expleſſent, Italiâ exceſſerunt: & veniſſe diceres, ut quę Regia nuper fuerat Longobardorum, concideret. Sic Barbarorum opus Barbari demoliti ſunt, ut plura Inſubres vulnera acciperent.

COMMENTARIVS.

1. IRRVPTIONI HVNGARORVM.] Salardo Duce in Italiam veniſſe, ſcribit Sigebertus in Chronico.

2. A RODVLFO QVAE AVXILIA?] Regem credo gravi tum valetudine decubuiſſe. Frodoardus enim eodem anno quo hæc geſta ab Hungaris fuêre, tradit, acerrimo morbo fuiſſe oppreſſum: *Graviſſimo languore corripitur, cujus à reciduo dum jam convaleſcere putabatur opprimitur; & penè deſperatus à pluribus, Rhemos ad S. Remigium ſe deferri fecit, ubi nonnulla dona largitus. Caterùm, prater Vxoris partem, quicquid ſibi Theſaurorum ſupererat, per Monaſteria Franciæ, Burgundiaq. direxit; & quatuor hebdomadibus apud S. Remigium demoratus, tandem reintegratâ ſanitate Sueſſonicam petiit urbem:* imò poſteà, ut à nobis dicetur, Hungarorum è Galliâ fugientium tergis gnaviter inhæſit.

3. INCENDIVM LATE FVDIT.] Luitprandus carmine haloſim iſtam deſcribit: & quia hunc luxum ingenii in Hiſtoriam duxit, neminem offendam, ſi eundem expreſſero:

Clarus ab infuſo deſcendens ſidere Phœbus
Zodiaci primùm ſolito conſcendere ſidus
Incipit, & gelidas diſſolvere colle pruinas,
Æolus, atque ſuos bis binos mittere flatus;
Hungrorum furibunda manus cùm gaudet in Vrbem,
Flatibus Æolus adjuta, infundere flammas.
Spiritibus validis parvus diffunditur ignis.
Nec juvat Hungarios ſolis hos urere flammis;
Vndique conveniunt, mortemq. inferre minantur;
Confodiunt telis, calidos quos terruit ignis.
Vritur infelix olim formoſa Papia,
Vulcanusq. ſuos attollens flatibus artus,
Templa Dei, patriamq. ſimul conſcendit in omnem.
Exſtinguunt matres, pueri, innuptaq. puellæ,
Sancta catervatim moritur catechumena plebs, tunc
Præſul in Vrbe ſuâ moritur, Sanctusq. Sacerdos,
Nomine qui proprio Bonus eſt, dictúsque Ioannes.
Quod fuerat longo thecis in tempore clauſum,
En jacet, hoc aliena manus ne tangeret aurum,
Atque per immenſas diſſolvitur igne cloacas.
Vritur infelix olim formoſa Papia.
Cerneres argenti rivos, paterásque micantes,
Corpora majorum paſſim combuſta virorum,
Iaſpidis hic viridis pretium, rutilique topazi,
Spernitur & ſapphirus, onyx, pulcherq. beryllus:

Inſtitor

Institor, heu, faciem nullus deflectit ad aurum.
Vritur infelix olim formosa Papia.
Lucidus immensas seruat nec fonte carinas
Ticinus, sentina simul diffunditur igne:

anno Christiano C ∞. XXIV. IV. Eid. Martii, Indictione XII. Feriâ VI. horâ III. quemadmodum Luitprandus notat. Habuit enim hic annus, qui Bissextilis fuit, Litteras Solis D. C. quarum C. à bissexto computatur. Hæc vel è manu manifesta sunt, quâ tempora omnia ex tempore digero.

4. CIVITAS CAPTA.] Alii captam, alii non captam volunt: mihi istorum opinio potior visa est: quemadmodum & Carolo Sigonio. Vtram in partem inclinet Frodoardus, tuipse, Lector, statues. Verba enim ejus in medium profero: *Papiam quoque urbem populosissimam atque opulentissimam igne succendunt, ubi opes periere innumerabiles, Ecclesiæ* XLIII. *succensæ, urbis ipsius Episcopus cum Episcopo Vercellensi, qui unà erat, igne fumoq; necatur: atque ex illâ penè innumerabili multitudine ducenti tantùm superfuisse numerantur, qui ex reliquiis urbis incensæ, quas inter cineres legerant, argenti modios octo dederunt Hungaris, vitam, murosq; civitatis vacua redimentes.* Luitprandus lib. III. cap. II. vaticinium B. Syri de calamitate urbis commemorat: ejusdem sanctissimi Viri exuviis adscribit, extremam ruinam depulsam esse.

5. ITALIA EXCESSERVNT.] Idem Frodoardus: *His expletis, Hungari per abrupta transeuntes Alpium juga, venerunt in Galliam: quos Rodulfus Cisalpinæ Rex Galliæ, & Hugo Viennensis inter angustias collium Alpinorum claudunt. Vnde inopinato loco per devia montis evadentes Gothiam impetunt, quos insequentes prædicti Duces, sternunt ex eis, quos reperire poterant.*

ERY-

HISTORIÆ INSVBRICÆ

LIBER VI.

BREVIARIVM.

ERMENGARDA *dominandi cupida, Ticinum occupat, & Rodulfum Regem deliciis pellectum ad se trahit. Vtrumq; Hugo, stirpis Carolinæ, pellit; sed ab Insubribus vocatus. Hos denuò, Romanæ Vrbis Principatu frustrà tentato, infestos habuit. Rudolfum muneribus, Arnoldum Bajoariæ Ducem armis reprimit. Lotharius Hugonis filius ad Regni consortium assumptus, Rudolfi filiam nuptiis sibi jungit, gemino jam velut jure sceptrum stabiliens, quia & filius Regis, & gener. Bellum deinde cum Romanis, sed infaustum: cum Græcis, sed Barbarum. Novus Berengarius, quia insidiis petitus, in Germaniam se recepit. Saraceni domiti, & Alpibus custodiendis impositi. In Italiam tamen Berengarius penetrat, & à Proceribus Rex creatur, Regio nomine Hugoni & Lothario concesso. Germanorum, & rursus Hungarorum Irruptio. Lotharius moritur. Ejus uxor, Adelberti (is Berengarii filius) connubium aversata, & sic bello petita, Othoni, Germaniæ Regi, suppetias ferenti, & victori jungitur. Berengarius, quia supplex, parte Regni donatus est, & mox totum invadit, reliquam simul Italiam turbans. Sed quid? vindicem Othonem sensit, & in exilium pulsus est. Otho iam Regno major, & Augusti nomen sumens, ad Germanos Imperium transtulit.*

HISTORIA.

PARUM etiam à viris Regibusque calamitatum, nisi eosdem animos femina sumeret, ac masculo impetu ad Regnum grassaretur. Ermengarda fuit, Adelberti Tusciæ [1] Marchionis filia, etjam [2] formæ illecebris potens, quibus Principum [3] favor obnoxius erat. Postquàm opes bello pares congessit, spreto sexu, è Gynæceo in castra transiit, non imperio tantùm, sed manu, si opus, pugnatura. Profectò & Marti hæc Venus placuit, tam felix, quàm formosa. Ticinum, à nuperâ adhuc plagâ debile, armato milite invadit, & occupat. Reginam jam diceres, quæ Regiam expugnârat. Sed & in feminâ erat, quod Rodulfus timeret. Appropetat igitur, exercitum ducit, urbem claudit. Atque tum blanditiis quoque Ermengarda pugnat. Cùm lenta traheretur obsidio, misso trans amnem nuncio, Regem insidiarum admonuit; quas sive finxit, pro ingenio callida, sive verè indicavit, ut affectum beneficio mercaretur. Ille fidem litteris habuit, & nocte concubiâ clàm è castris excedens, lintre transmisit fluvium, & in urbem, velut jam suam, receptus est. Vim & crudelitatem quis timeret? solus venerat. Postridie cùm [4] apud hostes esse Regem, divulgatum, exercitus omnis sine duce profugit. Rodulfus autem dignam amore suo formam intuitus, in Ermengardæ sinum bellum deposuit. Nec infra pulchritudinem fides mulieris fuit: Regem sciebat, quem exceperat; & sic tamen, quia amari meruit, vicisse videbatur.

COMMENTARIVS.

1. MARCHIONIS FILIA.] Et secunda uxor Adelberti Eporediæ Marchionis: quo mortuo, hanc expeditionem suscepit.

2. FORMAE ILLECEBRIS POTENS.] Magna mehercules est formæ potentia. Ea & Solones, & Lycurgos ad se rapiet, si modò oculos liberè vagari patiantur. Itaque rectè silentem fraudem eam Theophrastus appellavit; & Aristoteles, rem quâvis epistolâ efficacio-

rem;

rem; Carneades, Regnum sine satellite: imperat enim quicquid desiderat, nullâ adhibitâ vi. Anacreontem audi:

Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον,
Καὶ πῦρ καλή τις οὖσα:
Vincit decora ferrum,
Ignemq́; forma vincit.

Afranium quoque, ut alios omittam:

Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum.

3. FAVOR OBNOXIVS.] Luitprandus lib. III. cap. II. *Caussa autem potentiæ ejus hæc erat: quoniam, quod dictu etiam fœdissimum est, carnale cum omnibus non solùm Principibus, verùm etiam cum ignobilibus commercium exercebat.*

4. APVD HOSTES ESSE.] Si nec hoc satis, eruptionem adversariorum viribus in suum ipsius parare exercitum, ut idem Luitprandus scribit.

HISTORIA.

VT igitur Italiam femina conturbaret, satis non erat Barbara. Virorum hoc scelus, & mox iterum emersit. Etenim Proceres, à quibus Rodulfus fugerat, [1] hostes facti, [2] Hugonem, [3] Comitem Arelatensem, [4] è Provinciâ ad Regnum vocant, juvenem excelsi animi, & [5] stirpis Carolinæ. Non longo itinere, nec difficili bello ad hoc fastigium enitendum erat: Italiæ totius humeri manusque novum ferebant Regem. Rodulfus minanti, atque impendenti tempestati impar, jam quoque ab Ermengardâ fugere maluit, quàm discrimine obrui. Quia & domi Rex erat, [6] in Burgundiam suam revolavit.

COMMENTARIVS.

1. HOSTES FACTI.] Luitprandus lib. III. cap. III. *Cúmque Mediolanum, tutum scilicet ad locum pervenissent, consensu omnium, Lambertus Archiepiscopus Hugoni potentissimo & sapientissimo Provincialium Comiti mandat, ut Regnum Rodulfo auferat, sibiq́; potenter obtineat.*

2. HVGONEM.] Hugo filius fuit Lotharii Comitis Arelatensis, Lotharii Regis Lotharingiæ nepos, Lotharii Imperatoris pronepos, Ludovici Pii abnepos, Caroli Magni adnepos. Matrem Bertam habuit, quæ quidem anteà Adelberto Tusciæ Marchioni nupta fuerat, illique Vidonem, Lambertum, & Ermengardam, de quâ hîc agimus, pepererat. Nonnullis verò Hugonis, Lotharii Secundi è Waldradâ concubinâ nati, filius habetur: quibus Imperator Constantinus non mediocriter irasceretur, hanc si Genealogiam audiret. Ipse enim Lotharium Regem avum, & Adelbertum filium Lotharii (sed perperam) patrem Hugoni facit. Fortassis ut Romano Porphyrogenito nobilissimam

mam videatur Conjugem dedisse: filia enim Hugonis Berta nomine, & posteà Eudocia appellata, Constantini filio nupserat, ut ipse Imperator cap. XXVI. scribit. Hanc Bertam pellicis cujusdam Bezolæ filiam fuisse, è Luitprando comperi, lib. V. cap. IX. Dictus fuit Hugo vulgò Schapplarius, & Hugo Magnus. Vir fuit *non minoris scientiæ, quàm audaciæ*, teste Luitprando, libro III. capite V. *non inferioris fortitudinis, quàm calliditatis, Dei etiam cultor, sanctæq; Religionis amatorum amator, in pauperum necessitatibus curiosus, erga Ecclesias sollicitus, Religiosos Philosophosq; viros non solùm amabat, verùm etiam fortiter honorabat*. Hic, regnante etiam Berengario, Italiæ Regnum aliquando tentaverat, ut idem Luitprandus scribit, lib. III. cap. III. *Erat enim longo ex tempore, multis argumentis & ipse periclitans, si fortè Regnum posset obtinere Italicum. Hic, Berengarii jam nominati Regis tempore, cum multis in Italiam venerat: sed quia Regnandi tempus nondum ei advenerat, à Berengario territus est, atque fugatus.*

3. COMITEM ARELATENSEM.] Arelate Narbonensis Provinciæ nobilis urbs, aliquando sedes Regum Burgundionum: sed cùm vires eorum crebris bellis exhaustæ essent, Regniq; membra variè discerperentur, domicilium esse Comitum Provinciæ cœpit, qui se Arelatenses Comites quoq; scribebant. Cassiodoro lib. VIII. epist. X. *Civitas est supra undas Rhodani constituta; quæ in Orientis prospectum tabulatum pontem, per nuncupati fluminis dorsa transmittit.* Plinio lib. III. cap. IV. Colonia Sextanorum dicitur: *In mediterraneo colonia Arelate Sextanorum, Blitera Septimanorum, Aransio Secundanorum*. De Arelatensibus addenda vetus Inscriptio:

DIVAE
FAVSTINAE
AVG
SEXTANI
ARELATENSES

Ausonio nomine Gallulæ Romæ urbs hæc celebrata est:

Pande duplex Arelate tuos blanda Hospita portus,
Gallula Roma Arelas, quam Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.
Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis,
Vt mediam facias navali ponte plateam,
Per quem Romani commercia suscipis Orbis,
Nec cohibes, Populosq; alios & mœnia ditas;
Gallia quis fruitur, gremióque Aquitania lato.

Constantinus tyrannus, qui tempore Honorii Iunioris Imperator in Britanniis factus, Arelate sedem Imperii fixerat, ad Agricolam Præfectum Prætorio Galliarum, scribens, hanc urbem laudat, & Constantinam nominat: *In Constantinâ urbe jubemus annis singulis esse concilium. Tanta est loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quicquid usquam nascitur, illic commodiùs distrahatur. Neque enim ulla Provincia fructûs sui facultate lætatur, ut non nisi hæc propria Arelatensis soli credatur esse fœcunditas. Quicquid enim dives Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fœcunda Gallia potest habere præclarum, ita illi exhibetur affatim, quasi ibi nascantur omnia, quæ ubique constat esse magnifica*. Totam Constitutionem apud Scaligerum vide, in Lectionibus Ausonianis.

4. STIRPIS CAROLINAE.]

Anre-

An repeto? Caroli Magni Filius, Ludovicus Pius Imperator; Nepos, Lotharius Imperator, qui fratres habuit Pipinum Aquitaniæ Regem; Ludovicum Germaniæ Regem, & Carolum Calvum Imperatorem; Pronepos, Lotharius, Lotharingiæ Rex, qui fratres item habuit, Ludovicum II. Imperatorem, & Carolum Burgundiæ Regem; Abnepos, Lotharius Comes Arelatensis; Adnepos, Hugo, de quo hîc agimus, ab Insubribus ad Regnum vocatus. Hugonis mater Berta fuit, sed anteà Adelberto Tusciæ Marchioni, cognomento Diviti, nupta. Vtriusque conjugii stirpem per ramos suos breviter produco, quæ ad lucem reliquæ Historiæ meæ faciet. Stirpem, inquam, Adelberti, & Lotharii, ex eâdem Bertâ.

ADELBERTVS Tusciæ Marchio. Vxor BERTA.

ERMENGARDA, quæ Rodulfum posteà pellexit; nupta Adelberto Eporediæ Marchioni, post mortem Giselç Berengarii Imper. filiæ; ex quâ Giselâ.

LAMBERTVS Tusciæ Marchio.

VIDO Tusciæ Marchio. Vxor MAROCIA, vidua Alberici, HVGONI posteà juncta.

BERENGARIVS II. Rex. Vxor WILLA Bosonis & Willæ filia.

LOTHARIVS Comes Arelatensis.

BERTA, Adelberti vidua. —— Vxor —— Anonyma.

HVGO Italiæ Rex. Huic tres Vxores, Alda, Marocia, Berta Rodulfi Regis vidua: ex Aldâ.

BOSO Tusciæ Marchio. Vxor Willa Burgunda.

ALDA, nupta Alberico Consuli Romano, Alberici & Marociæ Filio.

LOTHARIVS Rex. Vxor ADELEIDIS, Rodulfi Regis filia, nupta deinde OTHONI Imperatori.

WILLA, nupta BERENGARIO II.

ADELBERTVS Rex Italiæ, quem Adeleidis spreverat.

5. E PROVINCIA.] Romani subactam Narbonensem Galliam in Provinciæ formam redegerunt. Avernus ille apud Cæsarem: *Quod si ea quæ in longinquis regionibus geruntur ignoratis, respicite finitimam Galliam, quæ in Provinciam redacta, jure & legibus commutatis, securibus subjecta, perpetuâ premitur servitute.* Hinc sanè existimatur, pars illa

illa Galliæ, κατ' ἐξοχὴν impositæ quondam conditionis nomen assumpsisse, & mordicus in hunc diem servasse. Non frustrà Plinius libro III. cap. IV. *Agrorum cultu, virorum morumq; dignatione, amplitudine opum nulli Provinciarum postferendi, breviterq; Italia veriùs, quàm Provincia.* Ab Oriente clauditur Alpibus, & Varo flumine: ab Occidente, ut & hodie nomina sunt, Arausiorum, & Avenionensi Principatu: à Meridie Gallico mari: à Septentrione Delphinatu, & flumine Druentio. Regio est vini, tritici, olei, ficuum, castanearum, citriorum, oryzæ fertilissima, Naturæ ubertatem pleno quasi cornu fundens.

6. IN BVRGVNDIAM SVAM.] Burchardi tamen Suevorum Ducis auxiliis instructus, in Italiam iterum, & Eporediam usque pervênit, Mediolanensem tum Vrbem arce frenaturus, nisi consilia detecta delataque ad Lambertum fuissent; qui extemplò Ticinensium, aliorumque viribus, omnes illius copias prope Novariam fudit, maleque pugnantem fugere secundò in Burgundiam compulit.

HISTORIA.

Quæ tempora! quæ fortunæ ludibria! Acerrimis provincia factionibus divisa, & plusquàm hostili rabie agitata, nec sub Rege, nec sine Rege poterat esse. Postquàm mutuis Optimatium odiis servire discordia populorum cœpit, majestas sceptri fracta est, & auctoritas eviluit. Potentia igitur omnis penes Principes Præfectosque erat: his urbes obnoxiæ, velut furore agebantur. Sed Hugo [1] consensu omnium adscitus, satis non putavit administrare Regnum, nisi stabiliret: & tanquàm domesticis præsidiis haudquaquàm tutus, externa adjecit. [2] Germaniâ jam [3] & Græciâ opus erat, ut Insubres quiescerent: & ab utrâque plagâ favor & amicitia profuit. Virtutem quoque Regis illustrem, imò formidabilem detecta, & penitus extincta [4] Ticinensium quorundam conjuratio reddidit. Iudex erat, qui sceleris auctor; ac tantò iniquior, quia punire debuisset, quod ausus est. Ludibrium contemptumque Regii nominis postquàm delevit severitas, timeri adhuc magis, quàm coli Hugo meruit. Nuptiis deinde Italicis ad potentiam surgens, [5] Marociæ, nobilissimæ eo tempore, atque potentissimæ feminæ conjugium non sprevit; quæ tali marito Vrbis quoque Romæ Principatum spopondit. [6] Ergò pellectus venit, & tanquàm in dotem cives mœnia dicerent, novum

blando

blando affectu admisêre Principem; sed ut turpiùs paullopòst exturbarent. Non poterant levitate suâ constantes esse, qui in mulieris gratiam obliti erant se Romanos dici. Ac sanè puduit gentem, adhuc Martiam, sine bello & sanguine in alienam transiisse potestatem, cùm timuisse quoque feminam viderentur. Armis igitur vindicata Vrbs, injiciente facem stimulumque (quis crederet?) 7 Alberico Marociæ filio; & dedecus furore expiatum est. Alberico: qui sive contumeliâ inter ministrandum ab Hugone affectus, sive contumeliam ratus, à patre ad vitricum translatum Vrbis imperium, cujus heres esset; & incestas censuit matris nuptias, & Romanis 8 auctor seditionis fuit. Tanquam rediisset ad libertatem Civitas, prisco exemplo 9 Consules electi: & hoc statim nomine Albericus, velut alter Brutus Rempublicam cœpit administrare. Sed ubi fata jam Romana! Pontifex supererat, & à Deo constitutus; cui fasces Consulares, pietate cogente & religione, mox iterum submisit liber populus: quid nisi servitutem profanæ potentiæ fugiens? Orbis caput Vrbs una sanctiùs venerari voluit. Sed Hugo velut Tarquinius fugit, ac nescio an ideò miserior, quòd nullis populum injuriis irritârat.

COMMENTARIVS.

1. CONSENSV OMNIVM.] Luitprandum audiamus, libro III. cap. IV. *Hugo Arelatensium, seu Provincialium Comes navem conscenderat, & per Tyrrhenum mare in Italiam festinabat. Deus itaque, qui hunc in Italiâ regnare cupiebat, prosperis eum flatibus brevi Alpheam, hoc est, Pisam duxerat. Cumq; eodem pervenisset, adfuit Romani Papæ Ioannis scilicet Ravennatis Nuncius: adfuerunt etiam penè omnes Italienses Nuncii, qui hunc regnare incitabant.*

2. GERMANIA.] Quâ industriâ Hugo usus sit, idem Luitprandus narrat, lib. III. cap. V. *Sicut vir prudentissimus, quocunq; terrarum cœpit Nuncios suos dirigere, multorúmque Regum ac Principum amicitiam quærere: Henrici præsertim famosissimi Regis, qui, ut suprà memoravimus, Bajoariis, Suevis, Lotharingis, Francis, ac Saxonibus imperabat. Hic etiam Sclavorum gentem innumeram subjugavit, sibiq; tributariam fecit. Primus etiam hic Danos subjugavit, sibiq; servire coëgit; ac per hoc nomen suum multis nationibus celebre fecit.* Hic etiam pietatis & sacrarum reliquiarum cultor fuit eximius: quippe, teste Sigeberto, *lanceam mirandi operis ex clavis* IESV CHRISTI *sanctificatam, quæ dicitur Primi & Magni Constantini Imperatoris fuisse, donatam*

Rodulfo Regi Burgundionum, & Italiæ, à Sampsone Comite, precibus, minis, muneribus, additâ etiam parte Provinciæ Suevorum, à Rodulfo Comite extorsit, & hanc ad insigne & tutamen Imperii posteris reliquit. Verius tamen est, Regi Rodulfo extortam fuisse, quàm Comiti. Nam cùm Burgundia ad Comitatûs angustias redacta fuit, preces Regum Germanorum ei imperia fuêre; & ab iis Duces, Comitesque illius confirmabantur; Regium verò nomen sibi servabant. In Gestis S. Gerardi apud Surium tomo V. V. Non. Octobr. & Luitprando lib. IV. cap. XII. liquidò nomen Regis Rodulfi exprimitur.

3. ET GRAECIA OPVS ERAT.] De Patre hîc suo Luitprandus agit, lib. III. cap. V. *Imperabat verò his tunc temporibus memoriâ satis & laude dignus Romanus Imperator, liberalis, humanus, prudens, ac pius: cui tum propter morum probitatem, tum propter linguæ urbanitatem, genitorem meum direxit Nuncium. Qui cum eò pervenisset, inter cætera quæ Imperatori Romano Rex Hugo miserat munera, duxit duos canes, quales in eâdem patriâ non sunt alias visi. Qui cùm ad Imperatorem adducti fuissent, nisi multorum brachiis constricti fuissent, cum protinus morsibus laniassent. Puto enim quòd dum hunc Græcorum more Cheristro opertum, habituq; insolito viderunt indutum, non hominem, sed monstrum aliquod putaverint. Denique magno cum honore ab eodem susceptus est Imperatore.* Quomodò ipse posteà Luitprandus à Berengario ad Constantinum Imperatorem missus sit, festivè & curiosè scribit lib. VI. cap. I. II. III. IV. V.

4. TICINENSIVM QVORVNDAM CONIVRATIO.] Gezonis nempe, & Walberti Iudicum. *Caussa autem potentiæ VValberti hæc erat,* scribente Luitprando lib. III. cap. X. *quoniam Cumis ditissimo in loco filium suum Petrum Episcopum fecit: Razam verò natam suam Gilberto Comiti Palatii conjugio sociaverat. eâ tamen tempestate utérque defunctus erat. Ticinensis itaque populus omnis ad hunc convenerat, caussásque omnes & controversias ante eum decidebat. Participatione denique hujus potentiæ, memoratus Gezo prænomine Everhardus, quoniam affinitate quâdam ei jungebatur, præpotens habebatur, qui nobilitatem pravis moribus deturpabat.* Ab his igitur Conjuratio originem duxit: quam cùm deprehendisset Rex, & mansuetudine vellet extinguere, provocavit. Quid igitur? audire lubet è Luitprando: *Hæc omnia quasi pro nihilo mente subdolâ ducens, Papiâ egressus, longè aliò properare festinat, missisq; circumcircà litteris, milites suos ad se venire præcepit. Quos inter Sampson præpotens Comes advenit, qui jam dicto Gezoni inimicissimus erat. Is denique, ut Regem vidit, ita eum convenit: Solicitum te equidem de urbanis rebus contra te tumultuosè & molestè his diebus actis intueor. Verùm si me audis, mihiq; obtemperas, suis ipsi capientur laqueis: Alter enim, qui melius Consilium dare possit quàm ego, non facilè potest inveniri; tibi certè nemo melius dabit. Vnum tamen peto, ut dum capti fuerint meâ operâ, Gezo cum omni suâ substantiâ, meas tradatur in manus. Quem dum dari sibi à Rege audivit, adjecit: Leo Ticinensis Episcopus civitatis VValberto & Gezoni non habetur amicus. Hi sanè quibuscunque possunt ei modis adversantur: scitis denique morus esse, Regi ab aliis locis Papiam tendenti cives fortiores extra Vrbem occurrere. Mandate itaq; clàm Episcopo, ut dum statuto tempore Papiam veneritis, & ipsi nobis extra urbem obviàm venerint, portas civitatis omnes serari faciat, clavesq; sibi ipse retineat; ut dum*

ut dum capere eos cœperimus, nec in urbem confugere, nec ab urbe auxilium possint exspectare. Quod & factum est. Nam dum statuto tempore Rex Papiam tenderet, & memorati ei obviàm exirent, Episcopus lubenter, ut ei imperatum fuerat, fecit. Rex itaque omnes capi, ut Sampson consilium dederat, fecit. Confestim igitur Sampsoni traditus, utroque lumine privatur, & linguâ, quæ in Regem blasphemiam dixerat, ei abscinditur. Paucis deinde interpositis: *Cæteri complures custodiæ mancipantur. VValbertus postridie capite truncatur, thesaurus cujus infinitus diripitur. Vxor ejus capitur, & ut thesauros occultos tradat, diversis cruciatibus laniatur.* Hunc exitum habuit conspiratorum sæva factio; & magnam tranquillitatem Hugoni oppressionis felicitas in Italiâ peperit.

5. MAROCIAE.] Marocia filia fuit Theodoræ, famosissimæ meretricis, *matri non solùm coæqualis, verùm etiam*, ut Luitprandus lib. II. cap. XIII. *Veneris exortivo promptior.* Nupserat ea primùm Alberico Romano; deinde Vidoni Tusciæ Marchioni, qui eâdem quâ Hugo matre, nempe Bertâ, in lucem editus fuit. Hoc mortuo, cùm Romæ potentia illius minui arctarique inciperet, novis nuptiis eam statuit firmare. Quid fit? Hugonem ad thalamum suum, & simul ad Vrbis dominationem invitat, ut posset conjugata, quod vidua nequiverat.

6. ERGO PELLECTVS VENIT.] E Luitprando quæ ad rem faciunt depromo, lib. III. cap. XII. *In ingressu Romanæ Vrbis quædam est miri operis, miraq. fortitudinis constituta munitio; ante cujus januam pons est pretiosissimus super Tiberim fabricatus, qui primus Romam ingredientibus, atque egredientibus est: nec est alia, nisi per eum transeundi via. Hoc tamen, nisi consensu munitionem custodientium, fieri non potest. Munitio autem ipsa, ut cætera desinam, tantæ altitudinis est, ut Ecclesia quæ in ejus vertice videtur, in honore Summi & Cælestis militiæ Principis Archangeli Michaëlis fabricata, dicatur Ecclesia Sancti Angeli usque ad cælos. Rex denique ob munitionis confidentiam, relicto longè exercitu, cum paucis Romam advênit. Qui decenter à Romanis susceptus, in prædictam munitionem, ad prædictæ Marociæ meretricis thalamum declinavit.*

7. ALBERICO MAROCIAE FILIO.] Idem Scriptor: *Habuerat sanè Marocia filium Albericum, quem ex Alberico Marchione ipsa genuerat. Qui dum matris hortatu Regi Hugoni, vitrico scilicet, aquam funderet, ubi manus ablueret, ab eo pro correctione in faciem casus est, eò quòd non moderatè & prudenter aquam effunderet. Is verò, ut illatam sibi posset ulcisci injuriam, congregatis in unum Romanis, hujusmodi eos sermone convênit: Romanæ Vrbis dignitas ad tantam est stultitiam ducta, ut meretricum etiam imperio pareat. Quid enim fœdius, quídve turpius, quàm ut unius mulieris incestui Romana Civitas pareat? Romanorum aliquando servi scilicet Burgundiones, Romanis imperent? Si meam privigni scilicet sui faciem cecîdit, cùm præsertim novus hospes habeatur, quid vobis jam inveteratum facturum creditis?* Pluscula sunt, quæ nolo prosequi?

8. AVCTOR SEDITIONIS.] Mutavit affectum populus, & hostili mox impetu Molem Adriani, sive malis dicere, Arcem S. Angeli, oppugnare cœpit. Hugo discrimen cernens, eò redactus est, ut omissâ Vrbe ad suos effugerit.

9. CONSVLES ELECTI.] Albericus primus Consulari potestate Civitatem administravit. Du-

ci etiam, & Magistris militum dignitates, quæ Pontificibus, Exarchisque Romam gubernantibus, erant familiares, tum temporis fuêre abolitæ: & pro his Præfectus Urbis, Consules, & Tribuni Plebsi inducti, Decarchorum nomine; quasi Ulicas, Decemvirorum.

HISTORIA.

ET conjuge & dote spoliatus, etiam cum suis luctari cœpit, quos rerum novarum studium [1] in factiones impulerat. Atque tum sanè virtus Regis & solertia egregiè enituit. Vocatum in se Rodulfum, ne armis experiretur, [2] vincit muneribus, & planè sacramento obstrictum Italiâ excludit. Et quid opus bellum redimere, si tamen pugnandum erat? Post Rodulfum [3] Arnoldus, Bajoariorum Dux spe Regni tollit animum, & cientes Italiæ Proceres armatus sequitur. Venienti [4] Verona patuit; sed nulla adhuc victoria fuit. In prœlium & vigor, & necessitas, & fortuna Hugonem duxit, nunc fortem, qui callido nuper consilio bellum declinârat, timenti similis. Quia & [5] vi nunc vicit, dubitare possis, armis an muneribus felicior fuerit. Sanè ingenti strage victum fugatumq; hostem, in Bajoariam rejecit, [6] rebellesque compescuit. Injecturus deinceps seditionibus frenum, filium Lotharium Regni assumpsit socium, gemino velut sceptro terrens. Additur uxor (opportunum & rebus fulcrum, & majestati ornamentum) Adeleidis, præstantissimæ virgo formæ & animi, Rodulfi Regis filia: quæ in mariti complexu patris sceptrum, & quodammodò fortunam invênit.

COMMENTARIUS.

1. IN FACTIONES IMPULERAT.] Itali fortassis non tam novi Principis desiderio, quàm nefario Hugonis facinore moti, in factionem coïverant. Quod cujusmodi sit, operæpretium est, è Luitprando narrare, lib. III. cap. XIII. *Ajunt Bertam Hugonis Regis Matrem Adelberto Marchioni viro suo nullum filium peperisse; sed ab aliis mulieribus clàm acceptos, simulato partu Vidonem & Lambertum sibi supposuisse, quatenus post mortem Adelberti, Bertæ non deessent filii, quorum adjutorio omnem viri potentiam possideret. Hoc autem mendacium mihi ideò videtur inventum, quatenus incestum suum Rex Hugo tegeret, & infa-*

mia

mia contumeliam, & vituperium evaderet. Ea tamen quæ nunc narranda est, cur hoc dictum sit, verisimilior videtur assertio. Lambertus, qui post Vdonis fratris sui mortem Tusciæ Marchiam tenebat, vir erat bellicosus, & ad omne facinus audax. Quem ob Regnum Italicum Rex Hugo nimis suspectum habebat: timebat enim ne Italienses se desererent, & Lambertum Regem constituerent. Boso denique ex eodem Patre Regis Hugonis frater, insidiarum huic laqueos paraverat, eò quòd ipse Marchio Tusciæ fieri vehementer ardebat. Consilio igitur hujus Lamberto Rex Hugo comminando denunciat, ne se fratrem suum ampliùs dicere audeat. Is verò, ut erat animi ferocis, atque indisciplinati, non moderatè, ut debuit; sed effrenatè ita respondit: Ne inficiari Rex possit me fratrem suum esse, nos uno ex corpore eundem per aditum in lucem prodisse, duello cupio cunctis cernentibus comprobare. Quod Rex ut audivit, juvenem quendam, Teduinum nomine, elegit; qui cum eo hanc ob rem pugnam singularem commisit. Deus autem qui justus est, & rectum est judicium ejus, in quo non est iniquitas, ut amphibologiam dirumperet, ac veritatem cunctis ostenderet, fecit ut Teduinus citissimè caderet, & Lambertus victoriam obtineret. Quamobrem Rex Hugo non mediocriter est confusus. Consilio autem accepto, eundem Lambertum tenuit, & custodiæ tradidit: timuit enim, ne si illum dimitteret, Regnum sibi auferret. Hoc igitur capto, Bosoni fratri suo Tusciam contradidit: & non multo pòst Lambertum lumine privavit.

2. VINCIT MVNERIBVS.] Comitatum Arelatensem, & quicquid trans Alpes possidebat, Rodulfo dono dedit. Certè, aptioribus armis non potuit pugnare. Ipse Deus Pythius auctor est Regibus, ut his telis hostem lacessant:

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις:

Argenteis hastis confligito, & omnia vinces.

Et secutus est Philippus sacrum consilium. Nam, ut cum Horatio dicam, lib. III. Od. XVI.

——— diffidit urbium
Portas Vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus. Munera navium
Sævos illaqueant Duces.

Iugurtha pariter oraculum non sprevit: quippe muneribus rem suam ita promoverat, ut dicere ausus sit, Vrbem, quæ omnibus Gentibus jugum imponebat, venalem esse, si emptorem inveniret.

3. ARNOLDVS.] Dux Bajoariorum, & Carentanorum, vir ingenii turbidi: nam Conrado olim Germanorum Regi rebellis exstitit, sed profugere cum totâ familiâ in Hungariam coactus est. Rediit, Conrado mortuo, domum, qui ab ingenio non discesserat, & mox Henrico novo Regi se opposuit. Cùm ad bellum res spectaret, ægrè tandem ferocem insurgentis animum cordata Regis oratio mitigavit. Otho Frisingensis hunc Arnulfum (ita eum appellat) universa Bajoariæ Monasteria in prædam militibus dedisse scribit, cùm Regnum Henrico eripere niteretur. Ad idoneum igitur factiosa, diuturnique Regni impatiens Italia confugit: & sceptri spes Arnoldi aviditatem confestim per Tridentina juga ad Insubres pertraxit.

4. VERONA PATVIT.] A Comite enim Milone, & Ratherio Episcopo, qui invitaverant, susceptus est: quemadmodum idem noster Ticinensis scribit.

5. VI NVNC VICIT.] Luitprandi verbis dicam, lib. III. cap. XIV. *Hugo collecto exercitu ei obviam tendit. Cùmque eodem pervenisset, & cabal-*

aballicatas, ut vulgò ajunt, circumcircà dirigeret, Bajoariorum quadam pars non minima de castro, vocabulo Gausęningo, egrediens, cum Italiensibus pugnare cœpit. A quibus graviter confossa, vix ex eâ, vel qui hoc cæteris nunciaret, evasit. Quâ ex re Arnoldus Dux non parvâ est confusione repletus. Vnde factum est, ut consilio accepto, Milonem Comitem vellet capere, atque Italiâ derelictâ, jussit illum in Bajoariam duci.

6. REBELLESQVE COMPESCVIT.] Ratherium Episcopum Ticinum in exilium relegavit.

HISTORIA.

SED Hugo domi securus, vindictam in Romanos parat. Neque tam dominandi cupiditate, quàm acceptâ contumeliâ stimulatur: ejectus fuerat. Ducit militem, urbem obsidione urget, non armis, non dolis parcit. Quid tamen? tanquàm fortes callidosque nova libertas faceret, impetum excipiunt cives, [1] fraudem eludunt. Rex cùm [2] frustra hæreret, converso ad oppida vicina bello, circumtulit iram, & in membris capite quasi punito, ad Insubres, domesticâ pace externam deleturus injuriam, rediit.

COMMENTARIVS.

1. FRAVDEM ELVDVNT.] Ad Luitprandum redeo, lib. IV. cap. I. *Sperans denique calliditate suâ Albericum posse decipere, ei denunciat, ut filiam suam Aldam, Lotharii Regis, nati sui, germanam sibi conjugio tollat; sicq; pace habitâ, ut suus ipsius filius securus permaneat. Albericus igitur, ut vir haud fatuus, filiam ipsius sibi conjugio junxit; Romam autem, quam nimis ardebat, non tradidit, séque ei minimè credidit. Verè tamen Albericum Rex Hugo inescasset, & cepisset; nisi illius hoc cavisset astutia militum, qui aliquando pacem cum ipso habere non cupiebant.*

2. FRVSTRA HAERERET.] Frodoardus auctor est, exercitum Hugonis fame, & equorum interitu afflictum fuisse. Prætereà Odonem Abbatem Cluniacensem à Leone VII. Pontifice, pacis inter Hugonem & Albericum componendæ gratiâ vocatum fuisse, Ioannes discipulus Odonis lib. I. affirmat. Sed neque nuptiæ, neque piissimi Abbatis studium, fidâ utrumque constantíque pace ligare potuerunt. Nam sub Stephano IX belli vulnera maximè recruduerunt. Luitprandus lib. V. cap. I. *Albericus, ut præfati sumus, Romanæ Civitatis Monarchiam obtinebat. Quem Rex Hugo quotannis graviter opprimebat, gladio & igne universa consumens; adeò ut civitates, præter Romam, in quâ ipse consederat, omnes auferret. Sed & ipsam sine dubio, tum depopulando, tum cives muneribus corrumpendo conquisivisset; nisi occulta & justa Dei sententia id prohibuisset.* Sed iterum Sanctus Odo, qui sex antè annis ob eandem caus-

sam

ſam in Italiam venerat, viſus fuit opportunus medicus, & ſtrenuè *pro pace agendi* (Frodoardi verba ſunt) *inter Hugonem Regem Italiæ, & Albericum Romanum Patricium, apud eundem Regem laboravit.*

HISTORIA.

CESSABANT hac tempeſtate Barbari, & in ipsâ Italiâ Barbaries viguit. E Græciâ hoſtis Beneventum premebat: ſubſidio ab Hugone miſſus cum validâ manu [1] Theobaldus Spoletinus. An immanitas victoriam dederit, neſcio; pro virtute fuit. Proſpera quotidie prœlia crudele ludibrium celebravit. Etenim quotquot caperet hoſtium Theobaldus, exſectis (prô pudor!) teſtibus, & [2] evulſo ex ipſis corporibus velut lytro, ad Ducem Græcorum remittebat; téſtatus, à non viris ſe non timere. Accedebant voces, ipſo propemodùm facinore turpiores: Quia Imperator tuus, vir ſanctus, deliciis vivit, ſpadones reddo, qui milites venerant: hæc ſi metamorphoſis placeat, vi & ferro enitar, ut totus mox exercitus ſine armis, ſine vaſis revertatur. Iraſci hoſtis potuit; ſed [3] mulier virago quædam conqueſta eſt. Hæc, captivo marito, quem virum quàm vivum malebat, raptim advolat, ac miſerabili ploratu caſtra implet: Injuſtum & ſævum Theobaldum clamitans, qui quod mulierum eſſet, captivis eriperet: ſibi perire, quo vir eſſe maritus deſineret; voluptate tori, ac ſimul fœcunditate ſpoliari. Quàm grande damnum! Si pugnaſſe ſcelus eſſet, à vultu manibusque capti pœnam exigeret, hæc viri eſſe; at velatas verecundiâ partes jugo ſe & conjugio emiſſe. Fortiùs profectò pro marito mulier locuta eſt, quàm ille pro Imperatore prœliatus. [4] Riſum excivit omnibus, dignaque habita, quæ illæſa vota reciperet.

COMMENTARIVS.

1. THEOBALDVS.] Luitprando dicitur *Heros proximâ Regi Hugoni affinitate conjunctus, Camertinorum, & Spoletinorum Marchio.*

2. EVVLSO EX IPSIS.] Imitatus ferè Pharnabazum Perſam, qui, ſcribente Euſtathio in Dionyſium De Situ Orbis, Chalcidenſium juventutem exſectis virilibus ad Darium tranſmittebat. Durum eſt mediusfidiùs viro titulum ſuum eripere. Tolerabilius alio membro

 plecti.

plecti. Sed in quam non rabiem victoris fertur insolentia? evellit linguam, præscindit pollices, inurit noctuas, vendit sub coronâ. Iudæis dexterum oculum Rex Ammonitarum eruit, ut quoniam scutum sinistro prospectum negat, bello inepti forent. Vide Iosephum, lib. VI. cap. V. Et in hunc finem Hannibal infimâ parte pedum Romanos truncavit. Reginensium quoque juventuti Atheniensis civitas pollices abscidit, ut remorum usum adimeret: de quâ re in Indigitamentis meis dixi. Vide Valerium Maximum, lib. IX. cap. II. Et Basilius II. Orientis Augustus quindecim millibus Bulgarorum evulsit oculos, uno tantùm relicto in singulis centuriis monoculo, qui cæcas cohortes domum reduceret. Vide Zonaram Tomo III. Annalium.

3. MVLIER VIRAGO.] Curiosus hîc Luitprandus, libro IV. cap. IV. *Mulier quædam mariti succensa amore, ejus pro membris non parum solicita, sparsis crinibus de castello exiit furibunda.* Pòst pauca: *Quod cedò crudelius mulieribus bellum inferre, quidve commodius his potestis auferre, quàm ut ea viris certetis ἐγγύ- δια, id est testiculos, amputare, in quibus nostri corporis refocillatio, & quod omnium potissimum est, nascituræ spes exstat prolis? Dum enim eos eunuchizatis, non quod illorum, sed quod nostrum est, tollitis. Nunquam armentorum, seu ovium copia, quam mihi ante hos dies abstulistis, vestra me castra adire coëgit. Animalium quæ mihi fecistis dispendia laudo: jacturam hanc tantam, tam crudelem, tam irrecuperabilem, modis omnibus horreo, fugio, nolo. Sancti Dei omnes talem à me avertant pestem.*

4. RISVM EXCITAVIT.] Dicam adhuc Luitprandi verbis: *His auditis nimio omnes sunt cachinno commoti, totiusq; in eam populi favor excrevit; ut non solùm virum suum integrum, verùm etiam cuncta, quæ sibi animalia ablata fuerant, recipere mereretur. Quæ cùm his receptis abiret, directo Thebaldus post eam nuncio, interrogavit, Quid viro ejus auferret, si ad pugnam ampliùs contra se de castello exiret. Oculi, inquit, sunt illi, nares, manus, & pedes. Si hoc egerit, illi quæ illius sunt, auferat; quæ mea sunt, suæ ancillulæ derelinquat.*

HISTORIA.

MALIS externis crudeliter pulsis, domestica succrevêrunt. Timere [1] Berengarium, Regis Berengarii è filiâ nepotem Hugo cœperat: an immerito? strenuum eâ tempestate, & pollentem divitiis virum, & qui avi indolem hauserat. Ergò ne noceret, impediri benevolentiâ debuit; & cùm hæc frustra esset, [2] insidiis peti. Sed ille vasto quodam animo post beneficia infestus turbidusque, ac deinde post injuriam hostis, nec tutus, [3] in Germaniam fugâ elabitur, & patrocinio Othonis Regis protectus, generosè calamitatem exilii tolerat. Reditum, & hoc parum, sceptrum cogitavit, cùm interim Hugo, quietis velut impatiens, [4] in Saracenos direxit

direxit arma, qui Fraxineto totum illud Italiæ limen infestabant. Hos bello non longo domitos, in fœdus, & mox in obsequium traxit: nec aptiori præsidio videbantur claudi Alpes posse, & vis externa atque Irruptio arceri. Sed frustrà Italiæ claustra à toto Septentrione manus armata separat: cælum jam tranquillum vernaculæ [5] involvent nubes, novamque rebus faciem inducent. Berengarius, protractis ad defectionem Procerum Antistitumque animis, magnâ fortunæ fiduciâ è Germaniâ pænè solus rediit. Putares non belli, sed religionis causâ proficisci: habitum mutaverat, & tanquàm Romana Apostolorum limina visum iret, custodes Alpium fefellit. Venienti [6] obsequia occurrunt, [7] traditumque castellum Formicarium: atque hinc classicum insonuit. Nasci miles, non conscribi videbatur; citiusque conflatur exercitus, quàm adesse hostem Hugo rescisceret. Adhuc pugnatum non erat, & sceptrum Berengarius capit. Quidni? potitus ipsâ Metropoli, favente [8] Antistite Arderico. At Hugo satis jam felicem se putavit, si filius saltem regnaret. Igitur quod armis desperabat, precibus tentavit. Lotharium ire supplicem (prô dedecus!) Mediolanum jussit. Mira animorum commutatio. [9] Petentis prostratique vilitas & squalor, & lacrymæ dignæ Regno visæ. Quid ampliùs? filii fortuna patri profuit, quippe [10] Procerum jussu Hugo Lothariusque Regium servàrunt nomen; jus atque potestas penes Berengarium fuit. Quis crederet? Suffecit tribus simul Regibus Italia, cui unus gravis erat. Sed Hugo tamen inanis pertæsus tituli, inducere in animum potuit, ut Regno careret, & sine æmulo potens esset. Namque convasato thesauro omni Regio, in Provinciam abiit. Felix Lotharius, si tunc quoque sequi patrem voluisset. Suavis ambitio non sivit exemplo locum esse: Regnumque precibus emptum pluris fuit, quàm ut ultrò poneretur.

COMMENTARIVS.

1. BERENGARIVM.] Erat hic Adelberti Eporediæ Marchionis, & Giselæ gnatę Imperatoris Berengarii filius, vir ingenio callidus, & con-

& consiliis promptus: ideoque Regi suspectus ac formidolosus fuit. Sic Tacitus lib. XI. Annal. *Formidolosum paci virum insignem Corbulonem, & ignavo Principi prægravem* fuisse tradit. Quid dicam? Sed *Regibus*, adstipulante Salustio, *Boni quàm mali suspectiores sunt.*

2. INSIDIIS PETI.] Rex, scribente Luitprando, lib. V. cap. XV. *simulatâ benevolentiâ, dissimulatâque irâ, dum ad se veniret, luce eum privare disposuit. Filius verò ejus nomine Lotharius Rex, & ipse parvulus, & necessariarum sibi rerum adhuc ignarus, quoniam consiliis his interfuit, celare, quemadmodum puer haud potuit; verùm destinato ad Berengarium nuncio, quod pater illi suus facere vellet, aperuit.*

3. IN GERMANIAM FUGA.] Idem ille & ibidem scribit: *Hoc itaque, ut Berengarius audivit, Italiam quàm mox deseruit, ac per montem Iovis in Sueviam ad Hermannum Ducem properavit. Uxorem verò suam VVillam, per aliam viam ad eandem provinciam venire præcepit; quæ itinere digressionis suæ per montem avium, fœta partuiq; vicina qualiter montes tam asperos atque invios transire pedibus potuerit, satis nequeo mirari.* Sigebertus tradit, Berengarium Hermanni operâ ad Othonem ductum fuisse.

4. IN SARACENOS DIREXIT ARMA.] Priùs tamen è Græciâ classem, ignemq; Græcum petiit, quem Saraceni extinguere non valebant, nisi quemadmodum Hannibal in Alpium nives, sic illi in ignem, solo aceto moriturum, pugnarent. Verba Luitprandi, lib. V. cap. VII. *Rex itaque Hugo congregato valido exercitu, classibus per Tyrrhenum mare directis ad Fraxinetum, terrestri ipse eò itinere pergit. Quò dum Græci pervenirent, igne projecto Saracenorum naves mox omnes exurunt. Sed & Rex Fraxinetum ingressus, Saracenos omnes in Montem Maurum fugere compulit; in quo eos circumsedendo capere posset, si res hæc quam prompturus sum non impediret: Rex Hugo Berengarium, ne collectis & ex Sueviâ, & ex Franciâ copiis super se irrueret, sibiq; Regnum auferret, maximè timuit. Unde non bono consilio accepto, ad propria Græcos mox misit, ipseq; cum Saracenis hac ratione iniit fœdus, ut in montibus, qui Sueviam atque Italiam dividunt, staret, ut si Berengarius per eos exercitum ducere vellet, transire eum omni modo prohiberent. Eo verò loci constituti, quàm multorum Christianorum, ad Beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina transeuntium sanguinem fuderint, ille scit solus numerum, qui eorum nomina tenet scripta in libro viventium.*

5. INVOLVENT NUBES.] Hujus tempestatis fons auctorque fuit Amedeus quidam, qui sudum Italiæ calliditatis suæ fumo ita turbavit, ut nemo tum temporis sibi serenitatem auderet promittere, nisi Magni Othonis Aquilone densæ fuscaque nubes fuissent dissipatæ. Luitprandus, quem solum Res illius sæculi memoriæ prodidisse comperio, graphicè illius Amedei vafritiem stilo commisit, lib. V. cap. VIII. *Tempore quo Berengarius ab Italia fugit, quendam secum Amedeum nomine, militem duxit apprimè nobilem, &, ut postmodùm claruit, non Ulysse calliditate, aut temeritate inferiorem. Fortissimus Rex Otho, cùm nonnullis impeditus rebus, tum quotannis ab Hugone Rege muneribus immensis delinitus, Berengario copias parare non posset; ipse quem præfatus sum Amedeus Berengarium ita convênit: Nec clàm te est, inquit, Domine, quòd invisum se imperio duro Rex Hugo cunctis Italicis effecerit: præsertim cùm & concu-*

concubinarum filiis, ac Burgundionibus dignitates sit largitus, nec ullus invenitur Italicus, qui non aut expulsus, aut dignitatibus omninò sit privatus. Et quod in Regem non aliquid moliuntur, hæc caussa est: quoniam quidem quem sibi constituant Principem, non habent. Si itaq; nostrum aliquis mutato habitu, ne agnosceretur eò tenderet, eorúmque voluntatem inquireret, consilium proculdubiò nobis bonum exsculperet. Cui Berengarius: Te, inquit, tum commodiùs, tum nemo potest facere meliùs. Igitur Amedeus, mutato habitu, cum pauperibus, qui orationis gratiâ Romam tendunt, Romam quasi profecturus, Italiam petiit, Principes convênit, & quid unusquisq; cordi haberet inquisivit: neque enim eodem se omnibus habitu ostendebat: nunc niger aliis, subniveus aliis, maculosus aliis videbatur. Verùm eum in Italiâ esse fama auribus Regis indicavit. Quem dum diligenter juberet inquiri, ipse prolixam & pulcherrimam barbam pice adeò defœdans capillos subaureos nigredine immutavit, faciem deturpavit, debilem finxit, adeò ut inter pauperes, Regis in præsentiâ commedentes, se Regi nudum ostenderet, & vestem ab eo quâ induerètur acciperet: & quicquid Rex de Berengario, & ipso loqueretur audiret. Hoc denique modo cunctis diligentissimè perspectis, non eodem modo quo venerat, cum oratoribus est regressus: præceperat enim Rex Clausarum custodibus, nequenquam transire permitterent, nisi priùs quis esset, diligenti investigatione inquirerent. Quod Amedeus audiens, per invia quadam, & aspera, nulli custodita pertransiit.

6. OBSEQVIA OCCVRRVNT.] Milo nimirum Comes Veronensis, & *Præsul Mutinensis Ecclesiæ, non injuriâ lacessitus; sed maximâ illâ Abbatiâ Nonantulanâ, quam tunc acquisivit, animatus,* teste Luitprando.

7. TRADITVMQVE CASTELLVM FORMICARIVM.] Idem lib. v. cap. XII. *Applicuit secus munitionem vocabulo Formicariam, quæ à Manasse, ut jam prædiximus, Sedis Arelatensis Episcopo, tuncq; Tridentina, Veronensis, atque Mantuanæ Sedium invasore, Adelhardi ejus clerici erat vigiliæ commendata. Cumq; Berengarius nullius machinamenti apparatu, nullius q; belli impetu, hanc se capere posse conspiceret, Manassis ambitionem, & κενοδοξίαν, id est vanam gloriam cognoscens, Adelhardum ad se venire coëgit, cui & ait: Si munitionem hanc potestati meæ tradideritis, Dominumq; tuum Manassem ad adjutorium meum inflectere potueris: illum in Cathedram promovebo Mediolani Archiepiscopatûs, te verò Cumani Episcopatûs dignitate post acceptam Regni potestatem donabo. Et ut promittenti mihi fidem admittas, quod verbis spondeo, juramento affirmo. Hæc dum Manassi, ab Adelhardo narrantur, tum ille non solùm munitionem Berengario dari jussit; verùm etiam Italos omnes in ejus auxilium invitavit.*

8. METROPOLI.] Mediolano. Huc enim Veronâ ab Arderico Archiepiscopo vocatus, venit, & pro Rege se gerere cœpit.

9. PETENTIS PROSTRATIQVE.] In Templo S. Ambrosii, Vrbis Tutelaris, Martyrumque Gervasii & Protasii fratrum.

10. PROCERVM IVSSV HVGO.] Ticinensis noster, lib. v. cap. XIII. *Ad Hugonem dirigunt nuncium, per quem illum iterum super se regnare promittunt. Hoc planè consilium, imò deceptionem, non omnes, sed Berengarius, ut erat calliditate suffarcinatus, adinvenit; non quo hos regnare disponeret; sed uti pòst claruit, ne Hugo discederet, atque immensâ pecuniâ, quam habebat Burgundionum atque aliarum gentium super se populos invitaret.* Hugo tamen spretâ mox conditione, in Bur-

in Burgundiam rectà concessit. An Berengarium igitur fefellit opinio? Raimundus Aquitaniæ Princeps, reverso Hugoni operam obtulit; & copias se in Italiam mille minarum pretio ducturum promisit.

II. IN PROVINCIAM ABIIT.] Piissimo fine diem clausurus. Nam, ut Leo Ostiensis lib. IV. cap. LXIV. scribit, *cum omni thesauro suo in Burgundiam fugiens, Monasterium illic permagnificum sumptibus propriis struxit, quod sub titulo Sancti Petri appellari voluit; ibiq; omnibus traditis, ipse monachus effectus est.*

HISTORIA.

DISTRICTI jam duorum imperio Insubres, sub jugo, sine tutelâ erant. In provinciæ latus [1] HENRICVS Bavariæ Dux, Othonis Germaniæ Regis frater, incurrit. Et hæc Irruptio fuit: facto velut vulnere, sanguinem novus hostis hausit, & recessit.

COMMENTARIVS.

I. HENRICVS.] Cognomento Rixosus: fratri Adolescens insidias struxit; sed detectâ conjuratione, in Hildemensem urbem exul fuit transportatus. Mox tamen in gratiam receptus, ne sic quidem potuit quiescere. Regnandi rursùs cupidine inflammatus, bellum parat, & conscriptis copiis, Othoni se objecit: à quo in fugam conversus, eas ad angustias venit, ut nudis pedibus supplex fraternam misericordiam flectere coactus sit, & in Palatium quod Inglinheim appellant, relegatus. Sed quid? paullopòst aliquot in Lotharingiâ oppidis Præfectus, novum moliri scelus cœpit, ac quorundam secretâ factione animatus, vitæ insidias fratri, ipsis Paschæ solemnibus, tetendit: verùm totâ conspiratione feliciter oppressâ, ipse Regiis satellitibus, Regnoque elapsus, salutem fugâ invênit. His tot molestiis, turbis, periculisque lassus bonâ, tandem fide in gratiam Othonis reverti statuit; auctusque Bajoariæ Ducatu, fidelem ei operam navavit. Omnem itaque deinceps ferociam in Hungaros effundens, gemino eos prœlio strenuè attrivit. Posteà Italiæ illectus dissidiis, prædam concepit animo: & captâ Aquileiâ, Longobardiam totam devastationibus exhausit, incolumemque, ac spoliis onustum exercitum in Bajoariam reduxit. Witichindus lib. II. Rerum Saxonicarum affirmat, eum Ticinum transnatasse.

HISTORIA.

DAMNOSIOR mox crudeliorque Rex TAXIS, qui recentia crudelitatis vestigia secutus, Hungaros suos impulit. Vt fugere posset, solum [1] equitatum instruxerat: & hæsit tamen,

tamen, moramque traxit, quia feliciter grassari cœpit, tanquàm prædâ gravatus & impeditus. Cur timeret? opes, non hostem invenerat; & cùm major quoque calamitate consternatio esset, nemo restitit. Non potuit hæc pestis nisi pretio averti. Decem nummorum modii hostibus numerati sunt, & ut scires majori summæ Italiam sufficere, bis decem, & ampliùs [2] Berengarius collegerat; an extorserat? Quicquid superfuit, rapuisse tamen Barbari videbantur: miseris periit. Ne melior hoste Rex esset, divisit aurum: & ne ditior jam Hugo videretur, constipavit, quantum ille abstulerat. Sic nemo dubitavit, quin malè recturus esset, qui ut redimeret provinciam, tam iniquus fuit. Barbari pulsi sunt, ut tyrannus hæreret. Sanè sudore subditorum & pauperie vires quæsivit. Quid Lotharius? tam acri dolore cruciavit animum, ut [3] phrenesi correptus, & mentem, & mox vitam reliquerit: dignus jam Regno, si populi potiùs fortunam quàm suam sic luxisset.

COMMENTARIVS.

1. EQVITATVM INSTRVXERAT.] Prudentior Rex Tapis (Sigeberto, & Luitprando Taxis) nuperis illis Hungaris, qui ad prædam duntaxat se instruxerant; ideóque à Marsis & Pelignis obtruncati propemodùm omnes fuerant. Hic totam fortunam metuens, ita instruxit copias, ut non magis ad prædam, quàm ad fugam videretur venisse. Sed de illis, qui ante annos decem Italiam devastaverant, ita Leo Ostiensis, lib. I cap. LVIII. *Indictione decimâ venientes innumerabiles Hungari, omnia circa Capuam prædati sunt, Eadem verò & Beneventi fecerunt, Sarnum usque ac Nolam discurrentes, & devastantes omnia, peragrantesq; ulteriora, iterum Capuam reversi, diebus duodecim in campo Gariliano commorati sunt. Quo scilicet tempore multos ex hominibus nostris, Cassinensis scilicet monasterii, captivos duxerunt. In quibus redimendis ea expendimus, quæ infra notantur.* Quid attinet recensere? tota ferè sacra supellex impensa est. Pergit verò: *Et inde victoriâ elati, onusti prædâ, Marsorum fines ingressi sunt, & eadem facere cœperunt, incendentes & depopulantes omnia. Nutu igitur Dei, Marsi ac Peligni in unum convenientes, in eos dispositis insidiis irruunt, & omnibus ferè trucidatis, ingentem prædam retulerunt. Quicunque autem ex eis evaserunt Marsorum gladios, fugâ dilapsi, ad suos se receperunt.*

2. BERENGARIVS COLLEGERAT.] An extorserit, jure dubito. *Ex Ecclesiarum, & pauperum collectione*, ut Luitprandus scribit, lib. V. cap. XV. *decem nummorum modios dedit. Fecit autem hoc, non ut populi curam haberet; sed ut hac occasione magnam pecuniam congregaret. quod*

& fecit: in omni enim ætate utriusque sexûs, tamq́ ablactatus, quàm lactens, pro se nummum dedit; quibus æs commiscens, ex paucis decem modios fecit, cæteram verò partem, & quicquid ex Ecclesiis tulit, sibi retinuit.

3. PHRENESI CORREPTUS.] Auctorem habeo Leonem Ostiensem lib. I. cap. LXIV. Frodoardus tamen tradit, veneno Lotharium periisse.

HISTORIA.

ÆMVLO liberatus Berengarius, [1] filium Adelbertum induxit, sceptroque socio insignivit: non se Regem adhuc tamen arbitratus, quamdiu Ticino, veteri Regni sede careret. Hanc urbem Adeleidi conjugi dotis nomine Lotharius assignârat. Componi res matrimonii nexu posse videbatur, si Regis nuper uxor, novo nunc Regi jungeretur. Sed mulier, crudo adhuc dolore, à nuptiarum facibus abhorrens, conditionem oblatam sprevit. Reliquum erat, ut res amoris arma conficerent, & quia impetrari matrimonium nequierat, raperetur. Nec mora; urbs obsessa est, & cum urbe Regina capta, sic tamen animum servavit. [2] E custodiâ, [3] ope sacerdotis sui, elapsa, in [4] arcem Canussii ab avunculo Athone recipitur, defenditúrque. Sed forma Reginæ & fortuna patrocinio quoque Regis digna fuit. [5] E Germaniâ Otho cum copiis advolat, [6] ille Hungarorum victor, & florescente jam famâ bellator. Diffugiente Berengario, sponsam sibi jungit, quam vindicârat; ab his porrò nuptiis ad bellum progressus. Reddi ante omnia [7] Reginæ Regia debuit; expugnata est: deleri fortunæ contumelia; cum victore marito triumphantis habitu unà invecta est. Perierat Berengarius, si adhuc pugnare Otho voluisset: præsenti victoriâ contentus, [8] in Germaniam rediit: & tanquàm hoc satis, Regni pignus Adeleidem ducebat. Hostis tamen diffisus viribus, cùm ne absente quidem Othone felix esset, in Germaniam [9] cum filio Adelberto secutus est, & [10] victoris se arbitrio commisit. Res mira, & cum clementiæ laude commemoranda: cùm vitam peteret, [11] partem Regni obtinuit. Res iterum mira, & inconstantiæ maculâ turpis: in amicitiam receptus est, ut ingratus fieret:

fieret: & vires accepit, ut rebellaret. Namque domesticis seditionibus Othone districto, quas & [12] filius Litulfus, & gener Conradus, Lotharingiæ Dux, excitabant, arma iterum sumit; ac primò quicquid Regno abscissum erat, rapit. Hinc dulci fortunâ ebrius, finesque veteres indignatus, reliquam magno tumultu turbare Italiam cœpit, sævire, non fortunis, non dignitati ullius parcere, bello [13] in ipsum Pontificem furere, & quicquid hoc iterum tempore [14] Hungari novâ in Insubres irruptione ausi. Quid opus erat Barbaris? omnium immanitatem Rex jam tyrannus expresserat; dignus mehercle, qui pro Barbaro quoque pelleretur. Factum est.

COMMENTARIVS.

1. FILIVM ADELBERTVM INDVXIT.] Exstat adhuc Privilegium Monasterio Sancti Sixti concessum, hoc titulo: *Nos Berengarius & Adelbertus Reges, rogatu Giselprandi Dertonensis, & Vidonis Mutinensis Episcopi, Monasterium S. Sixti, quod extra Placentiam ab Imperatrice Engilbergâ constructum fuit, Bertæ Abbatissæ ejus, nostræ amitæ, confirmamus; atque eidem Monasterio Guardastallam, & quæcunque suprascripta Imperatrix, & cæteri Reges huic Cœnobio reliquerunt, sancimus, &c.*

2. E CVSTODIA.] E Castro nempe Gardæ, ad lacum Benacum.

3. OPE SACERDOTIS SVI.] Martini, qui eam cum pedissequâ unâ cymbæ imposuit, & noctis silentio usus, in silvam proximam perduxit; in quâ Reginam aliquot diebus emendicato pane nutrivit. Tandem Regium cum illâ profectus, Adelardo Episcopo miseram commendavit: cujus suasu ad Athonem avunculum confugit, digna verò quæ ab Othone Germaniæ Rege defenderetur.

4. ARCEM CANVSSII.] Canussium oppidum fuit Apuliæ Peucetiæ, sive trans Aufidum, situm in planicie, non procùl à mari. Distabat, Procopio tradente, à Vico Cannarum viginti quinque stadiis: Martiali à lanâ, in Apophoretis, & Plinio à Purpurisso, lib. XXXV. cap. VI. laudatur. Nunc ne quidem rudera exstant. Est verò & hodie aliud Canussium in montibus, tribus ab Aufido, novem à Lavello miliaribus, quod fortassis fugientem Adeleidem excepit; munimentum tum temporis habitum, quia in sublimi fuit.

5. E GERMANIA OTHO.] Henrici Saxonum Thuringorumque Ducis, & posteà Germanorum Regis filius; cujus forma, mores, & ingenium, à Witichindo Rerum Saxonicarum lib. II. describuntur: *Ipse Dominus rerum, fratrum natu maximus, optimus imprimis, pietate erat clarus, opere omnium mortalium constantissimus: præter Regiæ disciplinæ terrorem semper jucundus, dandi largus, dormiendi parcus, & inter dormiendum semper aliquid loquens, quò eum*

semper vigilare aestimes; amicis nihil negans, & supra homines fidelis. Nam quosdam audivimus accusatos, & peccati manifestos fuisse; ipsum tamen eorum advocatum & intercessorem extitisse, & criminis nullo modo credulum; ideòque sic habitos, tanquam nihil unquam in eum peccassent. Ingenium ei admodùm mirandum: nam post mortem Edidis (aliis Edgithae, Edmundi Anglorum Regis filiae) *Reginae, cùm anteà nesciret litteras, in tantum didicit, ut pleniter libros legere, & intelligere noverit. Praetereà Romanâ linguâ, Sclavonicâque loqui sciebat. In venationibus creber, tabularum ludos amabat, equitatûs gratiam Regiâ gravitate interdum exercens. Accessit ad hac & moles corporis, omnem Regiam ostendens dignitatem, capite cano, sparsus capillo, oculi rutilantes, & in modum fulguris citâ repercussione splendorem quendam emittentes; facies rubicunda, & prolixior barba, & hac contra morem antiquum; pectus leoninum, quibusdam ipsarum sparsum jubis, venter commodus, incessus quondam citus, modò gravior; habitus patrius, ut qui nunquam sit peregrino usus.*

6. ILLE HUNGARORUM VICTOR.] Et Lotharingorum, & Burgundionum, & Danorum, & Boëmorum, quin & Turcarum, auctore Curopalatâ. Sed de Bello Hungarico omnis noster erit sermo. Ordior cum Witichindo, libro III. Rerum Saxonicarum: *Otho ingressus Saxoniam circa Kal. Iul. obvios habebat Legatos Hungarorum, tanquam ob antiquam fidem ac gratiam eum visitantes, re autem verâ, ut quibusdam videbatur, eventum belli civilis considerantes. Quos cùm secum aliquot diebus retinuisset, & aliquibus munusculis donatos remisisset in pace, audivit à Nunciis fratris, Ducis scilicet Bajoariorum: Quia ecce Hungari diffusi invadunt terminos tuos, statuuntque tecum inire certamen. His auditis, Rex quasi laboris oblitus, quem praeterito bello toleravisset, coepit ire contrà hostes, sumptis secum paucis admodum ex Saxonibus, eò quòd jam bellum Sclavonicum urgeret. Castris positis in confiniis Augustanae Vrbis, occurrit ei exercitus Francorum, Bajoariorumque. Cum valido quoque equitatu venit in castra Conradus Dux; cujus adventu erecti milites optabant certamen: nam erat naturâ audacis animi, &, quod rarum est audacibus, bonae consilio; & dum eques, & dum pedes in hostem iret, bellator intolerabilis, domi militiaeque sociis carus.* Hunc Conradum totius belli auctorem fomitemque fuisse, Sigebertus in Chronico asseverat, anno Christiano C ∞. LV. Fulcuinus Abbas Lobiensis annum notat C ∞ LIV. Verba Sigeberti sunt: *Conradus Dux, Dei & Imperatoris transfuga, ad Hungaros se conferens, eos in Lotharingiam, usque ad Carbonariam silvam perduxit, & virtute Dei apud Lobias contra eos ostensâ, ultrà prodire prohibiti, impunè redeunt.* Et mox anno C ∞. LVII. *Hungaris iterum Regnum Othonis Imperatoris, ductu Conradi Ducis depopulantibus, Imperator eos bello excepit, Conrado ab Hungaris ad eum poenitendo refugiente, & orante Deum, ut pro poenâ perfidiae suae, in ipso bello ab Hungaris perimeretur.* Scribit Regino Pruniensis Hungaros tantâ frequentiâ se ad hoc bellum accinxisse, *ut non, nisi terra eos dehisceret, vel caelum eos obrueret, ab aliquo se vinci posse dicerent.* Scriptor vitae S. Vdalrici hujus multitudinis non perfunctoriè quoque meminit: *Tanta multitudo Hungarorum erupit, quantam tunc temporis viventium hominum nemo se anteà vidisse in ullâ regione profitebatur, & Noricorum regionem à Danubio flumine, usque ad Nigram Silvam, quae pertinet ad montana, simul devastando occupavit; & cùm Lycum transcenderet,*

ret, & Alemanniam occuparet, Ecclesiam S. Afræ concremavit, & totam provinciam, à Danubio usque ad Silvam deprædavit, & maximam partem usque ad Hilaram fluvium igne combussit. Augustam autem Civitatem obsedit, quæ tunc sine turribus, imis verò muris circumdata, firma ex seipsa non fuit. Sanctus autem Antistes magnam valdè multitudinem optimorum militum secum intra septa Civitatis collocatam habebat, ex quorum agilitate & audacia Civitas fortiter firmata, Deo juvante, consistebat. Othonem Eucharistiæ sacrificio ante conflictum se munivisse, auctor est Ditmarus lib. II. Chronicorum, vovisseque dedicaturum se S. Laurentio Martyri, cujus festo in Hungaros aciem suam direxit, Episcopatum Mersebergensem, & à Sacro sacrâ hastâ ab Vdalrico donatum fuisse. Addit Rotgerus vitæ S Brunonis Archiepiscopi Coloniensis Scriptor, Imperatorem die vigiliarum S. Laurentii solenniter jejunium indixisse. Sed nunc cum Othone in certamen ruamus. *Primo diluculo surgentes, pace datâ & acceptâ, operâq; suâ primùm Duci, deinde unusquisque alteri cum sacramento promissâ, erectis signis procedunt è castris, numero quasi octo legionum. Ducitur exercitus per aspera & difficilia loca, ne daretur hostibus copia turbandi sagittis agmina, quibus utuntur acerrimè, arbustis ea protegentibus. Primam & secundam tertiamq; legionem direxerunt Bajoarii, quibus præfuerunt præfecti Ducis Henrici: nam ipse bello interim aberat, eò quòd valetudine corporis laborasset, quâ & mortuus est. Quartam verò ordinavêre Franci, quorum Procurator & Rector erat Dux Conradus. In quinctâ, quæ erat maxima, quæ & dicebatur Regia, ipse Princeps vallatus lectis & multis militum millibus, alacriq; juventute, coramq; eo Angelus* (signum Regium) *penes quem victoria, denso agmine circumseptus. Sextam & septimam construxerunt Suevi, quibus præfuit Burcardus, cui nupserat filia fratris Regis. In octavâ erant Boëmi electi milites mille, armis potiùs instructi quàm fortunâ, in quâ & Sarcina omnes ac impedimenta quæque, quasi ipsa esset tutissima quæ novissima. Sed aliter res acta est, ac arbitrabantur: nam Hungari nihil cunctantes, Lech fluvium transierunt, circumeuntesq; exercitum, extremam legionem sagittis lacessere cœperunt, & impetu cum ingenti voci feratione facto, aliis cæsis, aliis captis, sarcinis omnibus potiti, cæteros legionis illius armatos fugere compulerunt. Similiter septimam ac sextam aggressi, plurimis ex iis fusis, in fugam verterunt. Rex autem cùm intellexisset bellum ex adverso esse, & post tergum novissima agmina periclitari, misso Duce cum quartâ legione, captivos eripuit, prædam excussit, latrocinantiaq; agmina hostium turbavit. Fusis latrocinantibus undique adversariorum agminibus, signis victricibus Conradus ad Regem revertitur, mirumq; in modum, cunctantibus veteranis militibus, gloriâ victoriæ adsuetis, cum novo milite, & ferè bellandi ignaro triumphum peregit.* Rex igitur concionem ad milites habuit, & cùm audaciam virtutemque eorum oratione accendisset, *arrepto gladio, & clypeo, ac sacra lanceâ, ipse primus equum in hostes vertit, fortissimi militis, ac optimi Imperatoris officium gerens. Hostium audaciores primùm restitere; deinde ut socios viderunt terga vertere, obstupefacti, nostrisq; intermixti extinguuntur. Cæterorum verò alii, equis fatigatis, villas proximas intrant, circumfusiq; armatis, cum mœnibus pariter concremantur; alii flumen contiguum transnatantes, dum ripa ulterior ascendentes non sustinet, flumine obvolvuntur & pereunt. Eo die castra invasa, captiviq; omnes erepti: secundo die*

die ac tertio à vicinis Vrbibus reliqua multitudo in tantum consumpta est, ut nullus aut rarus evaderet. Ingens mehercule victoria, quam à S. Vdalrico Divinâ revelatione longè antè præcognitam, Scriptor illius vitæ tradit, adjungitque: *Et quamvis incredibilis numerus illorum occisus fuisset* (primo nempe die) *tantus tamen adhuc eorum exercitus remanebat, ut hi qui de propugnaculis Augustæ Civitatis eos venire conspexerunt, non pugnâ lacessitos eos redire existimaverint, donec prætereuntes civitatem, ulteriorem Lyci fluminis ripam festinando repetere cognoverunt.* Pergat nunc Witichindus: *Sed non adeò incruenta victoria fuit, de tam sævâ gente: Conradus quippe Dux fortiter pugnans, animi fervore, solisq; ardore, qui eo die nimius erat, accensus æstuat, vinclisq; solutis, dum auram captat, vulnere sagittæ adverso gutturis defixæ cadit; cujus corpus, juxta Regis imperium, honorificè collectum, Vormaciam deportatur, ibiq; sepelitur, vir omni virtute animi & corporis magnus atque famosus, cum fletu & planctu omnium Francorum. Tres Duces Gentis Hungariæ capti, Duciq; Henrico præsentati, malâ morte, ut digni erant, mulctati: suspendio namque crepuerunt.* Otho Frisingensis libro VI. cap. XX. quædam non prætereunda de hoc bello tradit: *Gloriosissimus Rex occurrit, tantâq; Barbaros virtute stravit, ut exhinc gens omnium immanissima, non solùm Regnum invadere non auderet; sed & suum desperatione correptâ, in locis palustribus, contra nostros munire cogitaret: Cecidit in eo prælio Dux illustris VVarmaciensis, & gener Regis Conradus. Barbari verò, quod etiam incredibile dictu videtur, usque ad internecionem, septem tantùm residuis, omnes deleti dicuntur. Hujus maximæ concussionis auctor fuisse ex Bajoariâ quidam Scirensis Comes memoratur; qui tamen perfidiæ suæ pœnas solvens, dum Hungaros incautè eductos morti exposuisset, ab iis tanquam traditor necatus est. Porrò terra ejus in fiscum redacta, partim à Rege inter Ecclesias divisa, partim heredibus ejus cum castro Scirensi relicta, æterno anathemati ab Episcopis addicta fuisse traditur.* Totam sic quidem belli facem fuisse Comitem Scirensem hic Antistes scribit. De Sigeberto igitur quid dicemus, qui Hungarorum hîc ductorem Conradum, & mox transfugam facit? Statue.

7. REGINAE REGIA DEBUIT.] Ticinum, quæ posteà Papia appellata. Luitprandus lib. II. cap. IV. *Ticinum, quæ nunc alio excellentiori vocabulo Papia vocatur.*

8. IN GERMANIAM REDIIT.] Relicto in Italiâ Conrado Duce, ad Berengarium persequendum, teste Reginone.

9. CUM FILIO ADELBERTO SECUTUS.] Witichindus lib. III. Ad Mathildim: *Persuasus à Conrado Duce, cui Papia cum Præsidio militari relicta erat custodienda, Regem subsecutus est in Germaniam, pacem cum eo facturus, & omnibus quæ imperavisset obtemperaturus. Cui Regiæ Vrbi appropinquanti, occurritur milliario ab Vrbe à Ducibus & Præfectis Palatinorumq; primoribus, & regaliter susceptus, ductusq; in Vrbem, jussus est in hospitio sibi præparato manere. Neque enim faciem Regis intra tres dies videre promeruit. Quod ægrè tulit Conradus, qui eum adduxerat, unàmque cum eo sentiens filius Regis Liutulfus.*

10. VICTORIS SE ARBITRIO.] Regino: *Eodem anno mediante Augusto mense, conventus Francorum, Saxonum, Bavarorum, Alemanorum, & Longobardorum publicus apud Augustanam Vrbem Rhætiæ Provinciæ agitur. Vbi præscriptus Berengarius cum filio suo Adelberto, Regiæ*

Regiæ se per omnia in vasallitium dedit Dominationi; & Italiam iterum cum gratiâ & dono Regis accepit regendam. Witichindus: *Vbi cùm conventus fieret, Berengarius manus filii Adelberti suis manibus implicans; licet olim Hugonem fugiens Regi subderetur; tunc tamen renovatâ fide coram omni exercitu, famulatui Regis se cum filio subjugavit.*

11. PARTEM REGNI OBTINVIT.] Regino: *Italiam iterum cum gratiâ & dono Regis accepit regendam. Marca tantùm Veronensis, & Aquilejensis excipitur, quæ Henrico fratri Regis committitur. Berengarius tamen in Italiam revertens, omnia hæc in Episcopos, & Comites, cæterosq; Italiæ Principes retorsit, omnes eos odiis & inimicitiis insequens, inimicissimos sibi fecit.*

12. FILIVS LITVLFVS, GENER CONRADVS.] Originem harum turbarum Adeleidem fuisse non obscurè colligo. Litulfus enim novercam in Patris thalamum inductam tam iniquo ferebat animo, quàm Ludovici Pii filii, Iudithbam Augustam conjugemq; secundam Patri esse factam. Regino: *Adelheid Deo amabilis Regina, suâ ipsius prudentiâ, à custodia est liberata, & Othoni Regi, felici, Deo auspicante, copulâ conjuncta. Tunc Litulfus Dux hæc quæ præscripsimus ægrè ferens, inconsulto patre, Archiepiscopo Friderico Comite, in patriam revertitur:* Et, ut Witichindus scribit, *aliquamdiu moratus est in loco consiliis funesto Salaveldun.* Prætereà Novercæ fœcunditas animum illi exulceravit: nam Henricum Othoni confestim peperit, deinde Brunonem, posteà Othonem, qui Patri in Imperium succedens Secundi nomen accepit; filiam quoque Adeleidem. Frodoardus scribit Othonem *nato sibi filio ex modernâ conjuge Regnum promisisse, quod olim priusquam Italiam peteret, Litulfo delegaverat, & Magnates suos eidem promittere fidelitatem jurejurando fecerat.* Accedebat quoque, quòd Henricus avunculus, Dux Bajoariæ, Veronâ, & Forojuliensi Ducatu auctus, Litulfum Regno Italiæ exclusurus videbatur. Quinetiam ab ejusdem Henrici acerbis facetiis, ut plurimùm acetum trahens, pectusque crucians, suspectum eum, hostemque sibi existimabat. Witichindi verba breviter rem aperiunt: *Henricus autem sciens adolescentem maternis destitutum suffragiis, contemptui eum cœpit habere, in tantum, ut à conviciis ei non parceret.* His fortassis stimulatus juvenis, vindictam moliri cœpit; imò oblitus se à Patre Regem testamento designatum, in eundem conspirare. Si quæris quid Conradum Othonis generum, ad seditionem concitârit: solam credo æmulationem fuisse, quæ ipsi cum Henrico: nam notaverat eum, & plùs potentiâ apud Othonem valere, & provinciis nonnullis locupletari. Regino aliquid innuit: *Berengarius Ducis Conradi consilio, sponte suâ in Saxoniam ad Regem venit: nihil tamen de his quæ voluit obtinuit: sed machinatione Henrici Ducis fratris vix vitâ & patriâ indultâ, in Italiam redit. Vnde etiam Conradus Dux multùm offensus, à debitâ Regis fidelitate defecit. Tunc Fridericus Archiepiscopus, & Conradus Dux, amici facti sunt: nam antea inimici erant.* Longum molestumque foret, & bella & tumultus Litulfi à capite usque ad calcem describere. Si tamen plenè quis ea nosse volet, Witichindum legat, lib. III. Rerum Saxonicarum: nos, brevitatis gratiâ, Reginonem adducamus, qui singula strictim persequitur: *Litulfus, & Conradus Dux nequam, fautoribus, & maximè juve-*

nibus, & de Franciâ, & de Saxoniâ, & de Bavariâ sibi coadunatis conspiraverant; & quascunque poterant munitiones, seu castella, futuræ seditioni muniebant. Nec enim tam clàm agebatur, quò tendebant; sed aperta rebellionis signa monstrabant. Rex igitur Ingelheim perveniens, paucis suorum fidelium secum habitis, non tutè inter medios hostes Pascha celebrandum ratus, Moguntiam inde secessit. Vbi aliter quàm Regem decebat, diutius ante portas exspectans, à Friderico Archiepiscopo, jam cum illis conspirante, vix Vrbis ingressum obtinuit. Tunc Litulfus, & Conradus ibi factâ ad eum humilitate, ut pòst claruit, venientes, nihil talium se in ejus contrarietate egisse dicebant: sed si Henricus frater ejus in Pascha Ingelheim veniret, illum se comprehensuros non negabant. Quod Rex tranquillè, ac modestè suscipiens, navigio Coloniam attigit, indeq. progrediens Dromant vico, Pascha celebravit. Post Pascha, coadunatâ fidelium suorum multitudine, Coloniam iterum rediit, ibiq. Metensem Episcopum, in quo maxima spes & fiducia Litulfo, & Conrado esse videbatur, omnesq. Lotharienses, exceptis paucis, quibus prædæ & rapinæ cordi erant, obvios habuit; & ab amicis suis deficientes, benignâ ad se venientes suscepit charitate, & in suâ fidelitate firmos & stabiles coadunavit. Quibus dispositis in Saxoniam revertitur. Quo audito, Fridericus Archiepiscopus Moguntiâ secessit, & civitatem Brisacum (castellum latibulum semper Deo Regiq. rebellantium) intravit, totámque ibi penè æstatem, rei eventum exspectaturus, permansit. Tunc Rex audiens Moguntiam Metropolim Franciæ, Regiamq. civitatem inimicis suis deditam, quâ potuit velocitate eam adiit; collectaq. suorum fidelium multitudine, tam Francorum, quàm Saxonum, & Lothariensium, firmâ eam obsidione cinxit. Sed & frater ejus Henricus de Bavariâ, Regi auxilium collaturus advenit, licet sibi plus incommodi, quàm utilitatis acquisiverit: nam interim Litulfus Bavaros, machinatione Arnoldi fratris, Iudithaq. uxoris ejus, ab eo avertit; & Ratisbonam intromissus, omnes ejus ibi thesauros diripuit, suisq. rapiendos distribuit. Quæ ejus incommoda Rex suis præponens, Moguntiam obsidione absolvit, & in Bavariam iter dirigens, Ratisbonam obsedit. Quid fit? operâ Heroldi Cæci Archiepiscopi, & Ratisbonam, & Bajoariam totam recuperat: Fridericus Archiepiscopus, concepto sacramento jurat, se in Regiam Majestatem haud deliquisse: Conradus Dux ad meliorem mentem redit, Ducatuque exuitur: ac postremò ipse Litulfus, Witichindo scribente, *Patri nudatis plantis prosternitur, intimâ tactus pœnitentiâ, oratione flebili, patri primùm, deinde omnibus præsentibus lacrymas extorquet.* Hæ seditiones, nec non Hungarica, Sclavonicaque bella, quandam tyrannidis licentiam Berengario faciebant: neque enim existimabat is Othonem, tot malis eluctari posse, vindicemque in Italiam venturum.

13. IN IPSUM PONTIFICEM.] Ioannem XII. quem Ducatu Spoletino exuit.

14. HUNGARI NOVA IN INSUBRES.] Regino: *Hungari, ducentibus inimicis Regis, in Quadragesimâ Rheno transito pervadentes Gallium, inaudita mala in Ecclesias Dei fecerunt, & per Italiam redierunt.* Non poterat igitur qui sævus erat, perenne sibi sceptrum promittere: oblitus, vitam à victore datam. Sic igitur quia beneficium tyrannide corrupit, novam, Deo vindice, calamitatem meruit.

HIST.

HISTORIA.

OTHO [1] totius Italiæ votis suspiriisque vocatus, arma, quibus Hungaros [2] Sclavosque prostraverat, & [3] pollicetur, & infert: prorsus tanquàm alter Carolus, temporum calamitatem depulsurus. Vt affectum ostenderet, [4] Adeleidem adduxit. Atque hæc in tanto armorum strepitu omnia mitigans, velut pia mater, Insubres potissimùm complexa est. Sed tyrannus, ut anteà milite ferox, & insultans: ita nunc fugâ vilis, [5] firmissimam quamq; Regni arcem, oppidis urbibusque desertis, insedit; non alio fine trahens bellum, quàm ut noceret diutius. Nam de sceptro actum erat, quod pòst variam deinde luctam, renitentium velut manibus evulsum. Ergò ut calamitati scelus accederet, nec in auxilium aduocare Saracenos Fraxineto puduit: quin ad hos ipsos [6] Adelbertus transiit, tandem è Rege prædo. Berengarius à tanto facinore impeditus, quia [7] in potestatem hostium venit; & sic quidem melior filio, quia infelicior. Vt superstes fortunæ viveret, [8] exilio Germanico punitus est. Rediit igitur, quò antea ab Hugone fugerat. Si præsagio locum facimus, ærumnam miseriamque illo itinere adumbrârat. Sed [9] lateant, turbent, pereant tandem, sic agente fato, pater & filius. Victoriâ interim Otho fruatur. Populorum, Principum, Antistitumque occursu exceptus in Regnum: neque hoc satis: in Imperium manu ducitur, atque consecratur. [10] Ferro coronatum Insubres, [11] Augustali diademate Romani salutant. Sic propitio numine, summa humani fastigii dignitas, errore hactenus velut circumacta, ad Germanos, & quid nisi rerum jam dominos? ivit, & consedit. Iustitiâ gentis, [12] clementiâ, [13] religione, omnibusque virtutibus fundata & firmata, promittere sibi æternitatem potuit.

COMMENTARIVS.

1. TOTIVS ITALIAE VOTIS.] Litulfus enim in Berengarium missus, cùm multa oppida ad se traduxisset, ipsumque Berengarium Hortâ, lacûs Novariensis Insulâ, clausisset, fatis concesserat.

Hoc casu Berengarius inflatus, impotentiùs se gerere instituit, cùm non esset à quo coërceretur: totamque mox Italiam ita exagitavit, ut compulsa fuerit ad Othonis opem denuò confugere. Luitprandus lib. VI. cap. VI. *Regnantibus, imò sævientibus in Italiâ, & ut veriùs fateamur, tyrannidem exercentibus Berengario atque Adelberto, Ioannes Summus Pontifex & universalis Papa, cujus tunc Ecclesia supradictorum Berengarii atque Adelberti sævitiam erat experta, Legatos S. Romanæ Ecclesiæ, Ioannem videlicet Cardinalem Diaconum, & Azonem Scriniarium Serenissimo atque piissimo tunc Regi, nunc Augusto Cæsari Othoni destinavit, suppliciter litteris, & Regum signis orans, quatenus pro Dei amore, Sanctorumq. Apostolorum Petri & Pauli, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se, sibique commissam Sanctam Romanam Ecclesiam, ex suorum faucibus liberaret, ac saluti & libertati pristinæ restitueret. Hac dum Romani Legati conqueruntur, vir venerabilis VValbertus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, semivivus ex prædictorum rabie, Berengarii, atque Adelberti liberatus, superiùs memorati Othonis potentiam adiit, indicans, se non posse pati Berengarii, Adelbertiq. , nec non VVillæ sævitiam, quæ Manassem Arelatensem Episcopum, contra jus fasq. Mediolanensis Ecclesiæ, Sedi præfecerat. Ajebat sanè hanc Ecclesiæ suæ calamitatem, quæ quòd se, suosq. capere oporteret, interciperet. Sed VValdo Cumanus Episcopus hunc ponè est secutus, non disparem à Berengario, atq. Adelberto, & VVillâ, quam VValbertum contumeliam se esse perpessum clamitans. Venerant & nonnulli alterius ordinis ex Italiâ viri, quos inter Illustris Marchio Otbertus cum Apostolicis cucurrerat Nunciis, à Sanctissimo Othone tunc Rege, ut dixi, nunc Augusto Cæsare, consilium auxiliumq. expetens. Horum itaque Rex piissimus lacrymosis questibus inclinatus, non quæ sua sunt, sed quæ* IESV CHRISTI *cogitans, filium suum sibi cognominem, contra morem, puerilibus in annis, Regem constitutum, in Saxoniâ dereliquit: ipse, collectis copiis, in Italiam percitus venit.* Promisitque Pontificiis Legatis, se Ecclesiæ in cunctis profuturum, hac formulâ, quæ à Gratiano dist. LXIII. cap. XXX. expressa est: *Tibi Domino Ioanni Papæ ego Rex Otho promittere & jurare facio, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per lignum hoc vivificæ Crucis, & per has reliquias Sanctorum: quòd si permittente Domino Romam venero, Sanctam Romanam Ecclesiam, & te Rectorem ipsius exaltabo, secundum posse meum; & nunquam vitam, aut membra, & ipsum honorem quem habes, meâ voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut meâ exhortatione perdes. Et in Romanâ Vrbe, nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio. Et quicquid in nostram potestatem, de terra S. Petri pervenerit, tibi reddam: & cuicunque Regnum Italiæ commisero, jurare faciam illum, ut adjutor tui sit ad defendendam terram S. Petri, secundum suum posse. Sic me Deus adjuvet. & hæc sancta Dei Evangelia.* Si quæris, quid Othonem tam facilem fecerit? Augusti, Cæsarisque Occidentalis titulus, promissus Regi à Legatis, si Italiæ laboranti succurreret.

2. SCLAVOSQVE PROSTRAVERAT.] Sclavi, qui & Slavi, & Slavini, & Slavones, Procopio Scythiæ Europææ populi sunt, qua in Occidentem se extendunt, Saxonibus vicini, auctore Witichindo. In varias gentes dividi solent: nam & nonnulli eorum Vchri, alii Hevelli, quidam Lusici,

pars

pars Lisicavici, nec desunt qui etjam Vuldini Scriptoribus appellantur. Nostrâ linguâ Belgæ hoc nomine mancipia *Slavos* dicimus. An quia à Germanis gens victa, & servituti mancipata? *Est genus hominum durum,* scribente eodem Witichindo lib. II. *& laboris patiens, victu levissimo assuetum; & quod nostris gravi oneri esse solet, pro quadam voluptate ducunt.* Domiti fuerant præcedenti anno ingenti victoriâ à Gerone, qui eis à Rege impositus. Sed bello Hungarico, & Wigmano Ecbertoque transfugis, animati, iterum in Saxoniam impressionem fecerunt, incolasque fœdè in fugam converterunt. Quinimò Duce Wigmano Cocarescemiorum Vrbem contra sacramentum datum omni sævitiâ diripuerunt. Otho igitur, partâ de Hungaris victoriâ, in hos conversus, non perfunctoriè perfidum facinus ultus est. Idem Witichindus lib. III. Rerum Saxonicarum, singula graphicè describit; ex quo ista adjungam: *Aderat legatio Barbarorum, tributa socios ex more velle persolvere nuncians; cæterùm dominationem nationis velle tenere: hoc pacto pacem velle; alioquin pro libertate armis certare. Imperator ad hæc respondit: Pacem quidem eis non negare; sed omnimodis dare non posse, nisi injuriam perpetratam digno honore ac emendatione purgarent: omniaq; vastando & incendendo, per illas regiones duxit exercitum, donec tandem castris positus super Raxam fluvium, ad transmeandum paludibus difficillimum, ab hostibus circumfunditur. A tergo namque arborum robore obstruitur, eademq; armatorum manu vallatur: ex adverso fluvius, fluvioq; contigua palus, & cum ingenti exercitu Sclavos bellatores, & ab opere, & ab itinere prohibens. Vexatur autem & aliis incommodis exercitus, morbo pariter ac fame. Dum talia agerentur per plures dies, mittitur ad Principem Barbarorum, qui dicebatur Stoinef, Gero Comes; quatenus Imperatori se dedat, am cum per id adepturum, non hostem experturum. Erant quippe in Gerone multæ artes bonæ, bellandi peritia, in rebus civilibus bona consilia, satis eloquentiæ, multum scientiæ, & qui prudentiam suam opere magis ostenderet, quàm ore. in acquirendo strenuitas, in dando largitas, & quod optimum erat, ad cultum divinum bonum studium. Igitur cùm præesset paludi & flumini, cui palus adjacens erat, Barbarum salutabat. Cui Sclavus æqualia respondit. Ad quem Gero: Satis tibi esset, si bellum gereres contra unum nostrum de servis Domini mei, & non etiam contra Dominum meum Regem. Quis tibi exercitus, quæ arma, ut talia præsumas? Si aliqua vobis virtus adsit, si artes, si audacia, date nobis locum ad vos transeundi, sive nos vobis huc veniendi dabimus, & æquato loco fortitudo appareat pugnatoris. Sclavus Barbarico more frendens, & multa convicia evomens, irrisit Geronem, Imperatorémque, & omnem exercitum, sciens eum multis molestiis aggravatum. Gero adhæc commotus, ut erat animi ardentissimi, Crastinus, inquit, dies declarabit, tu & populus tuus fortes viribus sitis, an non: cras enim nos vobiscum congredientes proculdubiò videbitis. Gero denique, olim licet multis gestis insignibus clarus haberetur, jam tamen magnus ac celebris ubique prædicabatur; eò quod Sclavos, qui dicuntur Vchri, cum magnâ gloriâ cepisset. Gero reversus in castra, retulit quæ audiverat. Imperator verò de nocte consurgens, jubet sagittis, & aliis machinis ad pugnam provocare hostem, & quasi vi flumen paludemq; transcendere velle. Sclavi autem hesternâ comminatione nihil aliud arbitrati, ad pugnam pariter conspiravere, iter totis viribus defendentes. At Gero cum am cis suis milliario*

fermè uno è castris discedens, hoste ignorante tres pontes celeriter construxit, & misso nuncio ad Imperatorem, totum exercitum revocavit. Quo viso Barberi, & ipsi obviare legionibus contendunt. Pedites Barbarorum, dum longiorem viam currunt, & certamen ineunt, fatigatione dissoluti militibus citiùs cedunt: nec mora; dum fugæ præsidium quærunt, obtruncantur. Stoinef autem colle eminenti cum equitibus eventum rei exspectabat: socios inire fugam cernens, fugit & ipse, lucoq; quodam, cum duobus satellitibus repertus à viro militari, cujus vocabulum erat Hosed, certamine fatigatus, armisq; nudatus, capite cæsus est. Satellitum alius vivus captus, Imperatoriq; cum capite, & spoliis Reguli ab eodem milite præsentatus est.

3. POLLICETVR, ET INFERT.] Otho Frisingensis lib. VI. cap. XXI. *Rex ergò Natali Domini Ratispona celebrato, in Belgas proficiscitur, ibiq; filio suo Othone, in palatio Aquis ad Regnum sublimato, in Saxoniam redut, collectoq; milite, per Bajoariam ac Tridentinam vallem Italiam armatus intravit, totaq; terrâ subactâ, natale Domini Papiæ celebrans, Palatium à Berengario destructum, reædificari jussit.* Scire hîc fortassis avebis, quid interim Berengarius? Vt vim arceret, ingentes venienti ad Alpes Othoni copias objecit; sed illæ primùm seditione vacillârunt: deinde, glíscente tumultu, fuêre dissolutæ, liberumque aditum hosti fecerunt: quemadmodum in Historiâ Longobardorum Ducum Beneventanorum curiosè singula descripta sunt: *Adelbertus Berengarii filius, venit cum magno apparatu, populúsque nimis valdè ad Clusas venit* (fauces istas Alpium fuisse, per quas Transalpini irrumpere solent, satis anteà dixi) *qualiter cum Othone certamen inirent; feruntq; plurimi, sexaginta millia pugnatorum fuisse cum Adelberto: sed cum unâ die, unâq; nocte ibi morarentur, & Othonis exercitus non appropinquaret, Comites ad Adelbertum dixerunt: Vellemus, Domine, ut Papiam cum paucis pergeres, & tuo genitori diceres, quatenus Longobardorum Regnum sub vestrâ ditione committat: quia nos minimè sub illius potestate ampliùs jam durabimus. Si vobis committit Regnum, nos totis viribus pugnabimus: sin aliter, Italiæ Regnum extero Regi committemus: quia sævitiam illius, ejusq; conjugis omnimodè sustinere nequimus. Sed dum Patri, & matri, quod dictum ei fuerat, intimasset, & pater dictis obtemperasset; mater VVilla, dictis ejus nullo modo assensum dedit. Quapropter ad Clusas reversus est, & suis Comitibus omnia propalavit. At illi omnes exinde irati sunt, protinusq; illum reliquerunt, & unusquisque in suas urbes remeavit. Sicq; Otho Rex sine impedimento in Italiam introivit, atque Italiæ Regnum obtinuit.*

4. ADELEIDEM ADDVXIT.] Vt jure matrimonii Regnum sibi deberi ostenderet. Nam quem alioqui latet, Severo Cæcinna apud Tacitum lib. III. Annalium disserente, *incessu mulierum comitatus quæ pacem luxu, bellum formidine morentur; & Romanum agmen ad similitudinem Barbari incessus convertant. Non imbecillem tantùm, & imparem laboribus sexum, sed si licentia adsit, sævum, ambitiosum.*

5. FIRMISSIMAM QVAMQVE REGNI ARCEM.] Berengarius Monte Feretro in Spoletino Ducatu se munivit; Willa in Insulâ lacûs Verbani S. Iulii; sed posteà ad maritum se contulit; Adelbertus Spoleti mœnibus; Vido frater Comacinâ lacûs Larii Insulâ se suaque clausit.

6. ADELBERTVS TRANSIIT.] Et ab his posteà ad Pontificem

cem Ioannem XII. quem Otho, rogatu Italicorum Antistitum, ob hoc facinus, & parum integros vitæ mores, Pontificatu dejecit: sed mox tamen, cùm militem dimisisset, & Ecclesiasticum jus oppressum, Sacrique canones violati viderentur, pristinæ dignitati restitutus fuit. Luitprandus lib. VI. cap. VI. Si tamen hic Luitprandus est, & non potiùs ignotus quispiam, qui Luitprando Auctarium adjecit: *Intereà Papa juramenti & promissionis oblitus, quam fecerat Sancto Imperatori, ad Adelbertum, ut se adeat, mittit: juramento ei affirmans, se illum contra Sanctissimi Imperatoris potentiam adjuturum. Adeò enim eundem Adelbertum Ecclesiarum Dei, ejusdemq́ Papa Ioannus persecutorem Imperator Sanctus terruerat, ut omnem Italiam deserens, Fraxinetum adiret, seq́ Saracenorum fidei commendaret. Imperator autem justus, qui cur Adelbertum Ioannes Papa, quem priùs vehementi odio insequebatur, nunc diligeret, satis mirari non potuit, accersitis quibusdam familiaribus, an hoc verum esset, Romam dirigit percunctatum.* Et sequitur: *Dum à redeuntibus nunciis Imperator hæc audiret: Puer, inquit, est* (erat enim XVIII. vix annos natus) *facilè bonorum immutabitur exemplo virorum: spero eum objurgatione honestâ, suasione liberali, facilè ex illis emersurum malis.*

7. IN POTESTATEM HOSTIVM.] Durâ obsidione ab Othone MonteFeretri (oppidum Vmbriæ mediterraneum, juxta Apenninum, Anastasio aliquoties nominatum, hodie *Mons Feltri*) pressus est; cumque diu restitisset, se cum Willâ Conjuge, Imperatoris clementiæ commisit. Nec te moveat apud Reginonem legi, Berengarium Monte Sancti Leonis obsessum fuisse: nam idem est cum Monte Feretri. Luitprandus: *Ravennam usque pervênit, indéque progrediens, Montem Feretratum* (fortè Feratrum, vel Feratum, pro Feretro) *quod oppidum S. Leonis dicitur, in quo Berengarius & VVilla erat, obsedit.* Dixi Feratum: ut Procopio Græcisque posterioris ævi φερατης appellatur. Hinc fortassis Marchionatus Monferatus sub Alpibus circa Padum nomen titulumque sortitus est.

8. EXILIO GERMANICO PVNITVS.] Nam in Bajoariam relegatus fuit: *ibi*, ut Regino tradit, *exul moritur, & in Babenberg Regio more sepelitur. Cujus Vidua VVilla, antequàm sepeliretur, velum sibi sanctimoniale sumpsit.* Hanc feminam Berengario fidam fuisse comperio: nam cùm in potestatem Othonis, cum Insulâ, cui se incluserat, venisset, & posteà dimitteretur, ad maritum, se contulit. Regino: *Tunc VVilla in primis hostiliter aditur, & redempto omni de lacu exitu, quotidianus fundibulariorum, & sagittariorum, aliorumq́ belli instrumentorum impugnationibus fatigatur, & non plenis duobus mensibus obsessa capitur, & ad ultimum clementia Imperatoris dimissa, quò vellet ire permittitur: quæ quantâ potuit celeritate Berengarium adiit, & ne se Imperatori dederet, omnibus modis persuasit.*

9. LATEANT TVRBENT.] Receptaculum & latebras Adelberto Corsicam fuisse, Regino multis in locis fidem facit: scribit enim in hæc verba, ad Annum C ∞. LXIII. *Adelbertus huc illucq́ discurrens, quoscunque poterat sibi undique attraxit: sed & Corsicam, ibi se tueri nitens, intravit. Romanum etiam Pontificem multipliciter in suum adjutorium sollicitavit.* Et cùm multa de Ioanne, Pontificiâ Infulâ exuto, subjecit: *Ioannes, qui & Octavianus, videns se esse depositum, serâ pœnitentiâ ductus, Adelberto dis-*

to disjungitur. Adelbertus verò in Corsicam revertitur. Ad annum quoque C ∞. LXIV. *Drodo Palatii Capellanus ab Adelberto comprehenditur, & flagellis cæsus in Corsicam deducitur.* Idem quoque auctor Adelberti turbas, quas reverso Othone excitavit, sed statim oppressas, deinceps explicat.

10. FERRO CORONATUM INSUBRES.] De Coronâ Ferreâ lib. II. & de Coronatione lib. IV. nunc quia locus hîc postulat, pauca etiam adjungenda sunt, quæ mihi videntur ad hanc rem maximè facere. Ea apud plerosque opinio obtinuit, triplici Coronâ, tanquàm metallo distinctâ, insigniri Imperatorem solitum: Aquisgrani, Argenteâ; Moguntiaci apud Insubres, Ferreâ; Romæ, Aureâ. Sed si res dicenda est, una Imperii erat, eaque à Summo Pontifice Romæ dabatur; aliæ aliorum Regnorum: una Augustalis, aliæ Regiæ, Aureæ verò omnes; nisi tamen ab ornamento aliquo sive Argenteo, sive Ferreo, mysterii caussa addito, ducta appellatio, in ipso pretio vilitatem celebrârit. Sanè Aquisgranensem, quam Otho accepit, Auream fuisse, non Argenteam, luculentè Witichindus narrat, lib. II. Rerum Saxonicarum, in ipso statim principio: *Duces ac Præfectorum Principes, cum cæterâ Principum militum manu congregati, in fistorio Basilicæ Caroli Magni cohærente, collocârunt novum Ducem* (Othonem) *in solio ibidem constructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamq; suam contra omnes inimicos spondentes, more suo fecerunt eum Regem. Dum ea geruntur à Ducibus, ac cætero Magistratu, Pontifex Maximus* (Hildebertus Archiepiscopus Moguntinus) *cum universo Sacerdotali ordine, & omni plebe infrà in Basilicâ præstolabatur processionem novi Regis. Quo procedente, Pontifex obvius lævâ suâ dexteram tangit Regis, suâque dexterâ lituum gestans, lineâ indutus stolâ, planetâque infulatus, progressusq; in medium usque fani, subsistit: & reversus ad populum, qui circumstabat (nam erant deambulatoria infra supraq; in illâ Basilicâ in rotundum facta) quò ab omni populo cerni posset. En, inquit, adduco vobis à Deo electum, & à Domino rerum Henrico olim designatum, nunc verò à cunctis Principibus Regem factum Othonem; si vobis ista electio placeat, dexteris in cælum levatis significate. Ad hæc omnis populus dexteras in excelsum levans, cum clamore valido, imprecati sunt prospera novo Duci. Proinde procedit Pontifex cum Rege, tunicâ strictâ, more Francorum induto, ponè altare: super quod insignia Regalia posita erant, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum sceptro ac diademate. Ipse autem accedens ad altare, & sumpto inde gladio cum baltheo, conversus ad Regem, ait: Accipe hunc gladium, quo ejicias omnes Christi adversarios, Barbaros, & malos Christianos, auctoritate divinâ tibi traditâ omni potestate totius Imperii Francorum, ad firmissimam pacem omnium Christianorum. Deinde sumptis armillis ac chlamyde, induit eum: His cornibus humetenus demissis, inquit, monearis, quo Zelo Fidei ferveas, & in pace tuendâ perducere usque in finem debere. Exinde sumpto sceptro baculoque: His signis monitus Paternâ castigatione subjectos corripias, primumq; Dei ministris, viduis ac pupillis manum misericordiæ porrigas; nunquàmque de capite tuo oleum miserationis deficiat; ut in præsenti & in futuro sempiterno præmio coroneris. Perfusus itaque oleo sancto, & coronatus Diademate Aureo, ab ipsis Pontificibus Hildeberto & VVichfrido, ac omni legitimâ consecratione completâ, ab iisdem Pontificibus ducitur ad solium, ad quod per cochleas*

ascendebatur, & erat inter duas marmoreas miræ pulchritudinis columnas constructum, unde ipse omnes videre, & ab omnibus ipse videri posset. Ad Italiæ Coronam venio, quæ non modò Moguntiaci, sed etiam Ticini, imò Mediolani dari solet: hæc cùm Aurea quoque esset, ferrea tamen appellata est; *quòd laminam quandam* (verba sunt è libro Sacrarum Cæremoniarum Ecclesiæ Romanæ) *habeat ferream in summitate; alioquin aurea est, & pretiosissima.* Fuit igitur ferro, ut sic loquar, Otho, in ipsâ urbe Mediolanensi à Valperto Antistite, in Æde D. Ambrosii coronatus; sed magis auro. Vt gratus quoque esset, insigni hostimento liberalitatem suam testatus est, Archiepiscopo tres in agro Mediolanensi ditiones subjiciens, quæ Regibus eousque paruerant: Marchiam Marthesii, Ducatum Burgariæ, Comitatus Parabiagi, Seprii, & Bazariæ. E Civibus quoque nonnulli *Capitanei*, nonnulli *Valvasores* honoris causâ constituti. De quâ re videndus quoque Sigonius, lib. VI. extremo de Regno Italiæ.

11. AVGVSTALI DIADEMATE ROMANI.] Luitprandus lib. VI. cap VI sive Appendicem appellare hanc malis: *Dehinc Romam similia facturus adiit, ubi miro ornatu, miròque apparatu susceptus, ab eodem Summo Pontifice & Vniversali Papâ Ioanne unctionem suscepit Imperii. Cui non solùm propria restituit, verùm etiam ingentibus gemmarum, auri, & argenti muneribus ipsum honoravit.* Omnes Vrbes, à Pipino & Carolo Regibus in Ecclesiæ potestatem translatas diplomate, quod etiamnum in S. Angeli Castro aureis litteris exaratum asservatur, confirmare voluit; imò nonnullas suæ ditionis civitates, Pontificii juris fecit: Verba diplomatis hæc sunt: *Insuper offerimus tibi B. Petre Apostole, Vicarioque tuo Domino Ioanni Papæ, & successoribus ejus, pro nostræ animæ remedio, nostrique filii, & nostrorum parentum, de proprio nostro Regno civitates, & oppida cum piscariis suis, id est, Reatem, Amiternum, Furconem, Nursiam, Balvam, & Marsim, & alibi civitatem Interamnem cum pertinentiis suis.*

12. CLEMENTIA.] Fuit verò Italis molle imprimis jugum Othonis, quemadmodum Caroli fuerat. Nam pleræque Vrbes liberæ erant, si leve aliquod tributum excipias. Permisit illis suo arbitrio & leges, & consuetudines, & jurisdictionem, & Magistratus, & vectigalia habere: fidei duntaxat exegit sacramentum. Tributum triplex fuit: primùm *Foderum* vocabatur, & erat frumentum, quod venienti in Italiam Regi persolvebatur. Alterum *Parata*, & erat sumptus in vias, pontesque, quà Rex transiturus. Tertium *Mansionaticum*, & erat sumptus, qui in tecta, & necessaria Regio exercitui in agro hospitanti impendebatur. Hæc forma fuit publicæ gubernationis. Nunc si prodam quâ benignitate privatorum animos sibi devinxerit, per fidem, obstupesces. Nam omnes ferè, qui fidelem ei operam navaverant, aut Ducum, Marchionum, Comitum, Capitaneorum, Valvasorum, & Valvasinorum Dignitate insignivit, quæ adhuc nomina Mediolani durant: aut vectigalibus, teloneis, ripaticis, pedaticis, monetis, piscariis, saliuis, molendinis, ut ævi illius vocabulis utar, multisque id genus censibus donavit. Quo facto sanè monstravit viam se ad stabile firmumque Imperium nosse. Communicavit cum victis, quicquid vicerat. Mimi est:

Bis vincit, qui se vincit in victoriâ:

Imò verò,

Perpetuò vincit, qui utitur clementiâ. Consopivit ignea Italorum ingenia pecuniæ & dignitatis lotus. Nemo fuit, qui non lubenter libertatis oblivisceretur, cùm tam clemens dextra blandum honoris lucrique philtrum porrigebat.

13. RELIGIONE.] Germanos eâ tempestate strenuos Religionis cultores observatoresque fuisse ut credamus, facit Sanctissimus ille Imperator, qui aliquando solis effusis Deo precibus ingentem suorum seditionem oppressit, ut auctores sunt Sigebertus, Luitprandus lib. IV. cap. XI. & Witichindus lib. II. Rerum Saxonicarum. Dubites certè, fortior an sanctior fuerit, si bella ejus victoriasque, & pietatem affectumque in Ecclesiam componas. Etenim tanquam Imperium armis acquisitum virtutibus mereretur, vetus Divi Petri patrimonium, quod Berengarius totum deglutiverat, Pontificibus restituit. Natalem Christi, & Paschatis solennia nunquam sibi otiosa passus est effluere: in Onasburgensem Ecclesiam fuit liberalissimus: Monasterium S. Benedicti Magdeburgi construxit: Cassinensi cœtui splendida privilegia impertivit: breviter, Magni nomen, non tam bellicâ virtute, quàm Religionis armis sibi peperit.

CLAVSVLA.

EXSVRGITE [1] inclyta fide, invicta robore pectora; state Occidentis valida fulcra: sustinebitis Europæ gloriam, & quantum ferre gens nulla potuit, vestris in humeris conquiescet. Vestrum est, quicquid Cæsar, quicquid Augustus fuit, vestræ [2] victrices aquilæ, & quicquid [3] gessêre feliciùs Romani, quàm rexêre. Mitescent Barbari, cessabunt Irruptiones: felicem Italiam Germania faciet: felicem Germaniam tot Cæsares, tot Augusti, regendo & pacando Orbi divinitus destinati. [4] Erunt Saxones, Bavari, Suevi, Nassavii, Palatini, demum Austrii: quorum arma publicam quærent pacem, consilia salutem, potentia libertatem. Faciet Deus, & infracta stabit majestas Imperii, temporumque felicitas, quasi reddito aureo seculo efflorescet.

COMMENTARIVS.

1. INCLYTA FIDE.] Facit huc imprimis Frisiorum vox, quam Tacitus lib. XIII. Annalium celebrat, & quodammodò veneratur: *Nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos esse.* Si ulla verò gens, hæc unà potissimùm hîc laudanda est, quæ severâ constantiâ colori suo agnatam virtutem colit, tam à fuco & fallaciâ candidissimæ naturæ beneficio aliena; ut verba sua velut decreta, non tam ore, quàm pectore depromat; cùm res tractanda sunt, dexterâ, tanquam fidei tesserâ

ferâ sermonem prosequatur. Homines mediusfidius ad integritatem facti, quod dicunt, agunt; quod promittunt, præstant; & ut magis animum detegant, audent etiam poculorum libertati arcana sua committere. Eâdem manu fortes & fidi, summum dedecus putant, pacta non servare: planus aut impostor pro infami habetur. Moribus igitur plus dignitatis inest quàm elegantiæ: virtus pro cultu est, eamq; exprimere malunt quàm affectare; tanquàm rectè vivendi necessitatem sibiquisque imponat. Taciti quoq; de Germaniâ testimonium est, adhuc usurpandum: *Plus ibi boni mores valent, quàm alibi bonæ leges*. Sed quâ fide, eo robore sunt, quemadmodum fuêre semper, Imperatorum ab ipso inde Augusto custodes, nunc Imperii: à Deo velut destinati, ut qui debellari Romanis viribus non possent, ipsi quodammodò Romani fierent, & ad artes omnes meliores mitescerent, quæ summam solent potentiam sequi. Franci hanc Magnitudinem à Carolo Magno acceptam sustinuerant, & lassi, velut sub onere defecerunt. Cùm Italici Principes, Longobardorum posteri, contenderent magis quàm imperarent, Otho è Saxoniâ subjecit vacillanti, ut sic dicam, moli humeros, ostenditque mehercules ferendo, non posse, nisi apud Germanos, inclytos fide, invictos robore, majestatem Imperii stare, ac diuturnam esse.

2. VICTRICES AQVILAE.] Militiam Romanam Legiones constituebant: Legionis signum Aquila. Hanc sequebantur collectæ cohortes, pro hac pugnabant: victoria velut Imperium erat; quemadmodum qui hostem duces vicerant, Imperatores ab exercitu salutabantur. Ad rem Quinctilianus Declamatione III. *Sed neque hoc Roma parens, nec signa militaria, Aquilæq; victrices, nec tua Summe Imperator divina virtus sinat*. Dignum verò Imperium erat Romanum, ut insigne Aquilam acciperet, avium reginam, ministramque fulminis, quæ & Tarquinio Prisco aliquando Regnum, ut alios omittam, & Augusto Imperium quodam velut augurio portendit. Volunt igitur qui hodie scribunt (nulla enim apud Antiquiores hujus rei mentio est) Bicipitem Aquilam ad duplex Imperium, Orientis & Occidentis referri, primumque à Carolo Magno (an fortassis ab Othone?) hac significatione usurpatam. A Carolo, quia duplex ille Imperium à Pontifice accepit; imò à Carolo, quia Germano: quemadmodum hæc natio ab Augusti temporibus Aquilas sibi Romanas clade Varianâ vindicârat. Tres legiones deletæ erant: duæ Aquilæ in potestatem hostium venerant, tertiam in palude signifer merserat. Ne Trajani quidem tempore restitutas esse, Florus lib. IV. cap. XII. testatur, qui sub Trajano scripsit: *Signa & Aquilas duas adhuc Barbari possident*. Mansisse verò deinceps, silentium Scriptorum confitetur. Quicquid sit, Publicum Imperii Insigne Bicipitem Aquilam ab omni memoriâ Germania usurpat. Publicum, inquam; sicuti apud Romanos olim privatum in privati militis scuto expressum fuisse Lipsius annotat, Analectis suis ad Militiam: *Indicari verò, è Legione gemellâ hunc militem fuisse, duasq; velut Aquilas in unam mixtas*. Penes Germanos igitur Victrices Aquilæ sunt, vel propterea, quia victæ, deinceps non vincendæ: Imperium est, quod Otho feliciter transtulit, ut æternum esset.

3. GESSERE FELICIVS.] Quia enim augere maluerunt Im-

perium, quàm regere, tandem amiserunt. Et tamen satis moniti ab Africano Posteriori erant: *Qui Censor*, ut cum Valerio dicam, lib. IV. cap. I. *cùm lustrum conderet, inq; solito fieri sacrificio scriba ex publicis tabulis solenne ei precationis carmen præiret, quo Dii Immortales, ut Populi Romani res meliores amplioresq; facerent, rogabantur: Satis, inquit, bonæ ac magnæ sunt. Itaque precor, ut eas perpetuò incolumes servent. Ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari jussit: quâ votorum verecundiâ deinceps Censores in condendis lustris usi sunt. Prudenter enim sensit, tunc incrementum Romano Imperio petendum fuisse, cùm intra septimum lapidem triumphi quærebantur: majorem autem totius terrarum Orbis partem possidenti, ut avidum esset, quicquam ultrà appetere, ita abundè felix, si nihil ex eo quod obtinebat, amitteret.* Sed quid est? cupiditas regi non potuit; nec siverunt è potentiâ procreata vitia, stabilem potentiam esse. Tandem & Victores victi sunt, & in prædam à tot pænè gentibus tracti, quot debellaverant.

4. ERVNT SAXONES.] Plerosq; Imperatorum hæ fere gentes devêre: SAXONES Othonem Magnum, Othonem II. Othonem III. Henricum Claudum, & Lotharium: BAVARI Ludovicum IV. SVEVI Conradum II. Fredericum Barbarossam, Henricum VI. Fredericum II. NASSAVII Adolfum: PALATINI Rupertum: AVSTRII Rudolfum, Duos Albertos, Fredericum, Maximilianum, Carolum V. Ferdinandum, Maximilianum II. Rudolfum II. Matthiam, & post hos omnes, eligente Deo, FERDINANDVM II. qui ad Augustissimum Germanicæ Majestatis fastigium evectus, nubes & tempestates bellorum fregit, tot jam triumphis inclytus, ut post Carolum & Othonem nomen Magni implêrit. Vince quod reliquum est calamitatum, Felicissime Imperator, & plenâ pacis gloriâ fruere: quam ut populis dares, hactenus pugnasti. Hinc in communem & Barbarum hostem flectenda victoriarum cursu erunt arma; ut quæ una post tot Irruptiones & clades in Orbe feritas superest, propitio Numine repellatur. Vos reliqui conspirate Reges, Principes, Populi; & fortes este, ubi vicisse pietas est, triumphasse securitas. Quid mutuis vulneribus sævi conficimur? quid uni omnium hosti, & imminenti omnibus, latera nudamus? quid nobis ipsi, nomine Christiani, tergo Barbari sumus? Europa vindicanda est: quà desiit Christiana esse, plùs jam quàm Barbara facta est.

FINIS.

L. AN-

IRRVPTIO CIMBRORVM IN ITALIAM.

BREVIARIVM.

INTER *Barbaros Irruptione terribiles, Cimbri, Teutoni, ac Tigurini: immensa manus, & quam post plures clades timere Romani poterant, nisi Marius pugnâsset. Tigurini, ut inde ordiar, dilapsi magis quàm victi sunt: fortunam sociorum formidârunt. Teutoni, cum è Galliâ Romam cursum dirigerent, ad Aquas Sextias velut detenti, funditúsque deleti sunt. Tantum sitis potuit, cùm à Barbaris amnis teneretur: ut biberet verò miles, hostili sanguine aqua infecta est. Cimbri per Tridentinas nives in Italiam provoluti, cedente, ut sic dicam, fluvio Athesi, cedente exercitu Catuli, vastant omnia, & in Insubres usque penetrant. Soli interim cælique deliciis enervati, plus prædæ quàm roboris in pugnam adversus Romanos attulerunt. Dolo etiam magis & arte, quàm virtute superati sunt; quia & Solem & pulverem hosti Marius, ingenium imitatus Hannibalis, objecit. Prope Vercellas, in campis Raudiis pugnatum est, adeò feliciter, ut auxilia numinum adfuisse credita sint. Post viros etiam mulieres fortes fuêre; ac putares in viros transformatas esse. Hæc breviter, & in ipso volumine suo loco dicenda erant. Cur omisi igitur? ut* FLORI *potiùs verbis quàm meis Historiæ hanc partem darem. Dedi: sed tanquam ipse adhuc scriberem, Commentarios adjunxi.*

HISTORIA.

CIMBRI, Teutoni, atque Tigurini, ab extremis Galliæ profugi, cùm terras eorum[2] inundasset Oceanus, novas sedes toto Orbe quærebant: exclusique Galliâ & Hispaniâ, cùm in Italiam remigrarent, miserunt legatos in castra Silani, inde ad Senatum, petentes, ut Martius Populus aliquid sibi terræ daret, quasi in stipendium: cæterùm, ut vellet, manibus atque armis suis uteretur. Sed quas daret terras Populus Romanus, agrariis legibus inter se dimicaturus? [3] Repulsi igitur, quod nequiverant precibus, armis petere constituunt. Sed nec primum impetum Barbarorum [4] Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt. Omnes fugati, exuti castris. Actum erat, [5] nisi Marius illi sæculo contigisset. Ille quoque non ausus congredi statim, militem tenuit in castris, donec invicta illa rabies & [6] impetus, quem pro virtute Barbari habent, consenesceret. Recessêre igitur increpantes, & (tanta erat capiendæ urbis fiducia) consulentes, si quid ad uxores suas mandarent. Nec segniùs quàm minati fuerant, [7] tripartito agmine per Alpes, id est, claustra Italiæ ferebantur. Marius, mirâ statim velocitate occupatis compendiis, prævênit hostem, prioresque Teutonos sub ipsis Alpium radicibus assecutus, in loco, quem [8] Aquas Sextias vocant, quo, [9] fides numinum! prœlio oppressit! Vallem fluviumque hostes tenebant: nostris aquarum nulla copia. [10] Consultóne id egerit Imperator, an errorem in consilium verterit, dubium: certè necessitate acta virtus, caussa victoriæ fuit. Nam flagitante aquam exercitu, Viri, inquit, estis: en illìc habetis. Itaque tanto ardore pugnatum est, eaque cædes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quàm sanguinis Barbarorum. Certè Rex ipse [11] Teutobocchus, [12] quaternos

senos-

senosque equos transilire solitus, vix unum cùm fugeret, ascendit, proximóque in saltu comprehensus, insigne spectaculum fuit: quippe vir proceritatis eximiæ super tropæa ipsa eminebat.

COMMENTARIVS.

1. CIMBRI.]. Semel à Gallis capta & incensa Roma, omnem à Septentrione tempestatem exhorruit: maximè Cimbricam, tanquam fato rursus ad excidium Vrbis & Imperii concitatam. Trecenta armatorum millia fuisse Plutarchus scribit, plus etiam mulierum atq; puerorum. Quatuor conspirasse populos Orosius, lib. v. cap. XVI. *Cimbros, & Teutonos, & Tigurinos, & Ambrones.* Strabo lib. VII. præter Tigurinos, Tugenos quoque adjungit. Tigurini, Ambrones, Tugeni, Helvetiorum populi, qui prædæ caussa Irruptionis socii facti: Cimbri & Teutoni, sive Teutones, Germanorum. Teutonos Danos fuisse accuratè Cluverius in Germaniâ suâ Antiquâ ostendit. Præcipuum tamen in hoc bello nomen Cimbrorum, ipsúmque bellum Cimbricum fuit appellatum. Cimbros Plutarchus in Mario annotat, Germanicè Latrones dici: Festus, Gallicè. Sed profectò, notante Scaligero, non magis Cimber latronem significat, quàm Isaurus piratam, Ambro dissolutum ac voracem, Opicus obscœnum, Cheruscus inertem ac stultum. Quia igitur tales eæ nationes fuerunt, nomen vitio datum est, & promiscuè obtinuit.

2. INVNDASSET OCEANVS.] Breviter ista, & verè Florus, neglectis aliorum de hac gente fabulis, à quibus neque Plutarchus, neque Strabo abstinuit. Nam cùm Oceanus magnam aliquando Cimbricæ Regionis partem absorberet, peninsula, quæ etiam hodie Cimbrica Chersonesus appellatur, novo litoris ambitu formata est. Terra jam incolis deerat, & magna pars necessitate compulsi, alii consternatione adacti, incertis vagari sedibus armati cœperunt. Post longum igitur latrocinii errorem Gallia & Hispania exclusi, in prædam sibi Italiam eligunt. Maluerunt tamen nonnulli, inundationem passi, inter aquas habitare, quàm novas terras quærere; quorum posteà etiam nomen celebratum est. Hi à Tacito in Germaniâ describuntur: *Eundem Germaniæ sinum* (χερρόνησον, id est *peninsulam*, Ptolemæus vocat) *proximi Oceano Cimbri tenent: parva nunc civitas, sed gloria ingens; veterisq; famæ latè vestigia manent, utraque ripâ castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manumq; gentis, & tam magni exercitûs fidem. Sexcentesimum & quadragesimum annum Vrbs nostra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Consulibus.* Cimbri quoque Augusti posteà fortunam venerati, lebetem (sacerrimum eum, teste Strabone lib. VII. habebant) dono miserunt, veterésque à popularibus, sive majoribus injurias illatas deprecati, amicitiam expetivêre. Sed ut ad Florum redeam, Quando inundavit Oceanus, & ad novas sedes quærendas Cimbros compulit? Si conjecturæ locus est, etiam ante Aristotelis tempora: qui libro III Eudemiorum cap. I. ubi furiosam Barbarorum audaciam

negat

negat fortitudinem esse, Oceani istam, de quâ agimus, violentiam videtur designare: Οἷον οἱ Κελτοὶ πρὸς τὰ κύματα ὅπλα ἀπαντῶσι λαβόντες: *Quemadmodum si Celtæ sumptis armis occurrant fluctibus*. Id verò de Cimbris narrat Strabo; sed veluti fabulam elevat, Posidonii fidem sequens; qui ut longè absurdiora obtruderet, ad Mœotin quoq; lacum hanc gentem ducit, & Bosphorum Cimmerium quasi Cimbricum vult dictum esse. Qui potest? Cimmerios agnoscit Homerus: ante Homerum igitur an vagari Cimbri cœpêre? Nugæ. Ejusce-modi de Cimbris opiniones tenebris Cimmeriis dignæ sunt; dignæ porticu, quam per somnium in Comi Regiâ descripsi.

3. REPVLSI IGITVR.] Epitoma Liviana LXV. *Legatis Cimbrorum sedem & agros, in quibus considerent, postulantibus, Senatus negavit.*

4. SILANVS.] Primus Cimbrorum impetus non in Silanum, sed quadriennio antè in Cn. Papirium Carbonem Consulem fuit. Anno Vrbis Conditæ IↃC.XL. quem Tacitus quoq; signat in Germaniâ suâ: *Sexcentesimum & quadragesimum annum Vrbs nostra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone* COSS. Carbo in Illyrico cum Cimbris congressus, Romanos jam quoque vinci posse didicit: prœlio victus & exercitu exutus fugit. Illi verò magis etiam post victoriam, Martii populi famam & fortunam veriti, avertunt arma, & per ulteriorem Galliam iter convertunt in Hispaniam. Inde rejecti, & Teutonis, Tigurinis, Ambronibus juncti, ad pugnam denuò, an ad cladem dicam? Romanos provocant. Itaque vincitur, quadriennio jam exacto, M. Iunius Silanus Consul: post Silanum M. Aurelius Scaurus Legatus Consularis, item L. Cassius Longinus, quem Tacitus in Germaniâ quoque nominat: tum Cn. Manlius Consul, & Q. Servilius Cæpio Proconsul. Extrema hæc jam erant, &, ut cum Orosio dicam, *Maximus tunc Romæ non solùm luctus, verùm etiam metus fuit, ne confestim Cimbri Alpes transgrederentur, Italiamq́ delerent.* Sed illi, quod mirum est, rursus per Galliam Hispaniam petunt: rursusque pulsi, Irruptionem cum reliquis, quos dixi Barbaris in Italiam parant. Hunc ordinem cladium religiosè Quinctilianus expressit, Declamatione III. nisi quòd Cassium omittit: *Influxit Italiæ inaudita multitudo, quam ne ea quidem potuit sustinere terra, quæ genuit: insitata corporum magnitudo, mores etiam Germanis feri. Strage nostrorum campi latent. Iam fugatorum Carbonis, atque Silani sub comparatione felix militia est. Iacet post amissum Scaurus exercitum: Servilii, Manliiq́ bina cum tot legionibus castra perdidimus.* Cassii caussâ Tacitum adduco: *Germani Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Servilio Cæpione, M. quoque. Manlio fusis vel captis, quinque simul Consulares exercitus Populo Romano abstulerunt.* Operæpretium puto, Annos & Consules exprimere. Ita enim suam Historia seriem accipiet.

IↃCXL. Q. Cæcilius Metellus, Cn. Papirius Carbo.

IↃCXLI. M. Livius Drusus, L. Calpurnius Piso Cæsonius.

IↃCXLII. P. Corn. Scipio Nasica, L. Calpurnius Bestia.

IↃCXLIII. M. Minucius Rufus, Sp. Postumius Albinus.

IↃCXLIV. Q. Cæcilius Metellus, M. Iunius Silanus.

IↃCXLV. Serv. Sulpicius Galba, M. Au-

M. Aurelius Scaurus.
IↃCXLVI. L. Cassius Longinus, C. Marius, C. F.
IↃCXLVII. C. Attilius Serranus, Q. Cervilius Cæpio.
IↃCXLVIII. P. Rutilius Rufus, Cn. Manlius Maximus.
IↃCXLIX. C. Marius C. F. II. C. Flavius Fimbria.
IↃCL. C. Marius III. L. Aurelius Orestes.
IↃCLI. C. Marius IV. L. Lutatius Catulus.
IↃCLII. C. Marius V. M.' Aquilius.

Notandum hîc verò est, anno IↃC. XLV. M. Aurelium Scaurum in locum Q. Hortensii, priusquàm iniret Magistratum damnati, suffectum esse. Anno IↃC. XLVI. in locum L. Cassii venisse, M. Æmilium Scaurum. Nunc Livius repræsentandus est, Epitome LXIII. *Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt: ab his Papirius Carbo Consul cum exercitu fusus est.* Epitome LXV. *M. Iunius Silanus Consul adversum Cimbros infeliciter pugnavit.* Epitome LXVII. *Aurelius Scaurus Legatus Consulis à Cimbris fuso exercitu, captus est; & cùm in consilium ab iis evocatus deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eò quòd diceret Romanos vinci minimè posse, à Bolo Rege, feroce juvene* (Beorige ut mox annotabo) *occisus est. Ab iisdem hostibus Cn. Manlius Consul, & Q. Servilius Cæpio Proconsul victi prælio, castrisq́ binis exuti sunt: octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta milia.* Post hanc victoriam Barbari, ut dixi, per Galliam in Hispaniam, denuò & quodam quasi impetùs refluxu, quasi maris sui ingenium exprimentes, convertunt iter: quibus Marius opponitur.

5. NISI MARIVS.] Vellejus lib. II. *Populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum Imperatorem quàm Marium est ratus. Tum multiplicati Consulatus ejus. Tertius in apparatu belli consumptus. Quarto trans Alpes circa Aquas Sextias cum Teutonis conflixit, ampliùs* CL. *millia hostium priore ac postero die ab eo trucidatis, gensq́ excisa Teutonum: Quincto circa Alpes in campis, quibus nomen erat Raudis, ipse Consul & Proconsul Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertavère prælio. Cæsa aut capta ampliùs* C. M. *hominum*. Quinctilianus Declamatione III. De Cimbris: *Gens majorem partem terrarum victoriis pervagata, tantùm in Mario stetit.*

6. IMPETVS.] Opportuna Taciti gnome est, lib. II. Annalium: *Barbarorum impetus acres cunctatione languescunt.* In ipsâ quoque pugnâ nihil iisdem validum, nisi quod subitum. De Gallis Florus noster, lib. II. cap. IV. *Experimento deprehensum est, quòd sicut primus impetus est major quàm virorum; ita sequens minor quàm feminarum.*

7. TRIPARTITO AGMINE.] Nimirum per gentes divisò. Erant enim, ut dixi, Teutoni, Ambrones, Tugeni, qui per Liguriam in Marium statim profecti sunt: Cimbri, & his juncti Tigurini cunctantiùs per Noricos in Catulum. Sed Marius non pugnando frangere rabiem Teutonum voluit; qui cùm frustrà lacessèrent, tripartito isto, & longo agmine Alpes & Italiam petierunt. Sex dies consumptos esse, priusquàm tota Barbarorum multitudo pertransiret, Plutarchus scribit. Ad Florum igitur verba Orosii faciunt: *Tribus agminibus Italiam petere destinàrunt.*

8. AQVAS SEXTIAS.] Vellei verba paullò antè allata sunt, de Mario: *Quarto* (Consulatu) *trans Alpes circa Aquas Sextias cum Teu-*

tonis conflixit. Pugnam quoque & locum D. Hieronymus exprimit, ad Gerontiam: *Gens Teutonum ex ultimis Germaniæ profecta litoribus omnem Galliam inundavit, sæpiúsque cæsis Romanis exercitibus, apud Aquas Sextias, Mario pugnante, superata est.* Plutarchus ut locum describeret, Massilienses nominat: ab iis enim vineas cæsorum ossibus circumseptas esse tradit. Præterea ubi pugnatum est, calidorum rivulorum fontes & scaturigines fuisse. Non nominavit urbem, sed ostendit. Vt hodie est, ornat Galliam Narbonensem, ornat Provinciarum Provinciam, ornat Viris Litterisque. Inter viros, olim familiariter, cùm Patavii studiorum causâ agerem, novi, & nunc colo Doctrinæ & Virtutis delicium, NICOLAVM FABRICIVM Petriscii Dominum: in quo cùm Dignitas, Humanitas, Nobilitas certent; an tamen majorem, an meliorem, an clariorem exceperit favor sæculi, dubites. Suam ille Patriam, suas ille Aquas si obscuræ sint, aut Sextiæ non sint, illustret. Mihi jam satis, Vrbis nomen, quemadmodum in Antiquis Inscriptionibus legitur, exprimere. Sunt *Aquæ*, *Aquæ Sextiæ*, *Colonia Iulia*, *Colonia Iulia Augusta*. Aquæ, ab aquarum inibi calidarum balneis: Sextiæ, à C. Sextio Calvino Proconsule, qui victâ Salyorum (alii Salviorum) gente, Coloniam hîc anno Vrbis Romæ IↃC. XXX. condidit, ut est apud Livium Epitome LXI. *C. Sextius Proconsul, victâ Salviorum gente, Coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam & caldis & frigidis fontibus, atque à nomine suo appellatas.*

9. FIDES NVMINVM.] Eadem formulâ usus est Florus lib. I. cap. XI. & ad rei magnitudinem exprimendam facit. Totum à Plutarcho prœlium describitur: ego Orosii contractiorem narrationem subjicio: *Marius post digressum hostium castra movit, & collem occupavit, qui campo & fluvio, ubi hostes sese diffuderant, imminebat. Cumq; exercitui ejus aqua ad potandum deesset, querelisque omnium coargueretur, Aquam quidem in conspectu esse, respondit; sed eam ferro vindicandam. Primus itaque, calonibus cum clamore in pugnam ruentibus, subsecutus exercitus, mox justo certamine compositis ordinibus bellum gestum: & vicere Romani. Quarto die* (orto die, Lipsius ad Vellejum emendavit) *rursus producta utrimque in campum acies, usque ad meridiem penè pari pugnavêre discrimine. Post ubi incalescente Sole, fluxa Gallorum corpora in modum nivium distabuerunt, usq; in noctem cædes potiùs quàm pugna protracta est. Ducenta millia armatorum in eo bello interfecta sunt, octoginta millia capta, vix tria millia fugisse referuntur*. Eundem numerum exprimit Eutropius. In Epitome Livianâ LXVIII. capta dicuntur nonaginta millia. In Plutarcho cæsorum & captorum ampliùs centum millia. In Vellejo ampliùs centum quinquaginta millia hostium trucidata, gensque excisa Teutonum.

10. CONSVLTONE.] Etiam dubitare Plutarchus videtur: Βυλόμενος (ὥς φασι) καὶ τύτῳ παρεξῦναι τὺς στρατιώτας: *Cum vellet militibus, ut ajunt, etiam hac ratione stimulum addere.* Frontinus Imprudentiæ assignat, lib. II. Stratagematum, cap. II. *Marius adversus Cimbros & Teutonos, cùm metatores ejus per imprudentiam ita castris locum cepissent, ut sub potestate Barbarorum esset aqua, flagitantibus eam suis, digito hostem ostendens, Illinc, inquit, petenda est. Quo instinctu assecutus est, ut protenus Barbari tollerentur*. Marii hoc responsum paullò acrius apud Orosium: *Aquam quidem*

quidem in conspectu esse; sed ferro vindicandam. Adhuc acrius apud Plutarchum: *Hinc potum sanguine venalem esse*.

11. TEVTOBOCCHVS.] Orosius & Eutropius Teutobodum nominant: sed ille in prœlio occîsum scribit, hic captum.

12. QVATERNOS SENOSQVE EQVOS.] Desultor, ut Latinè dicam, erat: quemadmodum Reges olim ad usum suum plures in bello trahere equos solent, & de equo in equum transilire: quod Propertio est trajicere, lib. IV. Elegiâ II. de Vertumno:

Trajicit alterno qui leve pondus equo.

De Numidis Livius lib. XXIII. disponente aciem Asdrubale adversus P. & Cn. Scipiones: *Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpè pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat. Tanta velocitas ipsis, tamq; docile equorum genus est.* De Romanis ipsis Festus: *Paribus equis*, id est duobus, *Romani utebantur in prælio, ut sudante altero, transilirent in siccum.*

HISTORIA.

SVBLATIS funditus [1] Teutonis, in Cimbros convertitur. Hi jam (quis crederet?) [2] per hiemem, quæ altiùs Alpes levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti, ruinâ descenderant, [3] Athesim flumen non ponte, nec navibus, sed quâdam stoliditate Barbaricâ, primùm corporibus aggressi; postquàm retinere amnem manibus & clypeis frustrà tentaverant, ingestâ obrutum silvâ transiluêre: & si statim infesto agmine Vrbem petissent, grande discrimen esset: sed in [4] Venetiâ, quo ferè tractu Italia mollissima est, ipsâ soli cælique clementiâ robur elanguit. Ad hoc panis usu, carnis coctæ, & [5] dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggressus est. Iam diem pugnæ à Mario Imperatore petierunt, [6] & sic proximum dedit. In patentissimo, quem [7] Caudium vocant, campo concurrêre. [8] Millia inde CXL. ceciderunt, hinc tertio minus. Per totum diem concîditur Barbarus. Isti quoque Imperator [9] addiderat virtuti dolum, secutus Annibalem, artemque Cannarum. Primùm nebulosum nactus diem, ut hosti inopinatus occurreret: tum ventosum quoque, ut pulvis in oculos & ora ferretur: tum acie conversâ in Orientem, ut, quod ex captivis mox cognitum est, ex splendore galearum, ac repercussu, quasi ardere cælum videretur. Nec minor cum uxoribus eorum pugna,

quàm cum ipsis fuit, cùm objectis undique plaustris atque carpentis, altæ desuper quasi è turribus [10] lanceis contisque pugnarent. Perinde speciosa mors earum fuit, quàm pugna. Nam cùm missâ ad Marium legatione, [11] libertatem ac sacerdotium non impetrassent (nec fas erat) suffocatis, elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidêre vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto; ab arboribus jugísque plaustrorum pependerunt. [12] Beleus Rex in acie dimicans, impigrè, nec inultus occubuit.

COMMENTARIVS.

1. SVBLATIS FVNDITVS TEVTONIS.] Imò Tugenis & Ambronibus, qui pridie, vel propridie, si Plutarchum audimus, pugnaverant. Non prætereundum verò hîc Marii Stratagema, à Frontino descriptum, lib. II. cap. IX. *C. Marius victis prælio Teutonis* (Ambrones & hîc intelligendi sunt) *reliquias eorum, quia nox supervenerat, circumsidens, sublatus subinde clamoribus, per paucos suorum territavit, insomnemq́ hostem detinuit, ex eo consecutus, ut postero die irrequietum faciliùs debellaret*. Posterum ecce vocat diem, quemadmodum Vellejus. Plutarcho tamen, ut dixi, abire placuit, qui tertium assignat: & Orosio, qui quartum. An igitur *ortum* hîc rectè cum Clarissimo LIPSIO emendes, deliberandum est.

2. PER HIEMEM.] Tanta ferocia Barbaris, tantusque erat hostium contemptus; ut, quemadmodum Plutarchus annotat, virium & audaciæ potiùs ostentandæ caussâ, quàm quòd necesse esset, nudi corporibus per nivem glaciemque iverint.

3. ATHESIM.] Fluviorum hic Italiæ post Padum maximus: ut verò in Panegyrico ad Constantinum describitur, *Saxis asper, & gurgitibus verticosus, & impetu ferox*. Virgilius lib. IX. *Amœnum* appellat. È Tridentinis Alpibus originem ducere, Veronam transire, atque inde quodam velut circuitu in mare ferri, ad librum I. Historiæ meæ, fugam Odoacris explicans, dixi. Plurarchus Ἀτισῶνα nominat: quo vocabulo in errorem inductus Bonaventura Castillionæus, libro De Gallorum Insubrum Antiquis Sedibus, Atisonem vult Tosam fluvium esse, qui per Lepontios in lacum Verbanum influit, & hoc Alpium tractu, adeoq; Hannibalis viâ, Cimbros in Italiam intrasse. Id verò quàm absurdum sit, Cluverius ostendit, lib. I. Italiæ suæ Antiquæ, cap. XVIII. Quomodò enim? Livii, aliorumque omnium & fidem & auctoritatem rejiciendam esse? Nemo non Athesim nominat; ne in favorem gentis suæ Scriptorem Patavinum mentitum esse quis credat. Non poterant sanè à Rhodano per Noricum, & Alpes Tridentinas Cimbri, nisi ad Athesim venire, quò se Catulus cum exercitu receperat. Manifesta Flori nostri verba sunt: *Tridentinis jugis in Italiam provoluti, ruinâ descenderant. Athesim flumen non ponte, nec navibus, sed quadam stoliditate Barbaricâ, primùm corporibus*

bus aggressi, postquàm retinere amnem manibus & clypeis frustrà tentaverant, ingestâ obrutum silvâ transiluère. Lubet & Livium ex Epitomâ LXVIII. repræsentare: *Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoq; Q. Catulo Proconsule, qui fauces Alpium obsederat & ad flumen Athesim castellum editum insederat, reliqueratq;, ubi virtute suâ explicatâ fugientem Proconsulem, exercitumq; prosecuti in Italiam trajecissent, junctis ejusdem Catuli & C. Marii exercitibus, prælio victi sunt ab eis.* Accuratè verò rem totam Plutarchus narrat. Pugna quidem inter Marium & Cimbros prope Vercellas commissa est, testibus eodem Plutarcho & Eusebio: sed postquam ab Athesi progressi totam Barbari regionem (& id Plutarchus scribit) latè depopulati essent; imò postquam *in Venetiâ, quo ferè tractu Italia mollissima est, ipsâ soli cæliq; clementiâ robur elanguisset,* quod hîc in Floro habemus.

4. VENETIA.] Venetorum origo passim apud Scriptores celebrata. Eam tamen in dubium Strabo vocat, lib. IV. Galliam describens: item lib. V. ubi de Transpadanâ Italiâ agit. Venetos scilicet Gallos esse; ex iis, qui Oceanum accolebant: migrasse verò in Italiam, à mari ad mare; quemadmodum Boii & Senones proxima loca occupaverunt. Alii, Henetos, sive Ænetos à Rege Æneto dictos esse, & ex Illyrico in Italiam traductos. Plura Cluverius, lib. I. Italiæ Antiquæ, cap. XVII. A gente Regio, ac deinde Vrbs nomen traxêre. Regio igitur Venetia nuncupata, & à soli cæliq; clementiâ commendari potuit. Limites sunt (fortassis aliquando moti) ab Ortu Solis mare Hadriaticum, ab Occasu Athesis, à Septentrione Natiso, à Meridie Padus. Vrbs à Regione jam olim partim Venetia, singulari numero; partim Venetiæ, plurali appellata est: digna profectò, quæ vel Regina urbium, vel Miraculum diceretur.

5 DVLCEDINE VINI.] Orosius: *Teutones autem & Cimbri* (dele Teutones, qui jam ad Aquas Sextias victi ac deleti erant) *integris copiis Alpium nives emensi, Italiæ plana pervaserunt, ibiq; cùm rigidum genus diu* (quæ particula hîc notanda est) *blandioribus auris, poculis, cibis, ac lavacris emolliretur, Marius quintùm Consul, & Catulus adversus eos missi.*

6. ET SIC PROXIMVM DEDIT.] Legendum *hic*, ut ad Marium referatur. Beorix Cimbrorum Rex cum paucis ad castra Romana profectus & provectus, lacessivit Marium, ut diem & locum pugnæ assignaret. Ille non esse moris Romani, ab hostibus consilium prœliandi mutuari: Cimbris se tamen id largiri. Dies igitur statuitur, proximus, ut hîc à Floro scriptum est; tertius, ut à Plutarcho.

7. CAVDIVM.] Manuscriptus noster Bullidianus, *Raudium*. Ita quoque Auctor de Viris illustribus, in Mario: *Teutones in Galliâ apud Aquas Sextias, Cimbros in Italiâ, in campo Raudio vicit.* Vellejus: *Citra Alpes in campis, quibus nomen erat Raudiis, ipse Consul & Proconsul Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertavère prælio.* Est inter Vercellas, Novariam, & Laumellum vicus *Robio*, qui an antiquam Raudii campi memoriam retineat, nequid ego dicam, decernet Illustrissimus, & pari, si non eodem nomine, PAVLVS RAVDENSIS ALEXANDRI F. Senator apud Insubres Regius, Vir omni Virtutum & Doctrinarum elegantiâ insignis, & veteri civium suorum gloriæ natus: qui hoc agit, ut quemadmodum ad se Vrbis suæ per-

tinere famam putat, ita suam Vrbi impendat; quasi nec stirpe, nec dignitate satis adhuc clarus, nisi Patriæ memoriam ab interitu vindicet. Si Antiquitas æstimanda est, tibi se Mediolanum debet: tuâ enim operâ sciet semper, qualis fuerit, quibus initiis, incrementisque ad magnitudinem suam pervenerit; quassata sæpius, ut illustrior esset; totiesque virtutem fortunæ opponeret, quoties calamitatem sustineret Non quidem scribis Historiam, gravioribus in Republicâ consiliis negotiisque occupatus; sed curas ut scribatur, quasi hoc ad Rempublicam maximè faciat. Tuo sic quidem favore meum istud de Rebus Insubrum volumen natum est; & tanquam rectè in Historiam & Commentarium divideretur, animos scribenti addidisti. Vnius judicium, omnium censui; & placere omnibus conatus sum, ut in uno omnes, in omnibus unum, mihi demererer. Sed nunc, quia de Raudiis Campis ago, nomen tuum veneror, & quæ adfero, à tuâ cupio censurâ pendêre. Pugna nobis Cimbrica Raudios campos indicat: sed prope Vercellas pugnam commissam esse Plutarchus & Eusebius scribunt. Quid conficio? prope Vercellas campos Raudios fuisse, fuisse Raudium, ut à Floro nuncupatur. Aliud prope Mediolanum Raudium est, à quo vel familia tua nobilissima nomen aliquando accepit; vel certè à familiâ locus ipse appellatus est. Suspicit hodie Raudense municipium virtutem, dignitatem, famam tuam, & hac trigeminâ velut luce originem suam putat illustrari. Tuum igitur erit, Illustrissime Senator, definire nobis Raudios campos, ut cladem Cimbrorum tuo nomine, tuum nomen clade Cimbrorum explicatum, non Insubres tantùm, sed mortales omnes intelligant. Castillionæus Caudium, quod in Floro erat, in Candium mutare mavult, eumque hodie pagum Candiam esse. Sed hæc conjectura est. Camerianum in eodem tractu Castra Mariana esse, ut negare nolim, ita nec affirmem. Sibi indulsit Claudianus, qui juxta Pollentiam pugnatum scribit, de Bello Getico, sub finem:

O celebranda mihi cunctis Pollentia sæclis!
O meritum nomen, felicibus apta triumphis,
Virtutis fatale solum, memorabile bustum
Barbariæ! nam sæpè locis, ac finibus illis
Plena lacessito rediit vindicta Quirino.
Illic Oceani stagnis excita supremis
Cimbrica tempestas, aliasq; immissa per Alpes
Iisdem procubuit campis.

Quid attinet reliquos versus adscribere, ac repetere? lib. 1. Historiæ meæ in rebus Stiliconis expressi sunt: ubi non satis victi Gothi videbantur, nisi & Cimbri occumberent. Prorsus ut major Stilico esset, Marius laudandus erat. Sed hunc victorem in Vmbriâ Lucanus facit, lib. 1. ac juxta Ariminum in Cimbros pugnâsse. Scilicet ut loco nobiliori Cæsar Patriæ hostis fieret:

Nos primi Senonum motus, Cimbrúmque ruentem
Vidimus, & Martem Libyes, cursúmque furoris
Teutonici: quoties Romam fortuna lacessit,
Hâc iter est bellis.

8. MILLIA INDE CXL.] Livii Epitomator cæsa CXL. millia scribit, capta LX. quem Orosius sequitur. Plutarchus LX. millia capta, bis totidem cæsa. Vellejus, cæsa aut capta C. millia, ubi CC. Lipsius reponit. Eutropius & Eusebius

bius utramque cladem jungentes, CC. millia cæsa, LXXX. capta: Sed facilis in numeris istis error est.

9. ADDIDERAT VIRTVTI DOLVM.] Orosii huc verba faciunt: *Marius quinctùm Consul & Catulus adversum eos* (Cimbros) *missi, die ad pugnam & campo dato, Annibalis secuti ingenium, in nebulâ disposuêre pugnam, in Sole pugnârunt*. De Annibalis ingenio, arteque Cannarum videndus Livius lib. XXII. Sed pulverem & Solem hîc Cimbris à Mario objectum fuisse, etiam Frontinus notat, libro II. Stratagematum, cap. II. *Marius adversus Cimbros constitutâ die pugnaturus, firmatum cibo militem ante castra collocavit, ut per aliquantum spatii, quo adversarii dirimebantur, exercitus hostium potiùs labore itineris profligaretur: fatigationi deinde incommodum aliud objecit, ita ordinatâ suorum acie, ut adverso Sole, & vento, & pulvere Barbarorum occuparetur exercitus*. Adjungamus Orosium: *Cumq; ilicò vulnerati equites retrò in suos cogerentur, totamq; multitudinem indispositè adhuc adventantem conturbarent, & Sol cum vento ortus ex adverso emicuisset, visus eorum pulvis opplevit, & splendor hebetavit. Ita factum est, ut tanta ac tam terribilis multitudo, minimâ Romanorum clade, suâ autem ultimâ internecione caderetur.* Narrat Plutarchus, primo concursu, cùm se aliqua hostium agmina reciperent, stratagemate in latus frustrà invecta, tantum pulveris excitatum esse, ut conspectus utrimque exercituum cæcâ prorsus nube obtectus sit. Marium igitur suas impetu trahentem copias aberrasse ab hostibus, aciemque eorum prætervectum, quæsivisse magis aliquamdiu conflictum, quàm pugnasse. Feliciorem fuisse Catulum: quippe in Barbaros cum legionibus delatum, egisse quæ ad victoriam facerent. Cimbros tamen algoribus assuetos, cùm objecto Sole diffluerent (III. Kal. Sextil. pugnatum est) magis æstui, quàm hosti succubuisse. Quidni addam? Et pulvis Romanis & simul ardor victoriam dedit. Pulvis, qui multitudinem hostium abscondebat. Itaque in adversos invectæ legiones, priùs pugnabant, quàm percellerentur metu; priùs vincebant, quàm discrimen intelligerent. De ardore mirum est. Tanquam Soli non cederent dimicantium animi, ipsa adeò corpora ad labores obduruerant occalluerantque; ut tanto in æstu, tamque acri concursu nemo Romanorum vel sudare, vel suspirare visus sit. Plurimi sic quidem, & fortissimi hostium pugnando occisi sunt, cùm gradum adhuc nemo referret. Etenim ne ordines disjicerentur, longis antesignani catenis, perque baltheos trajectis colligati erant. Sed cùm effusi ad castra summoverentur, novam *Mulieres*, ut Orosii verbis absolvam, *& graviorem penè excitavêre pugnam, quæ plaustris in modum castrorum circùm instructis, ipsæ autem desuper propugnantes* (Florus, *altæ desuper quasi è turribus*) *diu repulêre Romanos. Sed cùm ab his novo cædis genere terrrerentur* (*abscissis enim cum crine verticibus, inhonesto satis vulnere turpes relinquebantur*) *ferro quod in hostes sumpserant, in se suosq; verterunt. Namque aliæ concursu mutuo jugulatæ, aliæ apprehensis invicem faucibus strangulatæ, aliæ funibus per equorum crura consertis, ipsisq; continuò equis extimulatis, postquam suas iisdem funibus, quibus equorum crura nexuerant, indidêre cervices, protractæ atque exanimatæ sunt: aliæ laqueo de subrectis plaustrorum temonibus pependerunt.* In feminis tantum fuisse animi, an insaniæ? Magis mirare. *Inventa est etiam quadam,*

dam, quæ duos filios, trajectis per colla eorum laqueis, ad suos pedes vinxerit, & cùm se ipsam suspendio morituram dimisisset, secum traxerit occidendos. Bone Deus! quæ hæc in liberos, omnem excedens Barbariem, sævitia? Orosius, *femineum furorem, vim autem virilem* appellat. Sed an humaniùs viri perierunt? Horum cervices, ut est apud Plutarchum, quia arbores deerant, partim cornibus boum, partim cruribus alligatæ, traxerunt dependentia corpora; quæ, in cursum deinde stimulatis jumentis, calcata & protrita sunt. Nimirum Barbari erant, Cimbri erant, & rabiem, quam in hostem non poterant, in sese effuderunt. Sed hæc horum hominum Philosophia fuit, laudata Valerio, libro II. cap. VI. *Alacris & fortis Cimbrorum Philosophia & Celtiberorum, qui in acie exultabant, tanquam gloriosè & feliciter vitâ excessuri: lamentabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri.*

10. LANCEIS CONTISQUE.] Lanceæ missilia tela sunt. Lucanus, lib. VIII. de Crastino:

Cujus torta manu commisit lancea bellum.

Hinc verbum lanceare, mittere, torquere, Tertulliano usurpatum lib. III. contrà Marcionem: *Antea nôrunt lanceare, quàm lancinare.* Vbi de pueris loquitur. Lancinare autem, est verba matrum trahere. Sed lancea quomodò torqueatur, Isidorus explicat, lib. XVIII. cap. VII. *Lancea est hasta, amentum habens in medio.* Amentum, lorum est, quo hastile vibratur. Silius lib IV.

——— Hasta juvatur,
Amento, renovantq́ novâ fornace bipennes.

Sæpiusque. Lanceam Hispanicum vocabulum esse, Varro apud A. Gellium, lib. XV. cap. XXX. tradit. Alii Germanis & Gallis assignant. Quinam sint conti Grammaticorum filii, etiam semilatini, sciunt. Isidori ingenium, jam citati, non prætereo: *Contus ferrum non habet, sed tantum cuspide acutâ est. Virgilius: Ferratasq; sudes & acutâ cuspide contos. Contus autem, quasi conitus: est enim conitus acuta rotunditas.* Quid prætereà? *Hasta est contus cum ferro, cujus diminutivum facit hastile.*

11. LIBERTATEM AC SACERDOTIUM.] Petitio hæc erat, ut liberæ essent, imò verò, si res dicenda est, ut castæ essent, & Vestæ servirent. Breviter Orosius: *Mulieres eorum* (malè ad Tigurinos refert) *constantiore animo quam si vicissent. Consuluerunt Consulem, ut si inviolatâ castitate Virginibus Sacris ac Diis serviendum esset, vitam sibi reservarent. Itaque cùm petita non impetrassent, parvulis suis ad saxa collisis, cunctæ sese ferro ac suspendio peremerunt.* Valerium quoque audiamus, lib. VI. cap. I. *Teutonorum verò conjuges* (noster de Cimbris) *Marium victorem orarunt, ut ab eo virginibus Vestalibus dono mitterentur, affirmantes, æquè se atque illas virilis concubitûs expertes futuras. Eáq; re non impetratâ, laqueis sibi nocte proximâ spiritum eripuerunt. Dii meliùs, quòd hunc animum viris earum in acie non dederunt. Nam si mulierum suarum virtutem imitari voluissent, incerta Teutonicæ victoriæ trophæa reddidissent.* Adjungo D. Hieronymi verba ad Gerontiam de Monogamiâ: *Gens Teutonum ex ultimis Oceani atque Germaniæ profecta littoribus, omnem Galliam inundavit, sæpiusq; cæsis Romanis exercitibus, apud Aquas Sextias, Mario pugnante, superata est. Quorum trecentæ matronæ, cùm aliis se viris captivitatis conditione tradendas esse didicissent, Consulem deprecatæ sunt, ut templo Cereris ac Veneris* (legendum *Cereris ac Vestæ*) *in servitum*

vitium traderentur. Quod cùm non impetrarent, submovente eas lictore, parvulis cassis liberis, manè mortuæ sunt repertæ, suffocatis laqueo faucibus, & mutuis complexibus se tenentes. Multum igitur virtutis hæc Barbaries habuit: pudicitiam æstimavit, cui & suam & liberorum vitam impendit. Hinc Vestales discere poterant, quâ puritate Sacer Imperii ignis esset custodiendus.

Belevs.] In manuscripto nostro Buslidiano Boletus est: in Epitomâ Livianâ LXVII. Bolus: in Plutarcho Bœorix, Orosio Bojorix; apud quem Lugius prætereà, & Claudicus, & Cesorix Reges capti leguntur.

HISTORIA.

Tertia [1] Tigurinorum manus, quæ quasi in subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in diversa lapsi, fugâ ignobili & latrociniis evanuit. Hunc [2] tam lætum, tamq; felicem libertatis Italiæ, assertique Imperii nuncium, non per homines, ut solebat, populus accepit; sed per ipsos (si credere fas est) Deos. Quippe eodem die, quo gesta res est, visi pro æde Castoris & Pollucis [3] juvenes laureati Prætori literas dare, frequensq; in spectaculo rumor victoriæ Cimbricæ [4] feliciter dixit. Quo quid admirabilius, quidque insignius fieri potest? Quippe [5] velut elata montibus suis Roma, spectaculo belli interesset; quod in gladiatorio munere fieri solet, uno eodémque momento, cùm in acie Cimbri occumberent, populus in urbe plaudebat.

COMMENTARIVS.

1. Tigvrinorvm.] Hi cum Cimbris in Noricos profecti erant, relictis in Galliâ Teutonis, Tugenis, Ambronibus; & Alpium claustra armis tenebant, quâ in Italiam Socii proruperant. Helveties esse dixi, quos Strabo Τιγυρίνους vocat, lib. VII. Tigurinus pagus nobilis apud Antiquos: Vrbs hodie Tigurum, quasi Zigurum, medii ævi Scriptoribus mutatâ litterâ, Turigum, amœno inter montes & aquas situ. Incrementa & ornamenta sua non uni Imperatori debet. Proximum laudare lacum possum, & simul metuere, noctu aliquando, & cum gravissimo per tempestatem periculo, Curiam mihi Rhætorum Tiguro proficiscenti enavigatum.

2. Tam laetvm.] Refert Plutarchus, audito de Cimbris victoriæ nuncio, Romanos cum uxoribus epulatos esse, & libasse Diis ac Mario: quod vivo nemini fieri solitum erat. Hunc igitur tertium Romanæ Vrbis Conditorem vocabant, quemadmodum primus quidem Romulus, secundus Camillus hac appellatione fuerat ornatus. Non

rejicienda Manuscripti nostri Lectio: *Hunc tam latum, tamq; felicem liberatæ Italiæ* (pro *libertatis Italiæ*) *assertiq; Imperii nuncium.*

3. IVVENES LAVREATI.] Rectiùs *Laureatas*, ut ad litteras referamus. Plinius aliquid hìc miraculi agnoscit, lib. VII. cap. XXII. *Nam Cimbricæ victoriæ, Castoresq; Romani, qui Persicam victoriam ipso die quo contigit, nunciavêre, non visûs, sed numinum fuêre præsagia.* Non semel verò Tyndaridæ rebus favisse Romanis, imò pugnasse visi sunt: ut indicant Cicero lib. II. De Naturâ Deorum, Valerius Maximus lib. I. cap. VIII. Plutarchus in Paulo, Dionysius lib. VI. Iulius Obsequens De Prodigiis cap. X. Sed Florum præterire non possum. Is lib. I. cap. XI. de Pugnâ apud Regillum lacum: *Ea demum atrocitas fuit prælii, ut interfuisse spectaculo Deos fama tradiderit: duos in candidis equis, Castorem atque Pollucem nemo dubitârit. Itaque & Imperator veneratus est; pactusq; victoriam, templa promisit, & reddidit planè quasi commilitonibus Deis stipendium.* Item lib. II. cap. XII. De Bello Macedonico secundo adversus Persen: *Multo priùs gaudium victoriæ Populus Romanus, quàm epistolis Victoris perceperat. Quippe eodem die quo victus est Perses in Macedoniâ, Romæ cognitum est. Duo juvenes candidis equis apud Iuturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant: hi nunciavêre. Castorem & Pollucem fuisse creditum vulgò, quòd gemini fuissent: interfuisse bello, quòd sanguine madérent: à Macedoniâ venire, quòd adhuc anhelarent.* Fictum id interdum, quò animosiùs milites pugnarent, fatetur Frontinus libro I. Stratagematum, cap. XI, *A. Postumius prælio, quo cum Latinis conflixit, oblatâ specie duorum in equis juvenum, animos suorum erexit, Pollucem & Castorem adesse dicens, ac sic prælium restituit.* Sed exemplum potuit ab ipsis, qui vernaculos colebant Tyndaridas, Spartanis desumi. Etenim *Archidamus Lacedæmonius*, eodem Frontino teste, *adversus Arcadas bellum gerens, aram in castris statuit, & circa eam duci equos noctu clàm imperavit: quorum vestigia manè, tanquam Castor & Pollux perequitassent, ostendens, adfuturos eosdem prœliantibus persuasit.*

4. ELATA MONTIBVS SVIS ROMA.] Victoriâ suâ, ut sic dicam, superbiens. Plutarchus in Quæstionibus Romanis, Ῥώμην ἑπτάλοφον vocat; id est *Septicollem*, & hujusce rei causâ *Septimontium* ferias institutas fuisse. Tertullianus in Apologetico, cap. XXXV. ipsos Quirites *vernaculam septem Collium plebem* appellat. Quem locum in familiari de his Montibus sermone suggessit Optimus, Piissimus, Nobilissimusque Præsul Gertrudanus IOSEPHVS GELDOLFVS RYCKELIVS, Vir promptæ eruditionis ac Suadæ, vera Theologi & Antistitis arma atque ornamenta familiaritate Litterarum exprimens. Quid attinet verò Varronem, Festum, Servium, alios adducere, qui variant? Montes sunt, septem sunt, & quia eminent, istis se nominibus magis receptis ostendunt: Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Viminalis, Esquilinus, Cælius, & Aventinus, Onufrio accuratè explicati in Antiquâ Vrbis Romæ Imagine. Breviter: Palatinus, à Palatio etiam Romulus dictus, in quo sedes Romuli, & posteà Augustorum. Pars Palatini Velia, & in hac domicilium Tulli Hostilii. Capitolinus, a Capitolio, anteà Saturnius, & Tarpejus, in quo sedes T. Tatii. Quirinalis, sive Mutialis & Latiaris, etiam ab agone Agonius, in quo sedes Numæ

mæ Pompilii: olim à Constantino Phidiæ & Praxitelis statuis ornatus. Viminalis, à viminiâ silvâ, ubi ara Iovi Viminio consecrata. Esquilinus, ab esquiliis, id est excubiis Regis, quemadmodum Varro scribit. Cælius, à Cælio Vibennio Tusco, aliquando Querquetulanus: à Tiberio Augustus appellari jussus, ut notat Suetonius. Aventinus, ab Aventino Rege Albano, anteà Murcius, à Murciæ Deæ sacello: etiam Collis Dianæ, secedentis aliquando plebis receptaculum. Atque hi montes Poëtis nunc montes, nunc colles, nunc scopuli, nunc juga, nunc culmina, nunc fastigia, sed constanti Palladis numero dicuntur: Virgilio etiam Arces, lib. VI.

——— Illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septémque una sibi muro circumdabit arces.

Atq; Martialis non simpliciter montes, sed montes dominos appellavit, lib. IV. Epigrammate LXIV. hortos Iulii Martialis laudans:

Iuli jugera pauca Martialis,
Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Ianiculi jugo recumbunt:
Lati collibus imminent recessus,
Et planus modico tumore vertex
Cælo perfruitur sereniore:
Et curvas nebulâ legente valles
Solus luce nitet peculiari.
Puris leniter admoventur astris
Celsæ culmina delicata villæ.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam.

Æstimare, inquam, Romam è Ianiculo, & ipso monte Vaticano licet, qui inter Septem numerari non solet, quia Tiberi secretus, & extra Vrbis gremium, Latiique fines collocatus. Sed quam, ô bone Lector, Romam? aliquando felicem & sanam, posteà, ut in hoc Volumine ostendi, miseram, & fœdâ vitiorum omnium scabie infectam: aliquando elatam montibus suis, & bellorum se velut ludo ac spectaculo oblectantem; posteà, conversâ fortunâ, in se collapsam, & ipsâ magnitudine obrutam. Sed cadere debuit, quæ ultra modum surrexerat, jam impotens sui, & in quoddam velut senium progressa; quia vires, id est virtutes defecerant; passa à Gothis, aliisque Barbaris, quicquid à Cimbris timuerat. Cadere debuit, ut feliciùs surgeret, & rursus Regina, septem montium juga unius fastigio submitteret. Expiata interim innocentissimo tot Martyrum cruore, novam Religionis majestatem induit, & cælo consecrata est, ut verè Sancta diceretur. Quid rudera Antiquitatis & vulnera, quid subversa fastigia affectum tuum crucient? novum Capitolium, novum Palatium, novam Arcem in Vaticano habemus. Quæ potentia Vrbis fuit, pietas facta est, nec potentia esse desiit, in sceptra ipsa ac diademata Religionis imperium exercens. Pontifices esse cœperunt, quod, constitutâ tandem magnitudine, Cæsares erant: Sacris, non armis rerum Arbitri, ut à bello ad pacem traductis mortalium animis, verè tandem Christianus, & sic felix terrarum Orbis esset; verè Principes ubique, & sub Principibus populi Deum colerent, Pontificem agnoscerent, Romam adhuc Dominam æstimarent.

ADDITAMENTUM

IN LAUDEM FLORI.

L. Annaei Flori ingenium, meum affectum, Lector, in his paucis vides. Sic totam ille Potentiam Romanam ſcribit: ſic totam ego illuſtrare cœperam. Scribit creſcentem, florentem, & ad ſummum maturitatis quendam gradum provectam: meum hoc ſtudium fuit, velut æmulatione excitatum, ut eandem, vitio ætatis cadentem, areſcentem, & quodammodò extinctam ſcriberem, & ſimul illuſtrarem. quod erat, Irruptiones Barbarorum, & Res præcipuè Inſubrum tradere. Dedi igitur Gothos, Hunnos, Longobardos, ne omnes nominem: quemadmodum ille Cimbros, Teutones, Tigurinos: Commentarios à me addidi. Quid attinet plura? ſtilo ſequi Florum conatus ſum: *Illum*, ut è publicâ Oratione meâ encomium repetam, *preſſum quidem, ſed tamen accuratum & virilem; qui paucis lineis res ingentes comprehendens, perfectam Hiſtoriam compendio quodam ſermonis, nullo diſpendio veritatis condidit. Planè ut ſpecula quædam minuta, ſed convexa totum hominem exiguo orbe repræſentant: ita hic Scriptor exiguo libro univerſam rem Romanam. Fecit enim quod ſolent, qui terrarum ſitus pingunt, & totam magnitudinis Romanæ imaginem amplexus eſt. Quicquid voluit, ſtilo expreſſit, & eo modo quo voluit, breviter, ornatè, ingenioſè; ut neſcias narrando doceat, an docendo narret, qui utrobique delectat. Sed Florum quid ultrà commendo, cùm nomen ipſum pro Encomio ſit? Florida ſcriptio eſt, floridum argumentum, uno verbo, Auctor ipſe Florus.* Nunc ut meum æſtimes, Lipsi judicium depromo, è lib. II. Electorum, cap. V. *L. Annæus Florus, Hiſpanâ origine, & niſi fallor, ex ipsâ Senecarum gente, Compendium non tam Livii, à quo ſæpe diſſentit, quàm Rerum Romanarum ſcripſit; ſi quid mei judicii eſt, compoſitè, diſertè, eleganter. Subtilitas quidem & brevitas in eo ſæpè mira, & ſententiarum quædam gemmulæ cum judicio inſertæ & veritate.*

HIST.

HISTORIÆ INSUBRICÆ COROLLARIUM, EX ANDREA ALCIATO.

Vt Historia hæc mea est, imò ut Commentarii hi mei sunt, quibus illustrare Historiam conatus sum; satis, ut opinor, Insubrum initia atq; incrementa explicata dedi. Suas initia difficultates, suas incrementa calamitates habuêre; veluti vicissitudine quâdam diei & noctis. Quicquid fuit noctis, Barbari infuderunt: quorum aliqui etiam ad cultum & humanitatem traducti sunt, tanquàm mitescere cœli clementiâ potuerint: sed dies, licet obfuscatus Irruptionum nube, dies tamen fuit, & viros virtutesq; exhibuit. Nunc sive Historiæ, sive Commentariis COROLLARIUM *addo, & Viri Insubris ingenio geminum hunc meum Posteritati laborem commendo. Viri Insubris, sed magni,* ANDREÆ ALCIATI, *cujus nomen apud omnes meritò magnum est; libri & scripta vicisse sæculum videntur. Vt Iurisconsultum ageret,* DE FORMULA ROMANI IMPERII *Librum composuit; sed Fragmentum (quacumque culpâ) reliquit, res imprimus Italiæ, brevissimè complexus. Legi in hoc Opere* ALCIATUM, *operæpretium duxi: partim quia confirmari videbam ea, quæ scripseram; partim quia velut signari, quæ in Commentariis paullo uberius tradideram. Boni consule, quisquis es; & simul cogita, Iurisconsultum maximum, non inconcinnum Historicum fuisse.*

DE FORMVLA ROM. IMPERII FRAGMENTVM.

CVM ab Augusto constitutam Imperii formam tradiderimus, operæpretium facturos nos arbitramur, si ea quoque recenseamus, quæ ad recentiorum Cæsarum jus & electionem pertinent. Nam & in hoc tractatu, tam varia ab ipsis Historicis, nedum à nostratibus Iurisperitis enarrantur; ut inde appareat, neglectâ rerum gestarum fide, unumquemque scripsisse, quod sibi comminisci libuerit. Nam qui hujus argumenti hactenus aliquid ediderunt Barbarè, auctores omnes à sapientiæ studiis alieni, & ambitione præcipites, & bonarum Litterarum ignari, meras nugas chartis illinire non dubitaverunt: ut his qui rerum gestarum notitiam ex fide tradi sibi cupiunt, nullam opem præstent; doctis verò & prudentibus, planè ridiculo sint. Nos quid ex idoneis auctoribus & probabilibus conjecturis perceperimus, in medium sumus adducturi.

Cùm sub Arcadio & Honorio non mediocrem in calamitatem, propter Gothorum arma, res Romanæ incidissent, moxque sub Valentiniano Iuniore, Hunnico furori, Attilæque Regi ferè succubuissent; non omnino tamen concidêre, donec Augustulus Imperator in Italiâ ultimus, ab Odoacre (quem, cùm Imperatoris armiger esset, exules aliæq; mercenariæ militum manus sibi Regem constituerunt) profligatus est. Sicque omnis Italia in ejus tyranni jus & potestatem concessit. Hujus audaciam ut ultum iret Zeno, qui tum Constantinopoli imperabat, Theodericum, Gothorum, & in superiori Thraciâ Regem, Patricium creavit; Consularibusque ornamentis, & multis prætereà muneribus donatum, ita persuasum ab se dimisit, ut quamprimùm cum conjugibus & liberis in Italiam sedes se translaturum reciperet: quod & brevi præstitit. Sic Gothorum Regnum, ceu Imperatoris auctori

tate

tate confirmatum, legitimum plerisque, bonoque cum jure visum fuit. Theoderici liberis extinctis, cùm primùm Vitiges, postremus Tejas successisset, armis Iustiniani uterque victus, ille à Belisario, hic à Narsete, finisque eorum ditionis hic fuit: perseveravitque in Imperio Græcus usque ad Longobardorum in Italiam adventum. Hi Suevis oriundi, cùm aliquandiu Pannoniam tenuissent, Alboino duce, armis virisque in Italiam, primùm bellicis calamitatibus afflictam, dein sævitiâ pestis ferè exhaustam, cùm nemo esset qui eis resistere auderet, pervenerunt: Græcumque Cæsarem præfecturæ Ravennatis, maritimæque oræ finibus incluserunt. Nec ille quievit; sed fœdere quandoque cum Francis, qui Galliam tenebant, quandoque cum Venetis percusso, Italoque milite adjutus, duces Longobardorum sæpenumero vexavit. Verùm enimverò majores eorum vires erant, quàm ut ab Exarcho, qui nomine Imperatoris Ravennæ subsidebat, submoveri possent: servabantq; id decoris fata Carolo Magno, qui ultimum Longobardorum Desiderium, diutius intra Ticinum obsessum, tandem expugnavit, armisque Græcum Imperatorem, Ravennateque præfecturâ ejecit: & eorum quæ bello ceperat, maximam partem Hadriano ejus nominis primo Rom. Pontifici largitus est. Quâ autem impulsus caussâ Pontifex, in id belli Carolum traxerit, non unam fuisse arbitror. Vulgò traditur, à Longobardis malè habitum, & contra tantæ majestatis reverentiam armis petitum, Cæsaris opes implorasse: & cùm justissimas preces negligi, planeque contemptui haberi deprehendisset, à Francis, quorum arma longè lateque tum in Europâ pollebant, auxilium implorasse. Ipse & eâ ratione adductum crediderim, quòd Græcam fidem suspectam haberet. Nec enim Exarchi unquam cessàbant, quin novas quotidie fallacias excogitarent; ut summum Sacerdotem captum Constantinopolim perducerent: cessissetque haud dubiè ea fraus Paulo Patricio, aut Eütychio, nisi Populi Romani in Antistite n suum pietas & cura, eorum dolis obviàm issent. Accedebat his, quòd Cæsares ipsi manifestæ impietatis rei, cum Orthodoxis non sentiebant, divorumque imagines de templis omnibus abradi jusserant. Igitur Carolus, Magni hac expeditione apud omnes nationes nomine acquisito, nulli non formidabilis, cùm arma per Germaniam omnem, Pannoniasque circumtulisset, & non Italiam solùm, sed & Illyrici aliquas Regiones Græco eripuisset, & justum aliquem titulum adepto Imperio prætendere posset, Cæsarem se & Rom. Imperatorem à Pontifice Populoque Rom. designari procuravit. Fecit id lubens, qui tunc in Augustissimâ rerum divinarum potestate erat, Leo III. Is indignum ratus, Constantini matrem Irenen in Græciâ imperare, eoque rerum humanarum summam dignitatem pervenisse, ut mulieris nutu gereretur: Carolum, Augustum à Populo Romano appellatum, infulis, cæterisque supremæ Majestatis insignibus exornavit, & inter Sacra inunxit. Ab eoque tempore existimatione hominum receptum est, Imperii Romani jus & arbitrium penes Apostolicam Sedem esse: quę ab omnibus concepta opinio, summis quoque rationibus nititur. Nam ut suprà à nobis traditum est, suprema rerum potestas, jusque Imperii omne ad populum pertinuit, summaq; ejus fuit auctoritas: cui etiam dicta-

dictatorem subjici, exemplo L. Papirii, apud T. Livium libro VIII. constat. Sic Augustus tum demum supremam majestatem consecutus est, cùm in eum à Populo Romano jus omne translatum est. Sic & Maximinus à populi Romani exercitu Augustus dictus est: idemque in Alexandro, Diocletiano, Ioviano, plurimisque observatum fuisse, in confesso est. Nam & Constantinopoli, usque ad Constantinum Palæologum, qui ultimus Christianorum in Oriente regnavit, semper Imperatoris appellandi jus penes exercitum populumque fuit. Sic & Leoni, qui Constantinopoli dominabatur, dudum iratus populus Romanus de novo Imperatore in Italiâ creando consilia agitare cœperat; nisi Gregorii II. Pontificis precibus tribuisset, ut in officio persisteret. Cæterorum ergò exemplo Carolum populus Augustum acclamavit, Pontifexque inunxit: idque accepto de Iudæorum historiâ more, apud quos constat inungi à Pontifice Reges consuevisse. Carolo Ludovicus filius successit, cui cognomen Pius: hic Lothario filio per manus Augustum nomen tradidit. Lotharius Ludovico II. qui Mediolani monumentum habet. Huic, cùm sine liberis masculis decessisset, Carolus Calvus Patruus suffectus est. & licèt Imperatorium nomen hi à Populo Romano acceperint, non tamen Italiæ Regnum ipsi administraverunt: sed his filiis tradiderunt, ad quos proxima Imperii spes pertineret. Quapropter Magnus ipse Pipinum filium, & eo defuncto, Bernardum, ex Pipino nepotem, Regem Italiæ designavit: quo exemplo & Pius Lothario primùm, deinde nepoti Ludovico Italiæ sceptra concessit. Id quod & carmine expressum est, quodq; in ejus monumento legitur:

Hic cubat æterni Ludovicus Cæsar honoris,
Æquiparet cujus nulla Thalia decus.
Nam ne prima dies Regno solioque vacaret,
Hesperia genito sceptra reliquit avus.
Quam sic pacifico, sic forti pectore rexit,
Ut puerum brevitas vinceret, acta senem.

Instituit Pipinus, ut Italiæ Regia Mediolanum esset, quòd ea urbs Galliæ Transpadanæ Princeps, & ut Græci dicunt, Metropolis semper fuit: quodque velut specula & arx totius Italiæ, Galliæ, & Germaniæ haberetur, mirum in modum sibi horum Regnorum propinquitate accommoda. Ad hæc Proceres gentis, Regum imperio assueti, ferre non potuissent, ut aliunde quàm in patriâ suâ, jura peterent. Pipini institutum & cæteri longo ordine secuti sunt. Nam & Bernardus non solùm Rex Italiæ, ibi salutari, coronaque insigniri voluit, sed & sepeliri. Extat in Ambrosiano templo ejus monumentum, quo tanquam civilitate mirabilis laudatur. Post Calvi mortem, in Italiâ extinctum est Francorum Regnum: quoniam diffidentibus inter se Ludovico Balbo, Calvi filio, & ejus Patruelibus civili discordiâ, Francorum arma mutuis odiis conciderunt: & licèt Imperatoris titulo Balbus Carolusque Crassus ornati; Regni tamen Italiæ potentes non fuerunt. Tulerant ægrè Itali Proceres, quòd icto inter se Franci Reges fœdere cavissent, ut de Imperio extra terram Italiam dimicare fas non esset: triste id miserumque existimantes, belli alieni mala Italiam pati, cùm eorum regiones, qui caussam discordiis dabant, omnis calamitatis essent immunes. Igitur advenisse tempus

rati,

rati, quo peregrinum omne nomen exigerent, Berengarium ab Iulii foro accitum, antiquâ nobilitate & Ducis titulo insignem virum, Italiæ Regem Mediolani salutant. Eum Archiepiscopus more majorum inunxit: non tamen ideò minùs Transalpinis armis obnoxia ea Regio fuit. Nam plerique recentem Berengarii felicitatem æquo animo non ferentes, hostes illi undique acceriiverunt: quorum primus Spoleti Princeps Vido, Francorum Regum affinitate subnexus, eorumque subsidio fidens, descivit. Sed is Arnulfi Germanorum Regis armis haud sanè difficulter concidit, quem in Italiam Berengarius magno stipendio evocaverat. Sunt qui pronepotem hunc Pii fuisse tradant, sed nothum. Cæterùm quisquis fuit, sive ex Carolorum stirpe (ut fere receptius est) sive aliunde genitus. Imperatoriâ infulâ à Formoso Pontifice insignitus, in Germaniam continuò abiit: pediculari que paullò pòst morbo consumptus est, & magno timore, non satis ei fidentem Berengarium liberavit. Vix alium reperias, in quem toties fortuna insenit. Quapropter cùm plerumque Regno ejectus, plerumq; restitutus sit, in caussâ rerum Scriptoribus fuit, ut non eundem esse, sed plures Berengarios crediderint. Nam & Lamberti Vidonis filii armis, haud ita paullò pòst petitus est: quo defuncto. Sequanorum, Heduorum, Lingonumq; Rex Ludovicus in Italiam accersitus, atrox illi bellum intulit. Sed tandem captus, & fide sub jurisjurandi religione datâ, se amplius non reversurum, absque alia conditione dimissus est. cumq; reparato exercitu fœdifragus Rex iterum Berengario arma intulisset, Veronæ captus, & luminibus privatus est. Pertinuit & hic Ludovicus ad Carolorum stemma. Nam Bosone Comite & Ermengardâ Ludovici Secundi filiâ natum fuisse, apud quosdam comperio. Sunt qui hunc Bosonem à Calvo Papiæ Ducem factum fuisse scribant. Sustinuit & Hungarorum Berengarius aliquandiu impetum: sed tandem prœlio ab eis victus, pacem & fœdus pecuniâ impetravit. Vnde rebus compositis, superbia elatus in Lamberti Mediolanensis Archiepiscopi odium incidit: à quo Rodulfus eorum Germanorum quos Burgundiones vocant, quique in Galliâ Lugdunensi sedes posuerunt, Rex accitus, in Italiam descendit; Berengariumque senem, omnibus oppidis amissis, intra Veronam compulit. Quâ in urbe cùm aliquandiu fuisset obsessus, Flamberti cujusdam militis sui perfidiâ cæsus est, vacuamque hosti aulam reliquit. Quo tempore reversi Hungari, omnia cædibus & rapinis fœdavêre, Ticinumque incendio delevêre. Quapropter idem Lambertus Rodulfi ignaviam pertæsus, cùm imparem hostium armis eum videret, factâ Procerum conspiratione, Hugonem provinciæ Narbonensis Arelatensisque Comitem ad Regnum capessendum accersit; Burcardum Suevorum Ducem, Rodulfi socerum, Novariâ egressum, per insidias interficit. Sic non magno negotio Hugone adventante, exactus Italiâ est Burgundus. At novus Rex Imperii gratiâ nihil omittere, quod ad conciliandos Procerum animos pertineret: munificentiâ in omnes uti, diligentissimè jus reddere, pacem cum hostibus, fœdera cum exteris percutere. Adhæc, ut urbe Româ potiretur, Marociam scortum impudens, in uxorem ducit. Arnoldum Bavarorum Carentanorumque Ducem prœlio superat, cum Rodulfo depositis ini-

micitiis se conjungit, & pecuniâ transigit. Lamberto defuncto, Hildevinum consanguineum suum Mediolani Antistitem designat: & quò perpetuum Regni jus in suos transmitteret, pravasque aliorum spes cohiberet, Lotharium filium in summæ potestatis consortium admittit. Ita fore existimavit, ut rerum novarum consilia non inirentur, si vivens ipse successorem sibi constitueret. Sed cassa & irrita hæc omnia fuêre. Albericus ejus ex Marociâ privignus in potestatem Romam redigit: fratrem suum Ioannem, ejus nominis Decimum, Pontificem salutat. Berengarius, Berengarii Primi ex Giselâ filiâ, quam Adelberto Eporediensi in matrimonium ille tradiderat, nepos, cum Arderico, qui in demortui Hilduini locum successerat, aliisque Proceribus clàm consilia sociat, & citra aliquod prœlium Hugonem Regno deturbat: sic undique alia super aliam calamitate Hugo affectus, in Galliam redire decreverat: quod veritus Berengarius, ne ingentes quos undique coëgerat thesauros asportaret, cum eo convenit, & Lothario Regni possessionem permissurum se spondet. Tradunt qui ejus temporis res gestas memoriæ commendaverunt, in Ambrosii fano pro venerabili Crucis vexillo prostratum Lotharium, à Regni Proceribus erectum, Regemque salutatum fuisse. Erat autem quamplurimis ingratus, molestusque Hugo, quòd superbè nimis & avarè Romanis imperasse existimaretur; quòd cum Saracenis, Orthodoxæ fidei hostibus, ad Fraxinetum fœdus percussisset; quòd duorum fratrum, alterum Lambertum oculorum usu privasset, alterum Bosonem in custodiâ haberet. Ad hæc, uti ventri & libidini deditus, inter scorta dies noctesque agebat, quibus nomina Iunonis, Veneris, & Semeles fecerat. Cùm itaque contemptui se odioque civibus esse intelligeret, omnem invidiam popularemque iram evitari posse existimavit, quietioresque sibi res futuras, si filio Lothario Regium nomen permisisset, pollicebatur. Sed cùm Berengarius ipse omnis Imperii potens esset, inanemque Lothario titulum faceret: abiit Hugo in Galliam, & haud multò pòst fato extinctus est. Nec diutius superstes Patri fuit Lotharius: sed & ipse, cùm alterum annum vix regnasset, suum diem obiit. Sic omnis rerum moles in Berengarium, ejusque filium Adelbertum, quem ex Iuliâ (*hanc VVillam alii dicunt*) Bosonis filiâ susceperat, translata est: floruissentque eorum res diutius, nisi Valpertus summus Mediolanensis Ecclesiæ Sacerdos, apertas cum eis inimicitias gessisset. Dejecerant eum opulento Sacerdotio, Manassemque Arelatensem prima auctoritate, quòd ipsis adversus Hugonem præstò fuisset, sacræ Sedi præfecerant. Is igitur in Germaniam superatis Alpibus contendit; secumq; Valdonem Comensium Præsulem, Obbertumque Marchionem, Pontificiæ Legationis titulo illustrem, adduxit; Othonemque auctore Ioanne Pontifice impulit, ut in Italiam adversus Berengarium descenderet. Tribuit hoc Otho libentissimo animo Pontificum precibus, & ingenti comparato exercitu, Berengarium bello superavit: Romamque profectus, à Ioanne Augustus & Imperator inauguratus est, fidemque ab ipso Pontifice, Primatibusque Romanis accepit, ullam in reliquum Berengario Adelbertoque opem minimè laturos. Sed omnes ejus jurisjurandi

jurandi religionem non muliò pòst illi violârunt, necessitatemque Othoni fecerunt, iterum à Saxonibus in Italiam revertendi: quam ejus expeditionem summa felicitas est consecuta. Citra enim ullum periculum victor & triumphator, in ordinem hostes redegit: sicque ab eo ad nostra tempora Imperii jura in Germanis perseverârunt. Scribit Luitprandus Ticinus, ut tum tempora ferebant, inelegans quidem, sed multæ fidei auctor, tantam brevi tempore rerum mutationem factam, toties ejectos Reges fuisse, hoc ipsius Italiæ Proceribus semper agentibus; qui plures Principes accersebant, ut alterum alterius metu coërcerent. Vetustissimum fatum esse Cornelius Tacitus scribit. Non esse curæ Deis securitatem nostram, esse ultionem: quò fit, ut acciti Principes, etiamsi primùm boni sanctique videantur, tamen aëris clementiâ, regionis ubertate, divitiarum copiâ, mulierum pulchritudine, adulatorum ingeniis corrupti degenerent: meritoque tyrannide oppressi cives, aliena arma despiciant, nec inultum Principum in se scelus ullo modo patiantur. Prudenter admonuit L. Pisonem Galba Imperator, non esse Italorum, ut cæterarum gentium quæ regnant, servilia ingenia; sed homines esse, qui nec totam libertatem ferre possint, nec totam servitutem. Sunt qui sub hoc Othone Augustale culmen ad Germanos primùm fuisse translatum arbitrentur: sed hi videntur nobis non omninò rectè sentire. Francos priùs Salios appellatos fuisse, Ammianus Marcellinus auctor est: quod & eorum leges ostendunt, quæ Salicæ etiam nunc appellantur. Hos constituit Ptolemæus in Sarmatiâ, Thyrsis, Agathyrsis, & Alanis vicinos, quos ultra Ryphæi sint montes, unde Tanais oritur. Antonius Monachus duplicem Francorum originem refert: aliam vulgatam, à Trojâ ortos, duce Francione Mæotidem versus venisse: & in Valentiniani Imperatoris gratiam Alanos, Cæsari pactum vectigal denegantes, armis vicisse. Aliam non ita tritam iisdem locis nationem fuisse unam, quæ duos Reges elegerit, Turceolum & Francionem: unde à ducibus partim Turci dicti, partim Franci. Pomponius Mela Turcos & ipse eo in terrarum tractu videtur collocare: unde & primum ortos Hungaros constat; quos Luitprandus Turcorum gentem esse, non uno in loco prodidit. Quapropter opinari libet, eorum originem à Saliis Sarmatis esse: qui vel iidem, vel (quod verius arbitror) proximi Turcis fuerunt. Et quoniam plerique eosdem Turcos & Teucros crediderunt, inde errorem exortum, ut Trojanos existimarent, qui non à Teucris, sed a Saliis oriundi essent. Igitur Salii longo antè tempore, quàm sedes Turci in Asiam transferrent, ipsi Patriis regionibus egressi, ex Sauromatis in Germaniam venerunt: diuque cum Germanis pugnantes, & plurima oppida ceperunt, & validissimas eorum gentes partim armis, partim fœdere sibi sociaverunt, ut Arthuarios & Thuringos: tandemque factum est, ut quicunque Germani Imperium Romanum detrectarent, illis se adjungerent; Francosque se, id est eorum sermone, liberos appellarent. Horum opes, oppressâ à Gothis Italiâ, adeò creverunt, ut trajecto Rheno, veterem Galliam occupaverint, sedesque in eâ fixerint. Eorumque nomine bona quoque Germaniæ pars Francia dicta est. Sed hujusmodi nomenclaturæ distinctio addita fuit,

ut illa Orientalis: quæ verò Gallica est, Occidentalis, vel Francia Romana diceretur. quâ ratione & Germani se Francos plerumque dixerunt, Gallos verò Francigenas: quin & hodie vulgarem linguam suam Galli Romanam vulgò vocant, quòd videlicet, quæ Germanorum erat, antiquam missam fecerint.

Sed ad rem revertendum. Post Othonem, ejusdem nominis filius, & nepos, rerum potiti sunt. Ex his nepos, qui Otho Tertius dictus est, commentitio jure, propriaque auctoritate Gregorium Quinctum, origine Saxonem, Pontificem creavit: quam rem indignè ferentes Romani, Crescentio duce, quem Consulatûs honore insigniverant, Gregorium ceu adulterinum ejiciunt; Ioannem Placentinum ad Apostolicæ dignitatis culmen extollunt. Erat is doctrinâ, divitiisq; perquàm illustris. Accurrit confestim è Germaniâ Otho, & Gregorium restituit. Crescentium, & Iohannem, fide datâ impunes eos se dimissurum, de Hadriani arce elicit: & alterum vitâ, alterum oculorum usu privat: Rebusque hoc facinore pacatis, in Patriam revertitur. Gregorius, sive ut Romanos ulcisceretur, sive Patriæ suæ plurimum tribuere volens, legem de Imperatorum comitiis tulit: ne jus eligendi penes Populum Romanum in posterum esset: sed vice populi, septem Germaniæ Proceres fungerentur: ex quibus tres initiati, Moguntinus, Treverensis, & Agrippinensis, Antistites: quatuor Principes, Brandeburgensis Marchio, Palatinus Rheni Comes, Saxoniæ Dux, & hisce dissidentibus, Bohemiæ Rex. Hi inter se munera sic partiti sunt, ut Antistites Scribarum officium susciperent: unusque Germaniæ, alter Galliæ tertius Italicarum rerum à Secretis diceretur: clypeum Palatinus, Saxo ensem ferret; at Marchio Quæstor, Bohemus Prægustator in convivio esset. Tulerunt hanc constitutionem iniquo animo Galli, quibus adempta spes omnis summi apicis quandoque potiundi videbatur: sed omnium iniquissimè Itali. Et quoniam ob interregnum res Francica ad Duces devoluta erat, civilibus inter se discordiis acti Galli, non potuerunt quicquam subsidii Italis ferre: sed nec Romani multum in eâ re valuerunt, annitentibus semper pro Germano Pontificibus: quòd eorum haud dubiè intererat, non ita fieri. Quoniam Germani Principes pecuniæ inopes, & ab Italiâ longiùs submoti, solo titulo Roman. Reges futuri essent: cùm interim Pontifices ipsi rerum mancipio, nedum usu fruerentur. Idque ab eis consultò factum esse, illud etiam argumento est, quòd & Mediolani, & Romæ, cum primùm solenni inauguratos die coronâ decorarent, plerique Cæsarum jurejurando adacti sunt, se accepto diademate Italiâ continuò excessuros. His igitur caussis factum est, ut constitutio illa hactenus inoleverit, & * quia quingentos propemodum annos usu observationeq; probaretur. Othone è rebus humanis sublato, Gregorianâ lege Henricus ex Gubellineo oppido Noricus, suffectus est: sed eam constitutionem nihili facientes Transpadani, Ardoinum Eporediensem Marchionem Regem Italiæ creant. Sunt qui convocatis urbium finitimarum Principibus, atque Sacerdotum Primoribus, Imperatorem quoq; salutatum scribant. Is advenienti Henrico obviàm factus, ex itinere prœlium conseruit, & egregiè hostem vicit. Repulsus Henricus, fœdere cum Euritperto Mediolanensi Archiepi-

chiepi-

chiepiscopo icto, reparatoque exercitu reversus, Ardoinum acie superat: & more majorum coronatus, in Germaniam, unde venerat, regressus est. Henricum secutus est Conradus, qui Suevi fuit sanguinis. Adversus hunc, ne Rex Italiæ salutaretur, Transpadani quoque conjurant. Cùm ergò Mediolanum veniret, urbis ingressu prohibitus est. Cumq; eam urbem frustrà aliquandiu obsedisset, tandem conclamatis repentè vasis recessit, sive miraculo territus (ut quidam Annales habent) sive ipse ita videri voluit, quo dedecus suum obtegeret. Accepit is Modoëtiæ (Moguntiam veteres dixerunt, agri Mediolanensis ad decimum lapidem oppidum) Imperatoria insignia; parum referre existimans, ubi coronam redimeret, dum in Mediolanensibus hoc fieret. Cujus exemplo & alii quidam ex Cæsaribus urbe armis exclusi, Moguntiæ se coronari voluerunt. Fuêre & qui cùm ulteriùs pregredi non possent, Alexandriæ, quæ Statiliensium Ligurum civitas est, Insulam susceperunt. Sed Mediolanenses has coronas contemptùs causâ paleas vocant, prisco loquendi more, quo vilis res & nihili palea dicitur. Ex quo & Aristophanes inquilinos Atticos paleam civium in antiquâ Comœdiâ appellavit. Sanè de triplici hac Imperatoriâ coronâ, non una est apud Scriptores opinio: sed quæ à nobis superiùs, ex Historiâ satis indicantur. Primam, quæ in Agrippinensibus, apud oppidum quod Grani aquas vocant, accipitur, ad Germanorum Regni jus pertinere: quæ verò Mediolani, ex Pipini instituto sumitur, moderatæ Italiæ argumentum esse: at quæ Romæ à Pontifice tribuitur, eam supremam rerum humanarum dignitatem, Imperatoriumq; culmen indicare. Quæ Mediolani datur, ferrea esse consuevit: quoniam Romanum Regnum ferri figura, ut apud Mysticum illum vatem Danielem præmonstratum est, ostenditur, * quia inde armis rem Italicam ad supremum culmen, quod aureum diadema significat, pervenisse. Aquisgrani ab Vbiorum Præsule argentea sumitur: ut inde sciant, Regnum Germanorum inferius Augustali dignitate esse. Nam & Agathias scribit, proprium Imperatoris Romani fuisse, ut ejus iconica effigies nummo aureo imprimatur: cùm cæteri Reges tempestate suâ argenteo in numismate solùm id auderent. Ex formulâ igitur Gregorii proditum est, septem necessariò adhibenda esse, ut justus Imperator quis dicatur: quorum primum, electio ipsa: sequens, ut Pontifex Romanus eâ de re certior fiat: tertium, ut is de vitâ moribusque electi anquirat, censoremque se eâ in re præstet: tum ut promovendum in Imperio pronunciet: ad hæc, ut inungatur ab Archiepiscopis oportet, sicque Sacrosanctus fiat: postremum est, ut coronetur. Cujus rei modus is hactenus observatus traditur. Ante aram Pontificiis vestibus indutus Archiepiscopus, petentem se coronari Romanorum Regem Sacro oleo dextro in humero perlinit, in medio dextræ manùs digito annulum mox collocat, tumque ensem nudum tradit, deinde capiti coronam, dextræque Sceptrum imponit: hæcque omnia rectè atque ordine fieri, publicis documentis testatum esse jubet. Sceptri fastigio malum aureum, quo Asiæ, Africæ, Europæque brevis descriptio inest, præfigi consuevit. Supra pomum crux solido ex auro inseritur. Mediolani quandoque observatum accepi, ut his peractis, qui ex Angle-

riæ comitibus natu major, dignitateque illustrior esset, pedem dextrum; qui ex Cottarum familiâ, sinistrum osculo libaret: Imperatoremque uterque humeris sublatum in Prætorium ferret. Sanè dubium non est, Cottarum ex genere summum Mediolanensium Sacerdotem fuisse Ardericum, à quo Regis insignia Berengarius II. suscepit: utque is honos ei familiæ tum haberi cœptus. Vnde tantus vir natus fuerit, qui pietate, religione, morumque sanctitate præcipuâ, miraculis clarescat, febresq; potissimùm mortalium * malum noti damnetis ægrotantibus etiamnum præsenti ope abigat. Nam quod Angleriæ Comites attinet, quorum originem à Desiderio Rege Merula, & Phædrus, aliique recentiores deducunt, ipse quæ de eis dicuntur, majore ex parte fabulosa, & in eorum qui tunc potiebantur rerum, gratiam dicta ferè existimo. Desiderium Leodii in Eburonibus, ejusque unicum filium Adalgisum in Græciâ fato extinctum, omnes tradunt: ut non parum mirer, quid in mentem Merulæ, Phædroque, eloquentibus alioquin & hominum memoriâ dignis Scriptoribus, venerit, ut neglectâ veritate, infantissimorum hominum, ineptissimorumque scripta sequi maluerint, quàm ex eorum auctoritate res gestas posteris tradere, qui de temporibus suis ante Vicecomites scripserunt. Hi nullam penitus hujusmodi Comitum mentionem faciunt, Vicecomitum frequenter, quòd tum ea quoque familia summæ inter Insubres dignitatis esset: sed quæ tamen cum hisce Comitibus nihil unquam commune habuerit. Angleriam scimus omnes ad Verbanum lacum, Mediolanensis agri oppidum esse, cujus antiquitas multis Romanorum monumentis adhuc potest ostendi. Extant in eo statuæ, sepulchra, templa egregiè laborata, marmora, quibus veterum manus facillimè agnoscitur. Et ex quadam vetustatis inscriptione annotari potest, in eâ quinas judicum decurias jus reddidisse: Alpinarum puto gentium præfecturâ. Mercurium summo in honore habuerunt, non tam quòd mercimoniis, hortisque, quàm quòd aquis quoq; portuum custos is Deus præsideat. Post Gothorum & Longobardorum extincta Regna, præfuisse illis Comitum vice aliquos verisimile est: quoniam & Mediolani, & in cæteris urbibus Comites publicam rem administrabant. Meminit Mangifredi Luitprandus, qui hoc titulo rem Mediolanensium procurârit. Cujus filius Hugo, Lantpertum Berengarii hostem in venatione querceo stipite occiderit: unde & Malaspina vulgari voce est dictus. Anastasium quendam ei oppido dominatum fuisse, ex veteris monumenti titulo, cùm illuc me contulissem, deprehendi. An igitur ab his Angleriæ Præfectis, qui Vicecomitum Mediolanensium jus ibi redderent, originem traxerint Vicecomites, nobis incertum est: tametsi non multum id à veritate abhorrere videri possit; quòd hujus gentilis stemmatis tribules maximâ ex parte eam regionem inhabitent, & complurium pagorum circumcirca incolæ omnes Vicecomitum nomine æternùm censeantur. Post Conradum Cæsarem, tres Henrici continuâ serie Imperatores designati sunt: qui licet Romam contenderint, & Augustalem coronam assumpserint, Mediolani tamen (quod equidem sciam) id decoris non acceperunt. Ego juniorem Henricum armis Rodulfi in Germaniâ, & Mathildis in Transpadanis prohibitum,

tum, non potuisse Regni Italiæ sceptrum consequi, apud aliquos auctores legi. His successit Lotharius Saxonum Dux, & Guelphorum ab Altodorphio (oppidi in Bavaris nomen est) familiâ. Is Henricorum ex professo hostis, quos Gibellino oriundos suprà diximus, magnis seditionibus omnem Germaniam turbavit. Quapropter Henrici Imperatoris defuncti sorore genitus Conradus, Honorio Romano Pontifice favente, ejus nominis Secundum se Imperatorem dixit: & ad Insubres properans, ab Anselmo Pusterlensi, qui tum rei sacræ moderabatur, Regni coronam Moguntiæ suscepit. Formidolosum opinor Pręsuli fuit, intra urbem eum tantâ cum mercenariorum Barbarorumque militum colluvie recipere. Sed Italis armis & is multùm deinde vexatus, ferè omni exercitu amisso, summo cum periculo in Patriam revertitur. Subsecutus est & Lotharius, atque per Rhætica Romam concessit. Scribit Otho Frisingensis Antistes, qui & Ænobarbi Patruus fuit, sive copiarum paucitate, sive Conradi amore, contemptui Italorum populis fuisse: sed devicto Conrado, & in comitatum accito, reversum, magnas deinde in Cisalpinâ Galliâ res gessisse. Ab his perniciosa factionum nomina Guelphorum Gibellinorumque in Italiam primùm pervenisse, & ex ejus lectione manifestum est, & auctores quos sequor tradiderunt. Cùm enim ob duas hasce familias convulsa, seditionibusque domesticis agitata fuisset Germania, quò eas aliquando extinguerent, decreverunt Regni Principes (aderant & plerique ex Italiâ) ut Fredericus Suevus Conrado defuncto sufficeretur: non tam quòd ex fratre illi nepos esset, quàm quòd matre Guelphâ natus, utriusque factionis Principes sanguine contingebat. Sicque futurum erat, ut omnis discordiarum memoria sopiretur, vel potiùs exolesceret. Potuerunt Germani rebus suis, pacisque studiis hac electione consulere: Italorum certè animos, semel eorum contagione coinquinatos, acriùs & pertinaciùs incensos fuisse constat. Nam exorta mox inter Imperatorem, Alexandrumque III. Pontificem contentione, adhæc, quamplurimis urbibus Frederici jugum detrectantibus, atrocissimè, siquando aliàs, ad arma proruperunt; & qui pro Pontifice erant, Guelphos se dixerunt, quòd patrui exemplo Ænobarbus ipse ad Gibellinos attinere magis videretur: manseruntque harum discordiarum nomina in nostram diem. Et hi quoque qui nihil cum hisce seditionibus commune habebant, in hujusmodi tamen pertinaces animorum habitus concessêre: dubium, cùm naturaliter evenire soleat, ut dissentiant inter se cives, an maluerint vetustum id nomen semper durare, quàm aliud novum tam fœdo pertinaciæ malo dare: an quia Principes, qui interim urbibus moderabantur, nequaquam extingui odiorum hæc seminaria passi sunt, quòd alterius partis auxilio alteram coërcerent. Nihil enim est quod magis tyranni abominentur, quàm civium concordiam atque consensum. Meritò igitur ridiculi sunt, qui Germanis hisce appellationibus Hebræam adducunt originem; ut à fortitudine Gibellini, à fidei zelo Guelphi dicti sint. Ergò Fredericus non maximo solùm Germanorum exercitu, sed etiam vicinorum populorum ope adjutus, Mediolanum copias adducit, & cives obsidione aliquamdiu premit: demum sex argenti millibus librarum acceptis, pacem civibus

dat, liberosque certis conditionibus esse finit. Deinde Regni Italici coronam accipit Moguntiæ, ibique celebritatem peractam fuisse auctores prodiderunt. Erat Fredericus immiti superboque ingenio: jus & æquum ex commodo metiri, omnia dignitati suæ tribuere, adulatoribus (quod hominum genus solet unicum in Regum consilio esse) plurimum concedere: humanas res omnes, suo in arbitrio positas prædicare: neminem sibi parem, nedum majorem esse: ad hæc, à bonis Litteris (quod malum ubique gentium eâ tempestate inoleverat) maximè abhorrebat. Cum Pontifice Hadriano, à quo coronâ sceptroque honestatus Romæ fuerat, simultates gessit: ejus verbo irritatus, quo non coronam solùm, sed etiam majora, si fieri posset, beneficia libentissimè in eum se collaturum, Pontifex dixerat: interpretabaturque vulgari sermone, beneficium id esse, quod feudum Barbari appellant: quasi clientem Imperatorem, se patronum nuncupasset. Ea fuit in Frederico, ejusque comitatu doctrina: ea caussa, cur à summo Antistite secessionem faceret, bellicisque calamitatibus omnem Italiam tot per annos affligeret. Morum superbiam & durum ingenium, quamplurimæ ab ipso urbes, oppidaque, contra fas & jus diruta, manifesto documento arguebant: cujus rei Asta, Dertona, Cherium, Laumelum, Spoletum, lacrymabili exemplo omnibus erant. Igitur Mediolanenses, cùm & adversus pacem initam, violare eorum libertatem conaretur, hominis arrogantiam & mores perosi, Hadrianoque suadente, rursus arma corripiunt, bellumque renovant: quod septem annis gestum, excidio urbi fuit. Habuisse quandoque in castris dicitur ad centum millia hominum: nec ideò fida pax secuta. Mediolanenses auxilio sociorum freti, urbem instaurant, advenientem Cæsarem, prope Geminianum vicum fundunt, fugantque. Quâ clade territus, pacem Transpadanis dedit, fœdusque cum eis percussit. Id Constantiæ, quæ ad Brigantium lacum in Germaniâ (olim Gannodunum urbs fuit) nomen sumpsit, & inter cæteras Imperatoris constitutiones, ob æternam memoriam relatum, etiamnum legitur. Eo disertè cautum est, incolumi civibus libertate, regabatque jura, si quæ priùs possidebant concedi: qualia sunt, vectigalia, portoria, jurisdictiones, palatia, mulctæ, pœnæ; flumina publica, salinæ, bona vacantia, jus signandi nummum, jus judiciorum, jus armorum fabricandorum, idque genus similia, quæ à Cæsaribus ipsis in supremæ potestatis argumentum solent recipi. De cæteris, quæ more usuque ad civitates non pertinerent, idem juris esse: dum tamen argentei besses (marcas Germani vocant) bis mille penderentur. Ipsi verò Ænobarbo, ejusque filio Henrico v. hoc nominatim tributum, ut designati à Romano Populo Consules, eorum auctoritate (quod citra Antistitum fraudem esset) confirmarentur: ut provocationum caussas, is quem Proregem ipse in Italis appellasset, Legatúmve suum constituisset, cognosceret: ut cives à decimosexto ad septuagesimum annum, se comiter Imperatoriam majestatem observaturos, in ejusq; fide futuros, tactis sacris jurarent: ut quoties in Italiam ipse veniret, coronarium munus præstaretur: Fodrum id Germanicâ voce appellant. Ea collatio certam summam non habebat, sed decurionum arbitratu ex præsenti facultate, Cæsareique

reique exercitûs necessitate constituebatur. Henrico Sexto, Ludovicoque Bavaro Imperatoribus, qui ultimi ante dies creatos coronam Mediolani susceperunt, ad quinquaginta aureorum (quos florenos vocant) millia præstita fuêre. Quid verò Ænobarbo ipsi tunc sit donatum, quod equidem sciam, ab auctoribus traditum non est. Et id quidem juris est, quod in Liguribus, Insubribus, Galliaq; omni Cisalpinâ, eo fœdere ad Imperatores spectaret. Non enim summâ hic potestate uti, sicut in cæteras quæ regnantur gentes, permissum est: hocque differunt ab Imperatoribus Reges, quòd illi supremum jus in cives exequuntur: Imperatores liberis civitatibus non nisi justo moderamine præsident. Quo exemplo in Germaniâ fœderatæ Vrbes, quas eâ ex caussâ Francas vocant, æternùm reguntur. Hæ, ut Augustalem libentibus animis agnoscunt, excipiuntque: ita se tributis atteri, Magistratibus arrodi, comminationibus concuti, minimè patiuntur. Principi subsunt, ut honesta imperanti pareant, non ut avarè crudeliterque agenti serviant. Nam & veteres Romani Imperatores, cum populis suis non nisi jure bonoque & æquo agebant. Quapropter novas in urbem religiones invehi, nec Tiberius quidem obtinuit. Neque enim, quamvis dirum Principem, in sententiam quæ aliis non probabatur transeuntem, secutus est quisquam. Extat & Divi Gregorii epistola, quâ Imperator Phocam hortatur, primùm omnium ad curam suam pertinere ducat, ut libertas omnibus illæsa esset. Reges gentium testatus servis imperare, at Cæsares liberis hominibus. Cujus sententiæ ratio paullò altiùs repetenda est. Iure gentium constat, bella primùm, captivitatisque jura inventa esse: unde & Regna quoque constituta, limitesque Provinciis additi traduntur. In hisce bellis id jus fasque erat, ut capti in bello, ad eum qui plus armis potuisset, pertinerent. Quare & mancipia, quòd manu capta esse dicebantur. Iuris quoque dicendi eâ lege non una fuit species: sed id observabatur, quod in urbis deditione conventum fuerat. Erant enim qui divina humanaque omnia in victoris potestatem traderent: erant qui fœdere transigerent: erant qui pari jure, incolumique libertate jungerentur. Sed Romani armis victos Italos, fœdere priùs suis opibus addiderunt: mox & societate initâ, æquali eos conditione in civitatis quoque communionem vocaverunt: Italiq; omnes cives Romani effecti sunt. Cùm igitur lege Regiâ Romanus populus Augusto jus omne, Imperiumque concessit, supremam in cives vitæ necisque potestatem, liberamque summi juris arbitratu suo constituendi facultatem transtulisse non potest videri: quod nec ipsi quidem Quirites habebant, cùm Itali non illis dediticii, sed fœderati essent; ut meritò qui se Augustos Imperatoresque appellant, hoc jure ipsi quoq; teneantur: tametsi & divinâ lege appareat, hominem in hominis potestatem atq; dominium minimè adduci * posse. Creavit Deus cælum & terram, quæque his continentur, inquit Moses: tandemque virum & feminam. His cum mandasset, ut novâ semper prole genus suum augerent, piscibus quoque maris, & volatilibus cæli, universisque se moventibus super terram animalibus ut dominarentur, jussit: quo ostenderet, homini in hominem jus nullum, sed in cætera animantia, brutaque solùm concedi.

Et hæc à nobis diffusiùs dicta sint, tum ut inde admonerentur Principes, sive ipsi ad summum Imperii gradum pervenerint, sive ab Imperatoribus, Reges, Duces, Comites appellati sint: non tantum illis in populos licere, quantum adulatores eorum auribus melle diluto veneno infundunt: tum etiam, ut Martini, qui Bononiæ Ius Civile profitebatur, nihil non Imperatori concedentis, sententiam confutarem: quem in hac controversiâ, cum Bulgaro sponsione factâ, depositoque penes sequestrem equo, diffidentem, Ænobarbus victorem pronunciavit, & à consiliis habuisse dicitur. Adeò Principibus hi potissimùm placent, qui quamplurimùm illis arrogant. Quod tum judicium tantâ mox infamiâ flagravit, ut Proverbio carmen celebraretur:

Duxit equum Martinus, dixit Bulgarus æquum.

Sublato ex humanis Ænobarbo, tam malè affecti ab eo Mediolanenses, & ejus filium, & quàm plurimos pro tempore designatos illi successores, armis repulerunt; ut minimè coronâ more majorum redimiri potuerint. Quapropter & nonnulli eorum obscuri apud posteros, nullâ memorabili re gestâ, vitam silentio transierunt. Itaque Rodolfus Imperator, Habsburgensis Comes, cujus majores urbe Româ ex Aventino oriundos plerique comminiscuntur, unus vel eâ ex caussâ maximè celebrandus est, quòd Florentinis, Lucensibusque, ab omni Cæsarum jure immunitatem pretio venundedit: eoque nomine appensa ab alteris sex aureorum millia, ab alteris duodecim accepit. Assensus est Honorius Pontifex, ratamque alienationem decreto suo fecit: tametsi enim re modica pecuniæ quantitas videretur, satis tamen ei juri coëmundo esse censebat, quod precariò à se concessum interpretabatur, quodque absque armis obtineri non posset, cùm illi non nisi exercitu coacti imperata facerent. Post hunc à Septemviris Albertus ejus filius, Austriæ Dux, designatus est: quem Bonifacius VIII. cùm multis maximisque incommodis affecisset, Regiâ tamen sede deturbare, quod imprimis cupiebat, non potuit. Tantum enim abest, ut auctoritate eum suâ confirmare voluerit, ut sparsa tum quoque fama fuerit, cùm hac de re ab Alberto ad eum Legati venissent, ense accinctum Pontificem, coronaque Imperatoriâ ornatum, liberrimo spiritu exclamasse: Ego sum Cæsar. Sed nihilominùs regnavit ille, Romanique Imperii titulum in nepotes transmisit: ex quibus, post Fredericum III. Maximilianumque, Carolus V. maximus omnis ævi Princeps, in præsentiâ rerum potitur. Alberto Henricus Luceburgensis suffectus est. Is frustrà repugnantibus Gallis, Mediolani primùm, dein Romæ, Imperii insignia assumpsit. Contulit ea in Ambrosii templo Tristanus Turrianus, in cujus manu tum res omnes Mediolanensium divinæ humanæque erant. At Moguntiaci vetusto se jure, debitoque honore fraudari existimantes, Henricum adeunt: debuisse Regni decora in Baptistæ Ioannis Æde, quæ apud eos opulentissima est, assumi contendunt: idque sibi Ænobarbi officio, aliorumque Cæsarum consuetudine tributum affirmant. Quod Mediolanensium odio Ænobarbus fecerat, ipse quinque aureorum millibus acceptis, in posterum consensu suo ratum fecit. Non etiam repugnavêre cives, quò minùs

minùs Moguntiam Regni Italici sedem esse Henricus privilegio declararet. Usu enim didicerant, id, qualecunque honoris esset, semper in summam urbis calamitatem verti: quòd intra mœnia recepti milites, feræque nationes, quas in exercitu habere Imperatores consueverunt, à rapinâ & cædibus temperare nesciant. consultiusque paci sit, si urbe exclusus Cæsar suâ, eo in oppido insignia accipiat, in quo propter censûs inopiam nec diutiùs esse, neç multum damni inferre possit. Optasset Galeatius Vicecomes, ut eadem Ludovici Bavari animo sententia sedisset, dimissaque urbe Moguntiam petiisset: non enim ea ingratitudinis in se exempla fuisset perpessus, ut ab eo, pro cujus tuendâ dignitate, maximâ cum rei suæ jacturâ, adversus Pontificem arma tulisset, ceu hostis & infidus in teterrimum carcerem traheretur. *

Reliqua Desiderantur.

V*otum igitur meum est, ut siquis fortassis reliqua hujus ἀποσπασμάτιος possideat, ea promiscui velit juris esse, & suum usum cum publico conjungere. Quantum omnes accipient, Auctori reddetur; sed scripsit ille omnibus, quod potest exigere: quantum reddetur omnibus, Auctor accipiet; sed exigunt omnes, quicquid ille scripsit. Partem ego, quam Ioannes Operinus anno* CI϶. I϶. LIX. *typis suis Basileæ cum aliis quibusdam ejusdem argumenti libellis descripserat, dare potui; quasi non tam munus, quàm exemplum depromerem. Quicquid non periit, liberalitatem meam indicabit: quicquid latebit verò, quia perire poterit, vel invidiam, vel avaritiam possessori objiciet.*

ERY-

HISTORIÆ INSVBRICÆ SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

IMPERFECTA *adhuc Historia mea erat, nisi & CHRONOLOGIA accederet, resq; singula Temporum notis distinguerentur. Hac facem infert, siquid in narratione caliginis est: hac viam distinguit, sicubi incerta aut implexa rerum vestigia sunt. Ac sanè cùm omnis obscura sit Antiquitas, caca est Barbara; cùm omnis laboret memoria, deficit Barbara: Insubrum autem & Antiquitatem & memoriam Gothi, Longobardi, aliiq; Barbaram faciunt, & simul involvunt. Quia lumen igitur necessarium est, id accendo; quia ducentis manu opus, hanc porrigo: ut quâ ratione in vasto Temporum spatio, atque Irruptionum ambage tam vincas tenebras, quàm vites salebras, videas. Omissis verò & Mundi terminis, & Olympiadum fontibus, & Consulum fastis, in duas hîc partes Historiam universam divisi; priorem, qua ante Christum fuit, ab Vrbe Româ conditâ; posteriorem, qua post Augustum fuit, à Christo nato computatam. Quò simplicior, eò certior calculi ratio est; & ad hanc unam, ubique jam vernaculam, omnes Epocha reducuntur, vel hac ad omnes. Quid plura? SYNOPSIN vocavi, ac brevi rerum serie annos prope ∞. IↃC. exhibui; ut novum etiam à Tempore Compendium nasceretur.*

Priores numeri Annorum sunt, posteriores Paginarum.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA LIBRI I.

ANNI VRBIS ROMAE.

MEDIOLANVM, Insubrum Metropolis, si Olanum Medumque auctores habuit, cum ipsis propemodùm Romanæ urbis incunabulis crevit: si Bellovesum, annis CLVII. secuta est, Christique Natalem IↃ.XCV. præcessit. *Paginâ 5.*

362. Bellum Clusinum. *14.*

365. Insubres Brenno Duce Romam capiunt. *Ibid.*

528. Britomarus victus ab Æmilio. *15.*

530. Ariovistus à Flaminio. *Ibid.*

531. Virdumarus à Marcello. *Ibidem.*

642. Cimbri in Italiam irruunt. *325.*

707. Cæsar rerum potitus. *20.*

727. Augustus, cùm Britannicam pararet expeditionem, per Insubres transiit: eodem tempore Narbone conventum egit. De quâ re Dio lib. LIII. & Epitome Liviana CXXXIV. Fuisse autem Mediolani æream Bruti statuam, & hanc non sine gravi affectu Augustum respexisse; tolerasse tamen, Plutarchus in Bruto scribit. *Ibid.*

ANNI CHRISTI.

99. Trajanus ad Imperium venit: imperavit ann. XIX. menses VI. Sub initia mox Palatium Mediolanense struxit. *Ibid.*

134. Didius Iulianus natus Mediolani: qui anno LX. ætatis Imperator factus, & eodem occîsus. *Ibid.*

245. Philippus Pater & Filius imperare cœperunt. *Ibid.*

299. Maximianus thermas Mediolani struit. *Ibid.*

303. Imperium deponit. *Ibid.*

310. Interfectus Massiliæ. *21.*

339. Constantius & Constans diviserunt Imperium. *28.*

391. Cædes Thessalonicensium: & Mediolani Theodosius à limine templi rejectus. *21.*

395. Imperium etiam Arcadius & Honorius dividunt. *28.*

411, Gothi duce Alarico in Italiam irruunt. *Ibid.*

412. Alaricus Stiliconis copias fundit, in Italiam redit, Romam capit, postquàm ea stetisset annos IↃ. CLXIV. *29.*

451. Attila in campis Catalaunicis vincitur: quo prœlio CLXII. millia hominum cæsa, cùm paullò antè XC. millia Gepidarum & Francorum mutuo concursu interiissent. *41.*

452. Attila, reparato exercitu, in Italiam irrumpit, Mediolanum capit. *42.*

453. Vrbs è ruderibus instaurata. *56.*

467. Anthemius ad Imperium Occidentis evehitur. *Ibid.*

472. Hunc postquàm Ricimer necavit, fuêre Imperatores deinceps,

Olybrius, *57.*

473. Glycerius, *Ibid.*

474. Iulius Nepos, *Ibid.*

475. Momyllus, sive Augustulus. *Ibid.*

476. Odoacer, Herulorum Rex, in Italiam irruit. *60.*

489. Et Theodericus, Gothorum. *63.*

493. Is Odoacrem, Regni socium

cium insidiis sustulit. *Paginâ 65.*

523. Symmachum & Boëtium in exilium mittit. *70.*

526. Et interficit. In Summum quoque Pontificem crudelis, divinâ velut vindictâ interiit. *Ibid.*

Eodem anno Athanaricus, nepos Theoderici è filiâ Amalasuentâ, ad Regnum venit, anno ætatis VIII. ac XVI. obiit. *74.*

534. Theodahatus ab Amalasuentâ ad Regnum assumptus. *76.*

536. Vitiges succedit. *78.*

539. Idem captus à Belisario, & abductus Constantinopolim. *85.*

540. Ildobaldus Rex. *86.*

541. Totilas succedit. *Ibid.*

546. Romam capit. *Ibid.*

552. Occumbit. *Ibid.*

553. Cadit & successor Tejas. *92.*

SYNOPSIS CHRONOLOGICA LIBRI II.

ANNI CHRISTI.

566.

NARSES à Sophiâ Augustâ irritatus, Longobardos in Italiam advocat. *Pag. 101.*

569. Longinus, primus Exarchus à Iustino missus, Ravennæ sedem Præfecturæ ponit. *108.*

570. Alboinus Rex in Italiam Longobardos ducit. *109.*

571. Mediolanum deditione capit, Nonis Septembris. *Ibid.*

574. Clepho Secundus Longobardorum in Italiâ Rex. *115.*

576 Triginta Duces Regnum administrant. *116.*

585. Autharis Clephonis filius sceptra accipit *117.*

588. Childebertum Francorum Regem Italiâ expellit. *118.*

590. Reversum non pugnando vincit. *Ibid.*

591. Agilulfus Rex. *122.*

596. Is in Exarchos insurgit *Ibid.*

601. Theodelinda Moguntiaci & Regiam, & Templum D. Ioanni sacrum exstruit. *Ibid.*

604. Agilulfus filium Adalvaldum, Regni socium assumit. *123.*

615. Adalvaldus post patris mortem cum matre Theodelindâ regnat. *126.*

In amentiam & sævitiam prolapsus Regno dejicitur. *Ibid.*

Eod. Ariovaldus (qui Gundebergam, Adalvaldi sororem matrimonio sibi junxerat) Rex. *128*

637. Gundeberga Rotharim sibi & Regno eligit. *131.*

638. Is octo Romanorum millia cædit. *132.*

643. Edictum publicat. *Ibid.*

652. Rodoaldus Rotharis filius, sceptrum capit. *133.*

656 Huic Aripertus, Gundobaldi Theodelindæ fratris filius, succedit. *134.*

661. Pertharitus & Gundebertus Gundobaldi filii simul regnant, & mox dissident. *135.*

Eod. Grimoaldus sceptra rapit. *137.*

662. Francos stratagemate superat. *142.*

663. Constans Imperator Beneventum obsidet. *143.*

664. Cacanus Hunnorum Rex in Italiam venit, vocatus à Grimoaldo. Lupum Forojuliensium Ducem conficit. *144.*

SYNO-

SYNOPSIS CHRONOLOGICA LIBRI III.

ANNI CHRISTI.

672.

PERTHARITUS ab exilio redit, sceptrumque capit. *Pagina 149.*

679. Filium Cunipertum Regni socium assumit. *Ibid.*

690. Diem suum obit. *Ibid.*

692. Alahis Regnum invadit, tyrannumque agit: mox expulsus. *151.*

695. Etiam Anfridus, bello sceptra moliens, captus, & punitus. *153.*

703. Luitpertus Cuniperti filius Rex: sub tutelâ Asprandi. *155.*

704. Ragumbertus, Gundeberti Regis filius, devicto Asprando, rerum potitus. *156.*

705. Aripertus II. Ragumberti filius, succedit; & prœlio Luitpertum capit, primùm sævus. *Ibid.*

706. Deinceps clemens & benignus. *158.*

712. Bellum Asprandus iterum movet, & feliciter sceptro augetur. *Ibid.*

Eod. Traditque illud mox filio Luitprando. *160.*

713. Is novas leges divulgat *161.*

718. Divi Carpophori Ædem, & Castrum Baradelli exstruit. *Ibidem.*

721. Ossa Divi Augustini à Saracenis redempta, tanquam Sacrum Regni pignus, Ticini deponit. *Ibidem.*

725. Bellum cum Exarcho: quo Ravenna capta, direpta, & ornamentis suis spoliata. *163.*

729. Deinceps cum Trasemundo Spoletinorum Duce, & mox cum ipso Pontifice. *166.*

739. Ac decennio pòst repetitum, sed compositum intercessione Caroli Martelli. *170.*

740. Hildebrandus, Luitprandi nepos, lex constituitur, & ab avo deinde confirmatur. *Ibid.*

744. Remoto Hildebrando, Longobardi sceptra Rachi tradunt. *Ibid. & 173.*

749. Is Romanam ditionem vexat. *Ibid.*

750. A Regno ad monasterium transit. *Ibid.*

Eod. Aistulfus frater succedit. *175.*

752. Ravennam capit: & Exarchi in Italiâ desierunt. *Ibid.*

753. Pontificem bello petit, & urbe claudit. *176.*

754. Clausus ipse Ticini à Pipino, ad fœdera descendit. *Ibid.*

755. Iterum clausus, pacem petiit. *Ibid.*

756. Ab apro percussus interiit. *Ibidem.*

Eod. Desiderius Regnum sibi vindicat. *185.*

767. Vniversæ Italiæ Imperium affectat. *Ibid.*

772. Carolomani uxorem filiosque in clientelam admittit. *Ibid.*

773. Carolus, à Summo Pontifice vocatus, exercitum in Italiam ducit: Ticinum, & Regem deditione capit. *Ibid. & 186.*

SYNOPSIS CHRONOLOGICA LIBRI IV.

ANNI CHRISTI.

774.

Res in Italiâ mutatæ: Carolus Ferreâ coronâ Moguntiaci insignitus: Provinciæ nomen Longobardiæ inditum. *Paginâ 197.*

775. Rodgandus res novas molitur. *202.*

776. Superatur à Carolo, capitur, punitur. *Ibid.*

781. Pipinus Caroli filius ferream coronam sumit, & Longobardis præest. *Ibid.*

787. Tertiò in Italiam Carolus venit, & Aragisum Desiderii generum compescit. *Ibid.*

788. Adalgisus Desiderii filius Græcanicum in Italiam exercitum ducit: à Pipini Ducibus superatur, capitur, & inter tormenta extinguitur. *205.*

793. Grimoaldus denique rebellis, in ordinem redactus à Pipino & Ludovico Caroli filiis. *Ibid.*

801. Carolus Augusti nomine & titulo Romæ consecratur. *206.*

810. Pipinus Mediolani moritur. *Ibid.*

812. In Italiam à Carolo cum copiis mittitur Bernardus, Pipini filius, Saracenos irruentes repellit. *211.*

814. Carolus fatis concedit. *216.*

817. Ludovicus Lotharium filium natu maximum, Imperatorem & Regem Franciæ renunciat, Pipinum Aquitaniæ, Ludovicum Bavariæ. *220.*

Eod. Bernardus in Patruum & Patrueles suos insurgit. *221.*

818. Coactus se Ludovico tradere, damnatur judicio, excæcatur, & paullò pòst moritur. *Ibid.*

822. Lotharius à patre datus Italiæ Rex, Moguntiaci coronatur. *223.*

823. Insignia Imperatoria à Pontifice Romæ accipit. *Ibid.*

830. Pipinus cum Proceribus Galliæ in Patrem conjurat, cui se fratres Lotharius & Ludovicus jungunt. *Ibid.*

833. Scelus semel sopitum, erupit in bellum. Ludovicus per insidias captus à filiis, & Imperio exutus. *Ibid.*

834. Restituitur à Proceribus. *Ibidem.*

835. Verè Pius, ignoscit filiis. *Ibidem.*

838. Pipino mortuo, Carolum Aquitaniæ Regem constituit, & Lothario commendat. *224.*

840. Ludovicus, Ludovici Pii filius, bellum denuò Patri movet: sed non ausus confligere, recessit, quievitque. *Ibid.*

Eod. Ludovicus Pius moritur. *Ibidem.*

Eod. Lotharius in Franciæ Regnum Imperiumque à Proceribus asscitus, hostes Ludovicum & Carolum fratres habuit. *231.*

841. Ab iisdem victus, pacisci potuit. *Ibid.*

843. Lotharius Galliæ partem, quæ ex divisione obtigit, Lotharingiam, quasi Lotharii Regnum nominat. *Ibid.*

844. Filium Ludovicum, Regem Italiæ, & Imperii consortem renun-

renunciat, Romamque mittit consecrandum. *Ibid.*

Eod. Angilbertus Mediolanensis Archiepiscopus ab Ecclesiâ Romanâ desciscit. *Ibid.*

846. Saraceni Massare Duce Romam procurrunt, suburbanas Apostolorum Basilicas diripiunt. *235.*

850. Massar iterum Templa ac Monasteria vastat. Ab Insubribus, qui à Ludovico missi, interimitur. *238.*

851. Lotharius Ludovico filio Italiam & Augusti titulum, Lothario Lotharingiam, Carolo Provinciam Burgundiamque relinquit, & Monasticam vitam amplectitur. *239.*

856. Ludovicus Italiæ rebus invigilat. *Ibid.*

865. Saraceni Seodano Duce Apuliam vastant. *Ibid.*

872. Ejecti tandem à Ludovico, sed variâ fortunâ. *Ibid.*

875. Ludovicus Mediolani decessit. *243.*

876. Carolus Calvus Ludovici Patruus, in Italiam properat: Imperatoriam, & mox Regiam coronam sumit. Ludovicus Calvi frater, dum bellum adornat, moritur. *243. & 244.*

877. Carolomanus Ludovici filius, in Italiam copias ducit: fugiente Calvo, qui in itinere obiit, Regnum obtinet. *Ibid.*

878. Ludovicus Calvi filius Imperator. *Ibid.*

880. Carolomanus moritur: frater ejus Carolus Crassus Regno Italiæ potitur. *Ibid.*

881. Augustalem quoque coronam capit. *Ibid.*

882. Lotharingiæ & Bajoariæ Regnis, fratre Ludovico mortuo, augetur. *Ibid.*

884. Etiam Franciæ, Ludovico & Carolomano Balbi filiis vitâ defunctis. *Ibid.*

Eod. Normani Lotharingiam penetrant, castra prope Lovanium ponunt. Saraceni Italiam lacerant. *249.*

Eod. Decernit Pontifex, Ut si Carolus Crassus non relictis liberis decederet, Regni Imperiique fortuna penes Italicos Principes esset. *250.*

887. Carolo Regnum à Germanis abrogatum, traditumque Arnulfo Carolomani filio. *Ibid.*

888. Carolus ex mœrore obiit. *Ibidem.*

SYNOPSIS CHRONOLOGICA LIBRI V.

ANNI CHRISTI.

889.

BERENGARIUS & Vido Reges Italiæ colliduntur. *Pagina 260.*

890. Victo ad Trebiam amnem Berengario, iterumque in agro Brixiano, universam provinciam potestatis suæ Vido facit. *Ibidem, & pag. 261.*

891. Ad Imperium quoque evehitur. *Ibid.*

Eod. Arnulfi Germaniæ Regis exercitum pro Berengario pugnantem rejicit. Filium Lambertum Regni socium asciscit. *262.*

SYNOPSIS CHRONOLOGICA LIBRI VI.

947. Be-

947. Berengarius, Berengarii nepos, sceptrum capit. Cum Hugone & filio ejus Lothario regnat. Hugo, convasato thesauro, in Provinciam abit. 303.

948. Henricus Bavariæ Dux in in Italiam irrumpit. 306.

949. Mox Tapis Hungaros, inducit, & hæret. Recessum x. modiis nummorum vendit. *Ibidem*, & 307.

Eod. Lotharius phrenesi correptus, moritur. *Ibid.*

950. Adeleidis ejus conjux à Berengario capta, elabitur. 308.

951. Othoni Germaniæ Regi nubit. Ticinum cum victore marito triumphantis habitu invehitur. *Ibidem.*

952. Berengarius, filiusque ejus Adelbertus in Germaniam proficiscuntur, Othonis arbitrio Regnum committunt, & recipiunt. *Ibid.*

953. Nihilominùs rebelles, Italiam turbant. 309.

954. Hungarorum nova Irruptio. *Ibid.*

961. In Berengarium Otho exercitum ducit, & Regnum occupat. 315.

962. Augusti titulo à Pontifice donatur, Imperiique Majestatem apud Germanos fundat. *Ibid.*

INDEX RERUM IN HISTORIAM INSUBRICAM.

Ut nihil penitus Editioni huic deesset, INDEX *tandem more sæculi adjiciendus erat: licet hæc magis Typographum cura, quàm Auctorem spectet. Non vacat omnibus, cùm ad molem aliquam volumen surgit, totum evolvere, sibi, vel Respublicæ occupatus: aliqui vel in ipso otio fastidium declinantes, carpere hinc inde, vel quod usui opportunum est malunt, vel quod oblectationi commodum, vel quod examini obnoxium. Prorsus nisi varietas ad facilitatem veniat, copia ad modum, labor ad compendium, implevisse ingenii partes non videmur. Ergò pars Libri Index est; imò usus pretiumq; libri Index est: qui nec promptior esse potest, quàm si vilis quodammodò fiat, & Alphabeti seriem sequatur. Sic prima Litteraturæ rudimenta, doctrinæ subsidia sunt, & quicquid pueri, in incude studiorum positi, discunt, Viris, & Magnis utile est. Sed nos ad exemplum quoque sapere volumus, & quod simplicissimum notandi genus est, voluminis paginas citavimus. Aut fallor, aut numeri secundæ velut litteræ sunt; notæ enim sunt: nisi litteras potius, tanquàm secundos numeros æstimem. Sed longùm loquor. Hic jam Historiæ Index est: simplex, tanquam geminus: quippe ad quem Commentarii facilè revocari possint. Explicant Commentarii quicquid Historia complexa est.*

A

B.

Flam-

Insu-

Fit

Tapis,

AVCTORVM SYLLABVS,

TAM RECENTIORVM QVAM VETERVM.

QVI

IN HIS COMMENTARIIS

partim Historiæ, partim Eruditionis causâ, laudantur, illustrantur, corriguntur.

Inscri-

BONE LECTOR,

FREQVENS hic chorus est, & variè, ut occasio fidem exigebat, mixtus. Vides Philosophos, Poëtas, Oratores, Historicos; & hos potissimùm: quorum nonnulli nomine ac famâ illustres & obvii, plures obscuri & ignoti. Illi vel à veteri, vel a nostro ævo, quod ceu vetus ingenuis effloruit: hi à medio, inculto, Barbaro, & cujusmodi in hac Historiâ descripsi, in his Commentariis explicavi. Qui gerebant res, Barbari erant: qui tradebant, non poterant nisi ævum suum exprimere. Vt Nomenclatorem hîc egi, ita quicquid ad conditionem cujusque, scripta, ætatem faceret, annotare statueram: sed hanc operam Vir clarissimæ eruditionis, candidissimæque modestiæ GERARDVS IOANNES VOSSIVS, ille ab incunabulis ferè studiorum mihi junctus, tam feliciter sumpsit, ut nihil vel meæ, vel aliorum industriæ reliquerit. Exstat geminum ejus, & nunquam satis laudandum opus: alterum de Historicis Græcis, alterum de Latinis: in quo, inter alios infinitos, etiam hos nostros invenies. An plura dicam? Vtrumque evolvat, qui nihil hujus argumenti volet ignorare. Sed heus: & mea ipsius Scripta aliqua citare, operæpretium putavi; à me sumere, quod domi promptum erat, & ad rem faciebat. Fortassis qui paucos istos videbit librorum titulos, ad reliqua Opera legendi desiderium extendet: quorum ferè omnium Catalogum in Bibliothecâ Belgicâ VALERII ANDREAE nostri, Linguarum & Iuris peritiâ ac Professione Clarissimi habes. Hunc verò jucundi nuper vir oris FRANCISCVS SWEERTIVS secutus, Athenas Belgicas condidit, novo labore ingenia omnibus Belgica repræsentans; in quibus & meum cerneretur. Sed volui & ipse deinde, à IOSEPHO MARIA SVARESIO delicio meo, quem præter dignitatem virtus & doctrina ornant, clarumque reddunt, interpellatus, hoc agere, & labores meos, id est libros, novo libro recensere. Bibliotheca, ut sic dicam, nata est, & in classes suas divisa. Primam argumento Philologicam & Philosophicam feci, secundam Oratoriam, tertiam Epistolicam, quartam Historicam, quinctam Sacram. In Primâ Amœnitatum Humanarum Diatribæ sunt, varium opus, in secunda Orationes, in tertiâ Epistolæ, in quartâ Historiæ, in ultimâ quicquid pietatem spectat. Pars igitur classis Historicæ hæ IRRVPTIONES, & hi Irruptionum COMMENTARII sunt: in quibus è reliquo lucubrationum nostrarum numero usui nobis fuerunt:

Aphorismi Politici, propediem per omnes Aristotelis libros extendendi.

Comus, sive Phagesiposia Cimmeria.

Consolatio Cæcitatis.

Elementa Basilica.

Historia Mediceа.

Indigitamenta, sive Fasti, qui sub prælo sunt, & tempora omnia extempore numerant.

De Nundinis Romanis Liber, mox in lucem producendus.

Observatiuncula de S. Flaviâ Domitillâ.

Oratio de Scholis & Rhetoribus Palatinis apud Mediolanenses.

ANNO-

ANNOTATIONVM
SPICILEGIVM,
QVIBVS
COMMISSA VEL OMISSA
IN HOC OPERE
emendantur, supplentur.

AD secundas, ut ita dicam, curas venio, & examino, quæ jam typis absoluta sunt. Vt homines sumus, imò ut vastum ac varium argumento hoc Opus est, vel committi aliquid, vel omitti potuit, sive calami mei culpa, sive operarum. Omnino quod in ædificiis struendis usu fieri solet, idem in libris: non apparet error, nisi in fine; quasi ex opere demum perfecto emergens: non quando scribimus, sed postquàm scripsimus, & jam retracta manu, judices magis quàm Auctores sumus. Nemo sibi indulgeat, hallucinantur omnes, & vel maximè in tenebris, quæ Antiquitatem omnem cingunt. Siquid hîc igitur, ut in bonâ fruge malæ herbæ est, profiteri quàm dissimulare malo, evellere quàm præterire. Nullus etiam ager puram semper segetem protulit: ille optimus, qui minus lolii aut cyani intermixti. Vide quæso, & qui tibi alibi vis ignosci, benignus esto.

PAGINA 1. lineâ 25. lege *Narsete*.

PAG. 4. columnâ 1. lineâ 31. *Eripit* in *eripiunt* mutandum est.

PAG. 6. col. 1. lin. 1. Insubres, præter appellationes allatas, Straboni lib. v. dicuntur, Σύμβροι, Ἴνσουβροι, Ἰνσόμουσουβροι, inconstanti scripturâ. Posterioris ævi Græci à Latinis soliti Gentium, Regionum, Vrbiumque nomina mutuari, servatâ ultimâ è suo sermone syllabâ, duas priores ad se integras transtulerunt. Sunt igitur Ἴνσουβροι mediâ productâ, sive hîc diphthongum, sive alibi positionem respicias.

PAG. 7. col. 1. lin. 23. An ad Padum Insubres pertinuerint, è Polybio dubium est, lib. II. ubi *prima circa Padi originem loca Lai & Lebecii, ulteriora Insubres tenuisse* scribuntur, *gens inter eos maxima; & post hos apud flumen Cenomani.* Itaque notante Cluverio, aliquando ab Oriente Insubribus erant Cenomani, à Septentrione Lepontii & Orobii: illi circa Lacum Verbanum, hi apud Larium. A Meridie Laevi, qui Ticinum citra Padum incolebant. Ab Occasu Lebetii, sive Libicii, qui Novariâ fluvio separati. Si Livius tamen ad suffragium veniat, etiam ultra Ticinum ad Padum usque Insubrum fines extensos fuisse credibile est, quemadmodum scripsimus.

PAG. 10. col. 2. lin. 3. Clarissimus GER. IO. VOSSIVS lib. III. De Historicis Latinis, *Venonium* non *Vennonium* appellandum censet, à Venox: quemadmodum C. Plautio, ut Frontinus scribit De Aquæductibus Vrbis Romæ, *ob inquisitas Aquæ Claudiæ venas Venocis cognomen datum est*. Sed quod ad Scriptorem hunc attinet Cicero in Epistolis ad Atticum alibi molestè fert, *Venonii Historiam se non habere.*

Libro

Libro tamen 1. De Legibus *Exilem* nominat.

PAG. 13. col. 2. lin. 39. sive extremâ. Adde Senecæ locum ex Epistolâ XCI. *Sæpè majori fortunæ locum fecit injuria: multa ceciderunt, ut altius surgerent, & in majus. Timagenes felicitati Vrbis inimicus ajebat: Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quòd sciret meliora surrectura, quàm arsissent.*

PAG. 21. lin. 28. Dele *tandem.*

PAG. 31. col. 1. lin. 17. Pro *Constantii*, scribe *Constanti*. Fuerunt enim filii Constantini Magni Constantinus, Constantius, Constans. Col. 2. lin. 15. *Filium* muta in *fratrem*. Iulianus namque Constantii filius, Constantii Chlori nepos, patruum Constantinum Magnum habuit, fratrem Gallum. Breviter, & in Schemate,

CONSTANTIVS CHLORVS IMP.

HELENA. —— Vxores —— THEODORA.

CONSTANTINVS M. Vxor Minervina, ex quâ Crispus. Altera, Fausta Maximiani filia, ex quâ,	ANNIBALIANVS.	CONSTANTIVS, Vxor Basilina.
CONSTANTINVS. CONSTANTIVS. CONSTANS. CONSTANTIA, HELENA.	GALLVS. Vxor Constantia Constantini Magni filia.	IVLIANVS IMP. Vxor Helena Constantini Magni Filia.

PAG. 40. col. 1. lin. 34. Lege, *Scultennâ, seu Panaro fluvio.* Bernardinus Corius pugnam Rotharis cum Romanis describens, amnem hunc Æmilium nominat, cognominatque Scultennam. An ex Paulo Diacono? Sed ei non Æmilius, sed Scultenna Æmiliæ dicitur, notante Merulâ.

PAG. 45. col. 1. lin. 3. Clarior sententia erit, si leges: *Auxiliares copias adversus Hispaniæ Gothos Vandalis mittunt.*

PAG. 48. col. 1. lin. 32. Virginum Britannicarum agmen, cui Vrsula præerat, interceptum esse ab Attilâ longa fama tenuit. De quâ tamen præter Baronium, Amplissimus Clarissimusque Vir AVBERTVS MIRAEVS, Decanus Antverpiensis, Disquisivit. Exstat inter alia ejus quamplurima egregiæ doctrinæ, industriæque Opera brevi Scripto Conjectura, sive Opinio, aliorum posteà calculo confirmata: Agmen fuisse mulierum cum liberis, quæ Legiones Romanas Maximi Imperatoris, sive Tyranni è Britanniâ secutæ (quippe ad maritos, Patres, consanguineos ibant, & jam Christianæ) in Hunnos, Gratiano Imperatori adversus Maximum militantes, inciderunt, circa annum Christianum CCC. LXXXIII. quæ tempora Attila secutus est.

PAG. 49. col. 2 lin. 20. Floro subscribit Iulius Firmicus libro 1. cap. III. De Plotino agens: *Ad collocandam sedem, amœnum sibi Campaniæ civitatis solum elegisse narratur: ubi*

semper

semper aëris quietæ moderatio cunctos incolas salubri vegetatione sustentat: fragrantis nec Solis accessio, sed composita temperies ex utroque moderatur: ubi ægritudine aliquâ laborantibus hominibus ingentium fontium calore, & fervescentium aquarum salutari fomento conciliata sanitas irrigatur.

PAG. 50. col. 2. lin. 26. Pro *cadendo*, lege *cedendo*.

PAG. 52. col. 1. lin. 23. lege *Solinus*. Præter hunc autem, & Livium, & Virgilium, etiam Seneca, Mela, Martianus Capella, Grammatici. A Pado dictum Patavium indicat Servius, ad illud Virgil. lib. 1. *Antenor potuit mediis elapsus Achivis*. Id tamen nominis cùm Celticum sit, non ab Antenore, sed ab Illyriis, qui è gente Celticâ sunt, impositum Cluverius in Italiâ suâ docet. Brentam fluvium Antiqui Meduacum appellabant. Sed alii unum, alii duos constituunt. Patavio quoque Romam ad Mercatum copiosam mercem mitti solitam, libro De Nundinis Romanis annotavi, qui propediem in lucem veniet.

PAG. 54. col. 2. lin. 16. *cum* muta in *eum*.

PAG. 55. col. 2. lineâ 22. Lege *gloriosos*.

PAG. 60. col. 2. lin. 17. Adjunge quæ à Clarissimo Iurisconsulto, & Dolanæ Academiæ Antecessore Regio CLAUDIO CHIFFLETIO, in Vitâ Ammiani Marcellini De Comitum Appellatione scripta sunt.

PAG. 60. lin. 27. Si Festum sequimur, *Regium Lepidi*, non *Rhegium*. Verba ejus sunt: *Rhegium significare oportere, ait Verrius, id municipium, quod in freto Siciliæ est: quoniam id dictum à rumpendo; quod est Græcè ῥηγνύναι. Eò quidem magis; quia in Galliâ Cisalpinâ, ubi Forum Lepidi fuerat, Regium vocatur.*

PAG. 102. col. 1. lin. 44. pro *virûm*, lege *verum*.

PAG. 104. col. 2. lin. 5. Vbi de Longobardis. Hi, ut scripsi, propriè μακροπώγωνες sunt, *à longâ barbâ* appellati. Bodinus, ut eos è Galliâ suâ produceret, à Langonibus & Bardis populis ortos esse voluit, & sic dici. Sed ingenii hæ nugæ sunt. Nulli enim gente, plures ingenio Bardi, maleque Festo hallucinanti Bodinus credidit in voce *Bardus*: licet Vates Gallorum & Cantores Bardi dicti sint. Langones verò in Galliâ Lingones fuerunt: ut sic quidem Lingobardi prisco vocabulo dicendi essent, quos nemo non Longobardos, nonnemo Germanicâ voce Langobardos appellavit. Quid præterea? Linguadocam in Languedocam corruptam esse, frustrà dixeris: nisi enim Bardi populi inveniantur, frustrà Lingones & Langones sunt.

PAG. 105. col. 2. lin. 14. abundat *ne*.

PAG. 132. col. 2 lin. ult. *Rex Autbaris*, repone *Rotharis*. Is enim Edictum scripsit.

PAG. 171. col. 1. lin. 29. *Tondi* irrepsit, pro *tonderi*. Ignominiæ hic ritus, honoris factus est: sed in pueris. Apud Mediolanenses quoque usu obtinuit, ut pueri omnes non capillati, sed tonsi essent, & hinc dicerentur. *Tosum* enim, tanquàm *Tonsum*, puerum appellant: imò *Tosam*, tanquam *Tonsam*, puellam. Sic & Græci olim comæ primitias Appolini offerebant.

PAG. 182. col. 2. lin. 23. Quæ de pietate Pipini notavi, ad Herstallium, non Landesium referenda sunt: quemadmodum ratio temporum exigit. Sed hunc errorem video & Baronium errasse.

PAG. 214. col. 1. lin. 26. Nuperus

rus ille Scriptor, Lucas Tudensis est, qui claruit anno ∞. CC. XXXV. Inter alia verò opera Chronicon reliquit, quod in IV. Tomo Hispaniæ illustratæ exstat.

PAG. 243. col. 2. lin. 2. *Brutios suâ linguâ fugitivos vocant.* Ita Diodorus scribit lib. XVI. Straboni verò lib. VI. ἀπόςαται sunt, id est *desertores*, vel *defectores*.

PAG. 244. lin. 17. Clarior sensus erit, si cognomentum exprimatur: *Carolus Crassus Italiæ:* vel simpliciter, *Crassus*.

PAG. 259. lin. 23. *Partéque Regni rapiente.* Scribe: *Partemq. Regni rapiente.* Tolli hic error lineolâ supernè impositâ poterat: imò diceremhanc omissam esse, nisi toto hoc Opere Typographus noster, PHILIPPVS DORMALIVS, honesti nominis & originis apud Lovanienses, & ingeniosâ manu pulcherrimam artem exercens, integras & sine ullo omninò litterarum compendio voces (quod nemo hactenus præstitit) dedisset. Quomodò accuratus non esset? errorem putavit, characteres contrahere, monstra magis, quàm vocabula formare.

PAG. 263. lin. 2. *Igitur ad Arnulfum viam sibi in Italiam facturus, fugit. Is Berengarium*, &c. Muta: *Arnulfus viam sibi in Italiam facturus, Berengarium magnâ tandem militum manu reducit.*

PAG. 323. col. 1. lin. 24. De Aquilâ Romanâ pulcher Iosephi locus est, lib. III. De Bello Iudaïco, cap. V. *Aquilam omnibus apud Romanos agminibus præesse: quippe Reginam avium omnium, & validissimam.* Addit verò ὁ δὴ (ἀετὸς) καὶ τῆς ἡγεμονίας τεκμήριον αὐτοῖς, καὶ κληδὼν ἐφ' οὓς ἂν ἴωσι τοῦ κρατήσειν δοκεῖ: *Aquilam & Principatûs insigne putant, & omen victoriæ, quoscumque bello petierint.*

PAG. 324. col. 2. lin. 6. *Fredericum.* Scribe: *Duos Fredericos.* Imperatores enim Austriaci hi fuerunt, serie licet in principio interruptâ: Rudolfus Habspurgensis, Albertus Rudolfi F. Fredericus III. Pulcher Alberti F. Albertus II. Fredericus III. Maximilianus, Carolus V. Ferdinandus, Maximilianus II. Rudolfus II. Matthias, Ferdinandus II.

PAG. 330. col. 1. lin. 44. Post verba illa, *à nomine suo appellatas*, Adde: *Ab Augusto demum Coloni aucti, unde nomen Iuliæ Augustæ.*

PAG. 331. lin. 18. *Hi jam*, inquit Florus, *per hiemem, quæ altius Alpes levat, tridentinus jugis in Italiam provoluti, ruinâ descenderant.* Pulchrè, & ad rem Seneca, lib. III. De Irâ, cap. III. *Hic Barbarus fortè ruentibus in bella exitus est. Cùm mobiles animos species injuriæ perculit, aguntur statim, & quà dolor traxit, ruinæ modo regionibus incidunt, incompositi, interriti, incauti, pericula appetentes sua. Gaudent feriri, & instare ferro, & tela corpore urgere, & per suum vulnus exire.*

IN AVCTORVM SYLLABO, Litterâ B. *Bernardus Corius*, *Bernardini* nomen poscit: *Bernardinus Saccus, Bernardi.*

QVID minuta prætereà aut dubia prosequor? Pauculis in locis litteras n pro u, r pro t, f. pro f, e pro I, aut contrà positas invenias, formæ jam quasi fugientis vitio. In numerorum notis, quibus paginæ distinctæ sunt, & Commentarii ad Historiam referuntur, aliqua alibi transpositio est; nulla tamen legenti remeligo erit. HISTORIAE titulum in COMMENTARII locum subrepsisse, frustrà moneo. Tu quisquis es, excusa, quæ vel COMMISSA, vel OMISSA sunt; sed in usum tuum Historiam univer-

universam confer: quia IRRVPTIONES BARBARORVM IN ITALIAM hactenus continet, Hispaniæ simul, Galliæ, Germaniæ, etiam Inferioris, tempora, Barbarie obscura, illustrantur.

FINIS.

CENSVRA.

HISTORIA *hæc* INSVBRICA E. PVTEANI, *Consiliarii, Historiographi & Professoris Regii, quæ* IRRVPTIONES BARBARORVM IN ITALIAM *continet, lectu ac prælo digna est; ut in quâ neque delectationem, neque fidem, neque doctrinam desideres: Ejusdem Commentarius aptus ac utilis; ut quem Illustratorem Barbarici temporis jure nuncupâris.*

GVILIELMVS FABRICIVS, Apostolicus ac Regius Librorum Censor.

BELLI *Facem Barbarica tempora accenderant, sed eandem quasi vindex ævi oblivio penè extinxerat: cùm Historiæ Facem, undique haustâ meliore luce* E. PVTEANVS *suggereret. Cui tamen breviores fines, & angustiores: ut alterâ curâ, commodùm per Commentarios diffunderetur. Hanc tutò sanus oculus hauriet, gratâ politioris styli amœnitate, ubere varioq́; exemplorum fructu. Ita prædecessoris mei acre judicium secutus, subscribo. Lovanii,* VIII. *Kal. Septemb.* CIↃ. IↃC. XXIX.

MARTINVS LVNECENIVS, Apostolicus ac Regius Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, Diplomate suo sanxit, Nequis ERYCI PVTEANI, Consiliarii, & Historiographi, nec non Professoris sui in Academiâ Lovaniensi, Libros, à Legitimo Censore approbatos, intra quindecim annos præter ipsius voluntatem, vel typis suis excudat, vel alibi excusos, in has Germaniæ Inferioris ditiones venales inferat. Qui secus faxit, præter exemplarium confiscationem, triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur: uti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ, XIV. Februarii, M. DC. XXII.

Signat.

Le Comte.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

LVDOVICVS Dei gratiâ Galliarum & Navarræ Rex Christianissimus, singulari Diplomate sanxit, Nequis per universos Regnorum suorum fines ERYCI PVTEANI, Consiliarii, & Historiographi in Belgio, quos vel hactenus edidit libros, vel in posterum editurus est, excudere intra decennium præter voluntatem ipsius possit. Qui secus faxit, præter librorum confiscationem ter mille florenorum illatione mulctabitur: uti latiùs patet in litteris, datis Parisiis, XXVII. Iunii, M.DC.XV.

CAVTIO AB AVCTORE TYPOGRAPHO FACTA.

VTOR *Privilegio, quod ab utroque mihi Rege nuper concessum est, & potestatem tibi,* PHILIPPE DORMALI, *conditionibus inter nos bonâ fide initis, facio, Hos* HISTORIAE INSVBRICAE LIBROS SEX, *qui* IRRVPTIONES BARBARORVM IN ITALIAM *continent, &* PLENIS COMMENTARIIS *illustrati sunt, typis tuis excudendi ac divulgandi. Tuum erit, quemadmodum lege munitus es; ita arte, peritiâ, nitore editionem tibi vindicare.*

ERYCIVS PVTEANVS.
BAMELRODIVS.

-3-